BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO VITT. EMANUELE
37
16 B
14

- MAG 4184

BIBLIOTHECA MANUALIS ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

Illorum vitæ, & geſtorum breviarium: Operum Synopſim: Illuſtriora teſtimonia Dogmata, Mores, Diſciplinam ſpectantia, & ſelecta Vitæ ſpiritualis documenta.

OPUS

GALLICE EDITUM

A D. PETRO JOSEPHO TRICALETIO

PRESBYTERO, ET DOCTORE IN UNIVERSITATE VESONTIENSI,

LATIO DONATUM

NOTISQUE BREVIORIBUS ILLUSTRATUM

AB EUDOXIO PHILENIO S.T. PROFESSORE.

TOMUS PRIMUS.

BASSANI, MDCCLXXXIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

LATINUS INTERPRES
BENEVOLO LECTORI
SACRÆ ERUDITIONIS STUDIOSO.

BIBLIOTHECA Patrum Eccleſiæ, quam Latio donandam operæ pretium duxi, paucis abhinc annis Gallica lingua Lutetiæ Pariſiorum typis prodiit opera, & ſtudio Petri Joſephi Tricaletii Presbyteri, & Doctoris in Univerſitate Veſontienſi, Præſidis Seminarii, ut vocant, Pariſienſis apud S. Nicolaum de Cardoneto nuncupati. Vir hic clariſſimus ſacra ſtudia ſemel amplexatus, illis indefeſſo labore incubuit, a quibus eum divellere nequiverunt plurimæ graveſque ægritudines, quibus poſtremis præſertim vitæ ſuæ annis fuit acerbiſſime divexatus; pietate etiam, religione, cæteriſque chriſtianis virtutibus mirum in modum claruit, ut ex ejus Vitæ Breviario conſtabit, quod primo hujus Bibliothecæ Tomo præfixum reperies, & in Gallica editione poſtremo collocatum Volumine legitur. Hic utique pius doctuſque Vir, qui nomen ſuum in fronte Operis modeſtiæ cauſa inſcribi renuit, primum Volumen Pariſienſi Typographo mittens illum commonefecit, ut ſi forte Eruditorum, & Sapientum judicio publica luce dignaretur,

Lectores omnes ſtatim in limine certiores redderet, in toto Opere unum a ſe præſtitum, materiæ ſcilicet delectum, & ordinem, cætera vero omnia non de ſuo penu, ſed a celebrioribus ſive Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ſive Sacræ Eruditionis, ſive alterius argumenti ad ſuum ſcopum collineantis Scriptoribus eſſe mutuatum, in quo proinde collecta, & veluti in ſuccum redacta optima quæque a Fleuryo, Dupinio, Ceillerio, Longuevallio, aliiſque optimis Auctoribus ſcripta, & adnotata, erit reperire. Addendum etiam juſſit, ſe ſingulis excerptis Auctorum nomina non appoſuiſſe, ne longo ſyllabo Lectores fatigaret, ab ipſis tamen omnia deſumpta notatum voluiſſe, ut Lectores, ſi ipſis luberet, Auctores adire poſſent, reſque ab ipſo vel indicatas, vel in compendium redactas ſuo in fonte contemplarentur, ſuamque in decerpendo, & deſcribendo fidem, ac diligentiam experirentur. Hocce monitum & ipſe huic meæ latinæ Interpretationi præmittendum cenſui, tum ut Auctori morem gererem, tum etiam ut Operis præſtantia, ubertas, utilitas magis pateſcerent, quippe quod non ea duntaxat complectitur, quæ Auctor de ſuo præſtitit, verum etiam quidquid optimi ab ipſo compilati Scriptores edidere, adeo ut non tantum Patrum Bibliotheca dici queat, ſed & illorum, quorum Libris, Operibus, Scriptis uſus eſt, Promptuarium. Et hæc quidem de Auctore, de quo uberius in ejus Vitæ Compendio mox ſubjiciendo.

Ad ipſum Opus quod attinet, vix Pariſiis prodiit, mirum quanto omnium Sacræ Eruditionis Studioſorum plau-

plauſu exceptum fuerit, & à clarioribus Viris, iis præſertim qui litterarias Ephemerides, ſive Trevoltii, ſive Lutetiæ contexunt, magnis præconiis commendatum; & jure meritoque ob ſummam in Patrum doctrinis exhibendis claritatem, in documentis, dictis, teſtimoniis deligendis ſapientiam, in eruditione copiam, & quod maxime faciendum, in his omnibus ſummam perſpicuitatem cum brevitate copulatam. Fieri propterea non poterit, quin omnibus illud evolventibus maximam non afferat utilitatem, & quidem non ſolum Eccleſiæ Viris, Theologis, Concionatoribus, & Magiſtris, ſed & Chriſtianæ plebi, quæ ex illo tamquam limpidiſſimo fonte Catholicæ, quam profitetur, Religionis veritates haurire poterit, ac luce clarius contuebitur, illa eadem, quæ nunc Eccleſia tradit, cuſtoditque, fidei dogmata a primis ſæculis deprædicata, credita, propugnata a Patribus ſemper conſtantiſſime fuiſſe, & ſententiam illam anathematis & damnationis noviſſimis temporibus a Tridentino Concilio in hæreſes & errores vibratam perpetua omnium Sæculorum traditione fulciri, ac denique omnia ſpecioſiora argumenta, & acutiora ſophiſmata, quæ modo catholicæ fidei oſores magno verborum apparatu, & emendicata eruditionis copia jactant, & contorquent, ab Antiquioribus quoque Hæreſum Auctoribus objecta per veteres Patres detecta, diſſipata, funditusque labefactata fuiſſe.

Porro hæc in cauſa fuere, ut ipſe Opus tam præclarum ac omnibus utillimum, in latinum ſermonem transferrem, quo latius per Orbem Chriſtianum diffunderetur,

& pluribus prodeſſe poſſet, id a me flagitantibus Amicis, pluribuſque pietate ac doctrina clariſſimis viris. Quid autem in hac latina interpretatione præſtiterim, paucis habeto. Primo. Operis titulum minime mutandum, ſed fideliter retinendum duximus, & Bibliothecam Patrum, quam Gallicus Scriptor *Portatilem* ad ejus compendioſam brevitatem, & facilem uſum deſignandum dixit, nos *Manualem* interpretati ſumus, qui titulus profecto & ſcopo Auctoris & Operis maxime congruit eo collineantis ut Patrum a S. Ignatio Martyre uſque ad S. Bernardum ingentia Volumina compendio complecteretur. Cuilibet Patri quatuor deputantur Articuli. Primus vitæ, & geſtorum ejus Breviarium complectitur. In ſecundo Synopſis exhibetur præcipuorum ejuſdem Operum, addita nobiliorum Editionum, & Italicarum Verſionum ſi quæ ſint notitia. In tertio illuſtriora teſtimonia, Dogmata, Mores & Diſciplinam ſpectantia traduntur. In quarto denique aſcetica documenta ad pietatem fovendam, promovendamque vitam ſpiritualem collecta reperiuntur. Secundo in hac interpretatione noſtra, cum doctrinæ, dogmata, documenta Patrum erunt recitanda, ipſiſſima illorum verba afferemus, eaque noſtra duntaxat adjiciemus, quæ ad ſermonis ſeriem & colligationem neceſſaria omnino videbuntur. Tertio. Plurima & quidem magni momenti addidimus tum ex Operibus SS. Patrum ab ipſo Auctore laudatis, tum ex aliis poſtea repertis, & editis, quæ illi minime innotuere, decerpta, adeo ut hoc nomine Bibliotheca iſthæc noſtra ferme duplo major & copio-

ſior

ſior effecta ſit, ut utramque Editionem comparantibus manifeſte patebit. In novem Volumina partietur Editio noſtra, quorum poſtremum ea omnino complectetur ſpiritualis vitæ aſcetica documenta, ab iis plane diſtincta ac diverſa, quæ in ſingulis Patrum Capitibus Articulo quarto leguntur, quæque Auctor, octavo addito Volumine, collegit, ac præterea totius Operis generalem & copioſum Indicem, Quarto. Errores, qui in Gallica Editione irrepſerant, emendavimus. Quinto. Adnotationes nonnullas breviores quidem, ne Volumina nimium excreſcerent, ſed utiles, & aliqua prætermiſſa ab Auctore ſupplentes, identidem adjiciemus, ac ſignatas Arabicis numeris dabimus. Denique Auctoris Vitam poſtremo Gallico Volumine adjectam ſtatim in primo collocavimus. Singula Volumina ſuo Indiculo non carebunt, in totius Operis calce, ſcilicet Tomo IX. ut diximus, generali Indice reſervato. Hic omnium Patrum, quos hæc Bibliotheca complectitur, catalogum exhibemus ordine non exacte ad Chronologiam, ſed potius ad Voluminum partitionem accommodato. Sunt autem

Tom. I.
1. S. Ignatius Martyr.
2. S. Juſtinus Martyr.
3. S. Irenæus.
4. S. Clemens Alexandrinus.
5. Tertullianus.
6. Origenes.
7. S. Cyprianus Martyr.

 8. Eu-

	8. Euſebius Cæſarienſis.
	9. S. Athanaſius.
	10. S. Hilarius Pictavienſis.
Tom. II.	11. S. Baſilius.
	12. S. Cyrillus Hieroſolymitanus.
	13. S. Gregorius Nazianzenus.
	14. S. Ephrem.
	15. S. Gregorius Nyſſenus.
Tom. III.	16. S. Ambroſius.
	17. S. Epiphanius.
	18. S. Hieronymus.
	19. S. Paulinus.
Tom. IV.	20. S. Joannes Chryſoſtomus.
	21. S. Cyrillus Alexandrinus.
Tom. V.	22. S. Auguſtinus.
Tom. VI.	23. S. Proſper.
	24. Theodoretus.
	25. S. Leo Magnus.
	26. S. Cæſarius Arelatenſis.
Tom. VII.	27. S. Gregorius Magnus.
	28. S. Joannes Damaſcenus.
Tom. VIII.	29. S. Anſelmus.
	30. S. Bernardus.

Tu interim, Amice Lector, hunc qualemcumque laborem noſtrum æqui bonique conſule, eoque fruere, & vale.

VITÆ ET GESTORUM PETRI JOSEPHI TRICALETII

HUJUS BIBLIOTHECÆ AUCTORIS BREVIARIUM.

EA ſemper fuit Sapientum omnium mens, atque conſilium, intereſſe Reipublicæ clarorum virorum geſta, virtutes, mores, vitamque Poſterorum memoriæ commendare, qui doctrina & pietate, ſua tempora colluſtrarunt, ut inde virtutum exempla, quæ & alii imitarentur, & vitæ Chriſtianæ formæ, & exemplaria quæ in ſe exprimerent, nobis numquam deeſſent. Hoc itaque conſilium ſecuti brevem Petri Joſephi Tricaletii (de Tricalet) vitæ hiſtoriam ac narrationem conteximus cujus virtutum ac pietatis duo celebriores Scriptores (*a*) jamdudum ſpecimen aliquod exhibuerunt.

Pe-

(a) Abbas Joannetius in ſua Ephemeride Chriſtiana anni 1762. Galliarum Reginæ dicata a pag. 80. uſque ad 100. P. Berthierius Jeſuita in Trevoltianis memoriis Menſis Februarii 1762. a pag. 528. uſque ad 538. Silentio præterire nec poſſumus, nec debemus elegantiſſima verba, queis elogio Auctoris noſtri coronidem hic poſtremus imponit. „ Sæculi (inquit) Magnatibus, & Principibus Viris Oratores deerunt „ numquam, qui eos ſummis ornent præconiis, immo ſæpiſſime cele„ briores deliguntur, qui vel ipſa vitia humanæ potentiæ, & digni„ tatum dedecora celebrent. At viri a ſæculo ſemoti in angulo la„ titantes, ſine ullo hominum ſenſu decedunt. Proh nefas! Hiſce „ & æquum foret meritas rependere laudes, & nihil facilius quam eo„ rum virtutes celebrare; ſatis enim foret eorum vitam & geſta ſim„ plici narrationis ſtylo percenſere, nam magniloquentia, & exquiſi„ tæ orationis fucus eorum ſimplicem ac naturalem ſplendorem mi„ nuerent. Verum ubinam reperire erit tam æquum juſtique tenacem „ Oratorem, qui dum alios laudibus ornat, ſuam inſimul vel utilita„ tem, vel gloriolam non quærat, & ambiat?

Tricaletii ortus. Petrus Joſeph Tricaletius Gallice *de Tricalet* Presbyter ac Doctor Univerſitatis Veſontienſis, Rector Collegii, ſeu, ut vocant, Seminarii Pariſienſis S. Nicolai de Cardoneto nuncupati Dolæ (*a*) in Burgundiæ Comitatu tertio Kalendas Aprilis anno reparatæ ſalutis *1696.* natus poſtridie in Collegiali, ac Parochiali illius Urbis Templo ſacris undis ablutus Chriſto renatus eſt. Parentem ſortitus Franciſcum Tricaletium in Senatu Veſontienſi dignitate donatum, cujus Familia Dolæ adhuc in collaterali ſtipite nobilitate, & cognationibus clara ſubſiſtit & viget, quo nomine & ipſe inclaruit, ſiquidem & Senatoribus & Magiſtratibus cognatione junctus fuit; verum animi dotibus, conſtanti ſcilicet amore juſtitiæ, eximia ingenii lenitate, & prudenti Religionis zelo magis emicuit, quæ ornamenta, & dotes a Majoribus ſuis veluti hæreditario jure ſibi tranſmiſſas colere ſemper ſtuduit, & exprimere. Uxorem duxit Barbaram Guillelminam ſibi & nobilitate & virtutibus parem, ex qua filias quinque, & binos ſuſcepit filios. Ex fœminis primogenita religioſum amplexa inſtitutum in Monaſterio Veſontienſi a Viſitatione nuncupato, religioſe vixit, & grandæva obiit. Poſt illam altera, quæ nuper ad plures abiit, nupſit Bouhellierio Veſontienſis Senatus Conſiliario. Tertia circa annum 1730. ætatis ſuæ 70. cœlebs e vita migravit. Quarta fato functa anno 1738. religioſam induit veſtem in Monaſterio Monialium ab Annuntiatione nuncupato Pontis Arlii. Poſtrema tandem Maria Eliſabeth nomine nata anno *1690.* poſtridie Kalendas Julii nupſit Domino Le Bœuf, a Secretis Regis, & Generali Quæſtori Pontis Arlii in Comitatu Burgundiæ, & non ſine ſanctitatis fama vidua obiit

Familia.

(a) Duo in ſuperiori nota laudati Scriptores fortaſſis non ſine monumentis Tricaletium Pagnichii natum dicunt; verum falluntur, ut nobis conſtat ex Baptiſmi ſuſcepti teſtimonio. Nec minus a veritate abeſt, Tricaletium illius Pagi dominum fuiſſe, vel Parochi munus ſuſtinuiſſe, cum ejus Dominium penes Ducem de Randano ſit, & Eccleſia nequaquam proprio Parocho regatur.

obiit poſtridie Idus Decembris anni 1759. Hujus pientiſſimæ fœminæ vita typis vulgata fuit anno 1761. (*a*) Ex liberis duobus natu major eccleſiaſticam amplexus militiam in Pariſienſi Univerſitate Bacalaureus conſtitutus obiit Veſontii, nullius umquam peculiaris Eccleſiæ ſervitio addictus.

Alter vero Petrus Joſephus Tricaletius, cujus geſta ſcribenda ſuſcipimus, filiorum noviſſimus pueritiæ annos in natali ſolo decurrit, at adoleſcens Veſontii, quo Familiæ ſedem Genitor tranſtulerat, ſtudiis operam navavit apud Patres Societatis Jeſu, a quibus & Grammaticam, & Oratoriæ artis præcepta didicit, ejuſque in diſcendo alacritas, ac ingenium acre non modicam ſpem injiciebat fore ut brevi inclareſceret, ſuoſque in eodem curriculo diſcipulos prætergrederetur. At quid proſunt & nobiliores animi dotes cum ſublimiore mentis acie conjunctæ, niſi & in ſtudio aſſiduus labor accedat? Tricaletius noſter huic viæ haud inſiſtens adoleſcentiæ annos perdidit potius, quam implevit; otio enim & oblectamentis nimium addictus, ac ætatis ſuæ voluptatum venator præconceptam ſpem fefellit, & licet ad bonam frugem Parentum, & Magiſtrorum monitionibus revocaretur, emendationem quidem pollicebatur, at laboris impatiens citiſſime rurſum inertiæ ſuæ indulgebat, vitamque nimium jocis nugiſque applicitam repetebat. Educatio, & prima rudimenta.

Rhetoricæ peracto ſtudio Parentis præceptis obedire compulſus Nocillum Burgundiæ Comitatus urbeculam petiit, ut apud Religioſos S. Franciſci, quos Conventuales vocant, & regulari obſervantia claros, & ſapientum Magiſtrorum copia celebres Philoſophiæ ſtudium aggre-

(a) Prodiit Pariſiis Lottini Senioris typis Volumine pagellis 168. conſtante, forma, ut ajunt, in duodecimo, ad cujus normam & hocce vitæ Tricaletii Breviarium excuſum venale proſtat apud eumdem, ut Fratris, & Sororis vitæ, & geſta ad poſterorum utilitatem & normam ſimul conjungi queant.

aggrederetur & compleret; at ſeverioris diſciplinæ rigor adoleſcentis Tricaletii palato minime ſapiebat, quippe qui nondum quantum ſub duro cortice ſuaviſſimi nuclei occuleretur, deguſtaverat, ut ipſemet poſtea in alium virùm commutatus aliis deprædicare ſolebat, quemadmodum & Profeſſorum in docendo peritia modicum illi profuit, cum & a ſtudio abhorreret, & labores faſtidiret non ſecus ac cum Veſontii verſaretur. Jamque illam pertingebat ætatem, qua pravi animi affectus vires ſuas exerunt, & rectæ rationis jugum excutere tentant; hinc factum, ut voluptatibus magis, quam Philoſophiæ ſtudio indulgeret. Ut erat fervidioris ingenii, & facetiis, ludis, jociſque delectabatur, ſocios ſui non diſſimiles quæſivit, quos & invenire ei obtigit, a quibus viciſſim & deſideraretur, & amaretur. Conabantur quidem Religioſi viri, quorum curæ, & cuſtodiæ fuerat demandatus, illius vivendi curſum emendare, & nimiam licentiam fræno injecto cohibere, at fruſtra; nam ille moroſus, & correctionis impatiens & frænum abrumpere, & diſciplinæ jugum, cujus utilitatem ſi noviſſet, amaſſet, excutere totis viribus pertentavit, & eo uſque proceſſit ejus effrænis licentia, ut pravis abreptus affectibus Cœnobii muros noctu admotis ſcalis tranſilierit, & aufugerit, eo ſe conferens, quo & mentis cæcitas, & animi libido rapiebant. Quamobrem Religioſi, omni ejus emendationis ſpe abjecta, adoleſcentem, qui cæteris offenſioni erat, a ſuo dimovendum contubernio cenſuere, & ad propria remiſerunt. Verum oh quantum poſtea iſta revolvens in amaritudine animæ ſuæ illius temporis jacturam deflebat, cujus pretium raro admodum adoleſcentes dignoſcunt!

Veſontium reverſus brevi ſcilicet 4. Kalendas Novembris Parentem morte ſublatum deflevit, a quo diligebatur, & cujus amori tam ingrato animo reſponderat. Mater vidua, quæ Filiorum educationi præerat, & Mariti veſtigia ſequebatur, illum iterum Philoſophiæ ſtudere juſſit, qui licet ſtudium faſtidiret, tamen aggreſ-

ſus eſt non ſine aliquo etiam ardore, qui ſpem aliquam profectus injiciebat; at cito deferbuit, hinc progreſſus, & finis initio haud quaquam reſponderunt. Complevit itaque Philoſophiæ curſum Menſe Julio anni 1713. quin tamen admodum profeciſſet.

Eccleſiaſticæ militiæ deſtinatus jam ante aliquot annos Clericali tonſura fuerat inſignitus; eapropter ſuſceptæ vitæ ratio poſtulare videbatur, ut poſt Philoſophiam Sacræ Theologiæ ſtudium aggrederetur; verum cum nondum fauſtum illud adveniſſet tempus, quo illum ad meliorem frugem Deus revocare decreverat, more ſuo vivere perrexit. Veſontii ſocios nactus ſibi cariſſimos, & plane ſibi ſimiles, & viciſſim ſocii in Tricaletio adoleſcentem nacti illis ornatum dotibus, quæ juvenum vitam ſuavem reddunt, arcta utrinque interceſſit neceſſitudo, quæ toto triennio Tricaletium in ludis, oblectationibus, nugiſque, ſeriis omnino abrenuntiatis, detinuit. Mundum jam noſſe cœperat, ſe autem ipſum noſſe nondum inceperat; ſic tamen vixit, ut numquam in ea ſit prolapſus flagitia, quæ ſolis inſpectis humani convictus legibus exiſtimationem lædunt, & dedecore afficiunt, proprii tamen ſtatus officia, & munia penitus neglexit. Interea ejus Genitrix, S. Auguſtini Matrem imitata, filii mores, & vitæ ſeriem deflebat, cujus exitum & finem ignorans, pertimeſcebat, & quotidianis precibus luminum Patrem deprecabatur, ut filium ſuo lumine perfundere, & ſuaviſſima gratiæ ſuæ dulcedine ad ſe pertrahere dignaretur, queis & a terrenarum rerum oblectamentis avocaretur, & amara redderentur, & acerbiora, quæ ſibi adeo dulcia videbantur & ſuavia, & ſic arborem illam ſterilem in ſua tamen vinea plantatam, benedictionis ſuæ munere in frugiferam commutaret. Nec fruſtra & incaſſum oravit, nam de repente divina luce colluſtratus, ac ſuperno compulſus auxilio, errores ſuos agnovit, ac emendare conſtituit. Cœpit itaque ſacros ac utiles libros evolvere, illis omnibus abjectis, quorum lectione

Vitæ ratio donec Seminarium ingreditur.

Converſio ad Deum.

ctione antea oblectabatur, atque cordis corruptelam ex originali noxa contractam in ipſo fovebant, ac augebant. Hinc ſpiritus ſuavitate illectus novum hominem induit, ſæculi voluptates & oblectamenta quam inania forent, & inſuavia experimento addiſcens contemnere primum cœpit, poſtea vero illis forti pectore, & conſtanti animo abrenunciavit, & veritus, ne Sociorum blandimentis, adhortationibus, irriſionibus a ſancto propoſito dimoveretur, in ſolitarium locum ſe recipere conſilium cœpit, ubi novæ Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ vitæ & converſationis ſolidiora jaceret fundamenta.

Delegit itaque Veſontienſe Collegium, ſeu, ut vocant, Seminarium, eoque ſe recepit, ut ſacra plurium dierum recollectione annos æternos meditaretur. Vigebat in eo Collegio pietas & religio, eæque colebantur virtutes, ac vitæ morumque tradebantur præcepta & regulæ, quæ ad æternam ſalutem in tuto collocandam Eccleſiaſtico Viro neceſſariæ dignoſcuntur, & utiles. In ea ſolitudine loquebatur Dominus ad cor ejus, & ipſe vocem Domini libenter audiebat, nactuſque ibi Rutillardum Presbyterum pietate, prudentia, divinarum rerum peritia, & iis chariſmatibus abunde locupletatum, queis aptiſſimus ad animarum regimen efficiebatur, illum ſibi in Magiſtrum, Ducem, ac animæ ſuæ Moderatorem delegit, ac ſibi ſancta neceſſitudine devinxit, ejuſque monitis, conſiliis, adhortationibus maxime profecit, adeo ut idem Rutillardus poſtea teſtatus ſit, numquam toto vitæ ſuæ decurſu ex ſacris recollectionibus tam uberes fructus in aliis aut vidiſſe, aut expertum fuiſſe.

Quamdiu fuerit ibi commoratus ignoramus, unum ſcimus Tricaletium derepente illinc diſceſſiſſe, cunctis etiam intimioribus amicis, quibuſcum familiariter converſatus fuerat, quique illum a ſancto propoſito, ſi quod forte conceperat, numquam dimoviſſent, & diſceſſus cauſam, & locum ubi ſe abdidiſſet, penitus ignorantibus. Conquiſitus ſumma diligentia undique

fuit,

ſuit, datæ amicis & cognatis epiſtolæ, ſolitaria circa regionem loca viſitata, tandem elapſo menſe nuntiatum, ad Franciſcanos Nocillum convolaſſe, ad illud videlicet Cœnobium, ubi juvenili ſua converſatione, & incompoſitis moribus offenſioni fuerat & ſcandalo, quo audito omni depoſita ſollicitudine conſultius exiſtimarunt illum ſuæ voluntati relinquere. Interim Tricaletius novæ vitæ genere, pietate ac religione, cæteriſque virtutibus præterita ſcandala offenſioneſque ita ſarciebat, ut præteritorum memoria penitus ſublata fuerit, atque deleta. Inibi ſolitudinis amans, orationi ſacriſque lectionibus inceſſanter addictus, nec amicorum viſitationes admittebat, nec ipſe inviſendos adibat, & raro admodum levaminis cauſa Cella prodibat. Cœnobii Præſes Vir eximiæ pietatis, Spiritu Dei plenus, ac regularis obſervantiæ ſtudioſiſſimus tantam in eo miratus vitæ morumque mutationem, aliam vivendi rationem, alios a prioribus longe diverſos animi affectus, ſummopere in Domino gaudebat & lætabatur. Philoſophicas lectiones iterum illi tradidit, nec in eo docendo inutilem laborem ſuſcepiſſe expertus eſt, atque ita brevi in eo ſtudio verſatum deprehendit, ut ad ſacra ſtudia non ſine profectus ſpe poſſet aſcendere. Tricaletius vero ita honeſte ſancteque cum illo converſatus eſt, ut tantum illi gaudii lætitiæque attulerit, quantum triſtitiæ, & doloris antea dederat. Cœnobii ſolitudine relicta, Veſontium regreditur, ubi quotquot ipſum noverant, divinæ in eo miſericordiæ munera agnoverunt, & cœleſtis gratiæ omnipotentiſſimam vim, & efficaciam ſunt admirati. Veſontii velut in eremo vixit, illum nonniſi domi, vel in Eccleſia convenire erat, nec moroſam tamen, ſeveram, & ſupercilioſam pietatem præſeferebat, ſed mitis, affabilis, modeſtus licet in colloquiis nonniſi pœnitentiam ſonaret, & abrenuntiationem voluptatum, terrenorum, ac temporalium bonorum, quæ Mundus tanto habet in pretio, ſemper deprædicaret, libenter tamen audiebatur, & ſermonis

monis ſuavitate, ac verborum pondere, ſed magis exemplo ſuo, quæ carni, & ſanguini aſpera videbantur facile ſuadebat.

Seminarium ingreditur.

Prioribus, quibus antea adeo delectabatur, contuberniis abruptis, ſociiſque olim ſibi dilectis valere juſſis uni Deo vacabat, vitæ etiam auſteritate, ac ſeverioribus pœnitentiæ operibus commiſſas culpas expiabat, & licet ea occulere ſummo ſtudio ſatageret, domeſticis tamen ac familiaribus innotuit, qui rigidiores Cœnobitas, & ferventiores pœnitentes ab illo ſuperatos teſtati ſunt. Sic itaque animo affectus Sacræ Theologiæ operam navare cœpit, non tamen ſine Magiſtris & Duce, ne privato Spiritu in tam ſublimi ſcientia duceretur, ſed primo Univerſitatem adiit, deinde vero Seminarium ingreſſus Theologicas lectiones inibi audivit. Hujuſce Veſontienſis Seminarii ferme a ſæculo fundamenta jecerant bini Eccleſiaſtici Viri ex Collegio Pariſienſi S. Nicolai de Cardoneto nuncupati, illudque ſemper moderati fuerant Sæculares Presbyteri. Hoc itaque Collegium ingreſſus, qualis fuerit deſcribit oculatus teſtis: „ Tricaletius, (inquit) licet adoleſcens ſenilem gere- „ bat animum, nonniſi ad ſeria applicitus, omnia mu- „ nia ac officia fideliter complebat, ſeque omnibus o- „ ptimi Clerici exemplar exhibebat, ſummo propterea „ in pretio ac veneratione habitus tum a Condiſcipu- „ lis, tum a Præſidibus“. Socium nactus eſt ibi Dominum Tinſæum, quocum a teneris unguiculis fuerat educatus, quique ad Epiſcopalem Sedem Bellicenſem evectus, poſtea ad Nivernenſem translatus hanc Eccleſiam ſapientiſſime moderatur, & regit, a quo præcipua obtinuimus monumenta, a quibus, quæ de Tricaletio narramus, decerpſimus.

Seminario egreditur.

Seminario egreſſus vitæ rationem non immutavit Tricaletius, ſed eamdem in populi frequentia cuſtodivit, quam in ſolitudine, & receſſu ſervaverat. A ſæculi negotiis alienus, orationi ac ſtudio vacabat aſſidue, rarus e Cellula egreſſus, paucos admodum ad ſe conviſendos

admi-

admittebat, rarius ipſe alios adibat; quibus tamen datum erat ſua frui præſentia, & colloquiis, modeſtia ſua compuncti, & ſilentio edocti non modica utilitate percepta diſcedebant. Eccleſiaſticæ, ut diximus, Militiæ deſtinatus ea præſertim colenda ſtatuit ſtudia, quæ ſacris muneribus ipſum aptum idoneumque redderent, & queis inſtructus Eccleſiaſtici viri munia & officia poſſet implere. Hinc diutius precibus, & ſacris meditationibus vacabat, a Deo efflagitans, ut ſibi ſtudiiſque ſuis benediceret. Templum præcipue delegerat ceu locum aptum magis, ubi coram Deo gemitus cordis & oris preces effunderet. Inibi ante Divinam Majeſtatem animo & corpore proſtratus, & in ſuæ vilitatis abyſſum dejectus ſuos deteſtabatur errores, ſuam deflebat miſeriam, & ſuorum Confratrum neceſſitates, animarum ſupremo Paſtori exhibebat, & ab eo ſibi, & illis opportuniora ſalutis, & divinæ gloriæ promovendæ auxilia depoſcebat. Sæpiſſime ante Aram, in qua ſacra reconditur Euchariſtia, viſus eſt tota in Deum mente defixus conſiſtere, ut extra ſe raptus videretur, non ſine contuentium admiratione & gaudio, qui ſimili charitatis fervore donari, & hujuſcemodi chariſmatum participatione frui cupiditate accendebantur. Adoleſcens Clericus per integram horam Virum Dei oculis in Cælum defixis ad pietatem compoſitum contemplatus, ſuam ſibi exprobravit deſidiam, & teporem, ac firmiter apud ſe conſtituit impoſterum ea adhibere media, queis diſcuſſa ſocordia, & in Dei amorem inflammaretur, eique ferventius inſerviret.

Jam ſatis in ſacris Theologicis ſtudiis verſatus Tricaletius dignus erat, qui laurea donaretur. In Univerſitate itaque Veſontienſi Baccalaureus primum creatus quinto Idus Auguſti anni 1717. poſtea quarto Kal. Auguſti 1719. adhuc Diaconus (*a*) Doctor renuntiatus eſt, *Laurea donatus.*

(a) Subdiaconus anno 1718. Diaconus vero 1719. ordinatus fuit.

Sacerdotio initiatur. ſequenti vero anno Sacerdotio initiatus fuit, cui ſublimi miniſterio animum ferventiori devotione, & ſeverioribus corporis afflictationibus præparaverat. Tanta auctus dignitate probe noſcens, novi fœderis Sacerdotes non ſolum mediatores inter Deum & homines conſtitutos, ut Sacrificiis placatum illum redderent, verum & ad Chriſtianam plebem erudiendam, ad ſalutis viam omnibus manifeſtandam, ad Evangelium annuntiandum delectos, nihil antiquius habuit, quam Superiorum ſuorum nutibus & voluntati obtemperando, hiſce muneribus totum ſe adjicere. Verum propriæ conſcius imbecillitatis, & minime ſuæ confiſus virtuti, ſocium ſe adjunxit nonnullis ejuſdem Civitatis Eccleſiaſticis viris, qui zelo, pietate, ſcientia inſtructi animarum ſaluti incumbebant, eorumque laborum, ſtudiorum, ac fructuum in ſacris obeundis Miſſionibus participem fieri optavit; præſertim vero Bergeretio ſuo, ſuæque Matris Parocho viro plane Apoſtolico adhæſit, qui gratulatus talem ſe nactum ſocium, a quo adjumenti plurimum ſperare poterat, in partem miniſterii ſui vocavit, cujus laborioſa munia hactenus nonniſi cum uno Vicario partitus fuerat. Illi itaque demandavit non ſolum pueris, & rudioribus Catechiſmum in Templo explanare, ſed & in ſacro Pœnitentiæ Tribunali illarum curam ſuſcipere animarum, quas Deus ſive a peccatis revocandas, ſive in via ſalutis & perfectionis manuducendas ad illum mitteret. Non detrectavit Tricaletius laborioſum, ac ſatis difficile miniſterium, ſed Paſtori ſuo obſequens, jugo colla ſubjecit. Ad illum itaque, catechiſticas aggreſſum explanationes in Parochiali Templo, magnus fiebat Fidelium cujuſcumque ſexus, ætatis, & conditionis concurſus, nec ſine uberi fructu. Cui miniſterio aliud additum edocendi videlicet, & alloquendi puellas & virgines, quod pari zelo, pietate, & fructu præſtitit.

Parochus eligitur. Verum virtutis ejus ac doctrinæ fama percrebreſcente, Pictavienſis Comitiſſa a Parocho Bergeretio eum abſtraxit, & in Paſtorem jure Patronatus elegit Parœciæ in Inſula

ſula urbis ſitæ in Comitatu Burgundiæ. Nobiliſſima ſiquidem Matrona & Tricaletii virtutes, animique dotes ad hoc munus rite obeundum noverat, & ſimul in Filio remunerari volebat Parentis merita, qui Tutoris officium erga adoleſcentulos Comites Pictavienſes Filios ſuos egregia fide compleverat, nullumque umquam præmium vel expetierat, vel reportaverat tanta animi magnanimitate, ut nobiliſſimæ Gentis, & popularium amorem ſibi conciliaverit. Summo omnium plauſu excepta hæc electio uno Tricaletio mœrente, qui demiſſiſſime de ſe ſentiens tanto oneri ſe imparem exiſtimabat, quod proinde detrectabat: verum ex obedientia Parœciam adiit, ſed experientia nimis grave ſibi viſum onus illud, quod aſſumpſiſſet, iterum timore correptus, quem modeſtia, & humilitas nimis augebant, priuſquam a ſuis ovibus dignoſceretur, ſponte ceſſit, & eodem anno Comitiſſæ Parochiale Beneficium abrenuntiavit.

Lutetiam petit. In Collegio S. Nicolai commoratur. Ejus munia.

Hujuſce ceſſionis illud quoque in cauſa fuit, quia Lutetiam ſe conferre volvebat in animo, non quidem ſpe illectus, & ambitus cauſa, nec animi inconſtantia, & levitate, ſed ut Theologicæ doctrinæ & ſacræ Eruditionis viro Eccleſiaſtico, & ſacris muneribus occupato admodum neceſſariæ abundantiorem ſupellectilem ſibi compararet. Bouhellierius Cognatus ejus, qui idem meditabatur iter, ſe illi comitem exhibuit; at amor filialis, quo Matrem deperibat, diu ancipitem detinuit, donec ratus Deum velle ut hanc dilectionem ſibi velut in hoſtiam offerret, diſceſſum paravit, & iter arripuit. Pariſios pervenit Menſe Decembris anni 1720. nec tamen celebris Urbis, quæ magnificentia ſua tot ad ſe allicit, viſendæ cupiditate illam percurrit, ſed confeſtim in Collegium S. Jodoci ſe recepit, ubi tribus menſibus commoratus Martio inſequentis anni 1721. ad S. Nicolai Hoſpitium ſibi opportunius, ſuiſque ſtudiis ac negotiis aptum magis tranſivit.

At vix pedem fixerat, animumque ibi commorandi

conceperat, cum inſperato in Patriam revocatur. Hugo Veſontienſis Generalis Vicarius ut ad propria reverteretur, litteris amantiſſimis invitavit, eique obtulit, immo ne reſpueret vehementer hortabatur, & orabat, Præpoſituram Seminarii Veſontienſis. Sed Tricaletius licet grato animo Amici beneficium & officium exciperet, juſtis tamen de cauſis Præpoſituram refutare conſtituit, ac reſcripſit, in limine ſtatim Collegio S. Nicolai ita fidem ſuam obſtrinxiſſe, ut inde diſcedere in ſua amplius non foret poſitum voluntate, ſeque arbitrari, ſine culpa a promiſſis non poſſe diſcedere, ac alio ſe transferre. Acquievit dictis Generalis Vicarius, nec amplius delectum Hoſpitium relinquere compulit.

Interea Religioſi Viri Collegii S. Nicolai in Tricaletio theſaurum ſe inveniſſe deprehenderunt, quem non in angulo defoſſum voluere, ſed in ſui emolumentum, ac utilitatem convertere, Profeſſorem primo, dein Procuratorem Seminarii, poſtea Rectorem, ac poſtremo omnium Præſulem delegerunt & Superiorem. In his percurrendis muneribus integros decem & octo annos, ab anno videlicet 1726. uſque ad 1744. inſumpſit; eaque omnia ſummo ſemper ſtudio, eximia prudentia, cujus certiſſima dederat ſpecimina, omnium denique plauſu & gratulatione obivit. Cumque ex his muneribus nonnulla in eum collinearent ſcopum, ut Eccleſiaſtici viri ea pietate, ſapientia, doctrina imbuerentur, qua ad animarum ſalutem apti redderentur, nihil eorum omiſit, quæ ad finem obtinendum neceſſaria eſt arbitratus, laboribus non parcens omnem adhibuit diligentiam, curam omnem impendit, ut quo contendebant pervenirent; ſermones & colloquia, queis eos frequenter docebat, & adhortabatur, ita pietate, & dulci quadam Spiritus ſuavitate condiebat, ut tamen doctrinæ veritas & ſoliditas non deſiderarentur. Teſtes ſunt plerique Eccleſiaſtici viri, qui eum audierunt, quique ſe beatos & felices dicunt, quia ejus manibus dedolatos, & adhuc memoria recolunt audita, quæ ad Clericorum in Semi-

nariis

nariis degentium utilitatem & bonum colligi, ac typis edi deſiderarent.

Superior, & Præſes conſtitutus ſubditos ſapienter ſuaviterque moderabatur; eorum ingenium, indolem, affectus rimabatur, & ſcrutabatur, ut unicuique quæ aptiſſima noviſſet vitæ ſancte traducendæ documenta ſuggereret. Propoſiti tenax, ſed ſine pertinacia, in officio eos continebat amore & humanitate potius, quam vi & poteſtate, & eccleſiaſticum ſpiritum in ſuo Collegio imperterrite, & ſedulo cuſtodiebat, fovebatque, & ne ullo pacto tepeſceret ac minueretur, vigilabat attente. Dum illi, quibus præerat, & quorum veluti tutelaris Angelus curam gerebat, neceſſariæ quieti indulgebant & ſomno, ipſe vigil orationi & ſtudio vacabat. Primo aſpectu ſevera facie, & torvus vultu videbatur, ac in ſermone parcus ac gravis, at ſub rudi illo cortice non diu latebat præſtans animus, qui confeſtim loquendi ſuavitate, comitate, & urbanitate prodibat, & quos vultus ſeveritate terrebat, poſtea eloquii dulcedine, & affabilitate mulcebat; hinc & reverentiam ſibi conciliabat, & amorem. Superioris auctoritatem quotieſcumque opus erat imperandi ſuavitate temperabat. Suos inceſſu oculiſque modeſtiam edocebat, exemplo magis, quam verbis jubebat, & ſuis virtutibus, ac exemplo efficacius quam reprehenſione errores corrigebat.

Tot licet miniſteriis inceſſanter & ſucceſſive defatigatus novos tamen ſubire labores ad animarum ſalutem non recuſavit. Obierat Menſe Decembri anni 1733. ejus Genitrix, quam adhuc deflebat, cum inſperato Superior eligitur Cœnobii Filiarum S. Geneveſæ, quæ vulgatiori vocabulo Miramiones dicuntur, deſumpto nomine ab illuſtri Fœmina Miramiona, quæ puellas illas aliis a ſe collectis Virginibus a *Sancta Familia* nuncupatis conjunxerat. Electionem hanc, quæ anno 1734. Menſe Aprilis contigit, dum ipſe trigeſimum octavum ſuæ vitæ annum decurrebat, ægre primo tulit, & onus

Gynecæi Virginum S. Geneveſæ Superior eligitur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

detrectabat: verum repetitis precibus commotus Dominum rogavit, ut quid ab eo vellet, clementer ſua illuſtratione patefaceret, ratuſque in Superiorum ſuorum juſſionibus Dei nutum, & voluntatem pateſcere, demandatum onus & Præſulatum ſuſcepit. Virgines Gynecæi S. Geneveſæ maximum ſibi a Deo collatum beneficium agnovere, novoque Superiori lubenti animo ſe ſubmiſere; ipſe vero viciſſim eas regere ac moderari aggreſſus eſt ea prudentia, ſuavitate, & ſtudio, queis & erga alios uſus fuerat. Vigilantis Paſtoris, & amantiſſimi Patris munia omnia implevit. Regularis diſciplinæ promotor, eam ſumma cura cuſtodire ſatagebat, omnia etiam minutiora ſcrutabatur, in leviores defectus leni ſeveritate animadvertebat, abuſus ne irreperent, vigilabat, & ſi qui irrepſerant eliminabat, pias ſubinductas conſuetudines & uſus fovebat, Sororibus & voce & ſcripto ſalutaria ſuppeditabat monita & documenta eorum ſpiritui accommodatiſſima, ſæpe ſæpius ſingulas privatim alloquebatur, ut omnes ad perfectionis iter vel ingrediendum, vel conſtanter colendum accenderet. Haud raro colloquiis etiam, & ſermonibus palam docebat, & hortabatur, quibus ſuſcepti ſtatus officia & munia explicabat, ad humilem, & in Chriſto abſconditam vitam impellebat, etiam in modicis fidelitatem & obedientiam inculcabat, omnes denique ſive majores, ſive minores, & infimas quoque famulas pari manſuetudine & humanitate alloquebatur, & audiebat. In privatis collocutionibus temporis menſuram neceſſitas & utilitas definiebant, & licet fervidioris eſſet ingenii, numquam tamen vel leve illi excidit verbum, quo vel minimam ex Sororibus læderet; Charitas enim & affectibus ſuis, & verbis, & reprehenſionibus dominabatur; & ſi quando duriori aliqua objurgatione, vel in propoſito firmitate opus eſſe arbitrabatur, fuſis ad Deum precibus lumen ad verum dignoſcendum poſtulabat, & agnita Dei voluntate & beneplacito in inceptis & conſtitutis ita ſtabat immotus, ut nullo pacto a propoſito

vel

vel divelli, vel dimoveri pateretur. Grave quidem & oneroſum nimis hoc munus experiebatur, verum fervens ſalutis animarum & divinæ gloriæ ſtudium laborem ſuavem reddebat & dulcem, ac ne illum abjiceret, illa præſtabat patientia & fortitudo, quæ præfato ſtudio reſpondebat. Licet nihil odiſſet magis, quam tempus, cujus pretium agnoſcebat, in futilibus colloquiis, multoque magis inutilibus terere, nihilo tamen ſecius rudiores, vel ſcrupulis & angoribus vexatas Sorores patientiſſime audiebat, eorum infirmitatibus ſeſe attemperabat, & cum ipſis quodammodo infirmabatur. Monita, conſilia, reſponſa ſemper aperta, clara, patentia ſuppeditabat, & ſi quod vellet, non ſtatim intelligebant, non ideo indignabatur, ſed quæcumque reponere vel objicere poſſent, aut ſcirent, benigne audiebat, placideque reſpondens diſſolvebat. Ita vero ſpirituali regimini vigilabat, ut tamen nec temporalia beneficia aut negligeret, aut denegaret. Omnium expenſarum rationes diligentiſſime ſcrutabatur, & ſupputabat, prudenti œconomia Monaſterii bona diſtributa volebat, quin tamen Sororibus ſive bene valentibus ſive infirmis ex neceſſariis quidquam deeſſet, dum interim ſibi omnia illa denegabat, quæ Pœnitentiæ ſtudium, & Paupertatis amor tamquam ſuperflua, vel minus neceſſaria ſuadebant.

Altero hujus Præſulatus anno, videlicet 1737. Archiepiſcopus Pariſienſis Vintimilia perſpectis ejus prudentia, doctrina, & meritis inter ſuos Vicarios Generales adnumeravit, pluraque & quidem magni momenti negotia commendavit, quæ labores ejus non modicum auxere, queis tandem fractus ſuccubuit; attritus etiam jugi ſui corporis mortificatione, jejuniis, vigiliis ita ægrotaverat, ut non amplius ad Superioris Filiarum Sanctæ Geneveſæ munia implenda ſibi vires ſuppeterent. De eo itaque munere dimittendo, expletis jam duodecim annis, cœpit cogitare. Cum captum conſilium perſenſere Collegii Virgines, vix dici poteſt, quanto mœrore & triſtitia affectæ fuerint, quippe quæ optime noverant,

Vicarius generalis Pariſienſis eligitur.

verant, quantum damni in ejus diſceſſu paterentur, in quo omnia omnibus facto omnia perdebant; precibus, lacrymis, adjurationibus ne ſe deſereret inſtanter pulſarunt; at cum id peterent, quod fieri nequaquam poterat, neceſſitati cedere ſunt compulſæ, & Tricaletius nonniſi mœrens ab eis diſceſſit, quas ſemper poſtea corde altius impreſſas geſtavit, & amore vere paterno proſecutus eſt, & viciſſim Virgines ſemper illum ceu Parentem veneratæ ſunt, ejus conſilia in difficilioribus negotiis poſtulantes, & amplectentes, & quoad vixit ſinceræ dilectionis, & grati animi argumenta præbere non deſtiterunt.

Chevrolatii elogium. Munere Vicarii Generalis in Pariſienſi Diœceſi fungebatur Tricaletius, quando obiit Joannes Chevrolatius Diœceſis Lingonienſis, Præfectus Collegii S. Nicolai, non minus virtutibus, & animi dotibus, quam ſcientia & eruditione clarus. Ejus obitus Confratres ſuos, & Concives omnes, quorum ſibi amorem, & exiſtimationem conciliaverat, lacrymis, triſtitia, & mœrore cumulavit. Rexerat piiſſimus Vir primum Laudunenſe Seminarium ſumma prudentia, & virtutibus exornaverat, deinde Lutetiam accitus eximii animi ſui dotibus, & ornamentis inclaruit, bis propterea, annis ſcilicet 1732., & 1735. in S. Nicolai Collegio ſuperiori loco conſtitutus fuit, orationi & ſolitudini addictus modeſtia & ſuavitate, quibus præcellebat, omnium corda rapiebat, in lege Domini edoctus, Charitate in proximos eximius, ſalutis animarum ſtudioſiſſimus plurimis cujuſcumque ſtatus, & conditionis hominibus mirum in modum profuit, ac adjumento fuit, Eccleſiaſticis præſertim Viris, quibus præerat, apprime carus acceptuſque, ejus tamen laus peculiaris & propria ea erat animos anxietate & ſcrupulis divexatos conſolari & levare. Potuiſſet quidem & in humanis diſciplinis excellere, queis ſummopere delectabatur, verum Theologiæ, Juriſque Canonici ſtudia, conditioni & vocationi ſuæ aptiora magis & opportuniora, præferenda putavit, a lucris, & terrenis emolu-

molumentis abhorruit, ſemper invicta patientia & fortitudine communitus, plures tum interiores, tum exteriores tribulationes, queis illum divina Providentia divexatum voluit, ſumma animi demiſſione toleravit, humilis ac modeſtus ſe in domo Domini noviſſimum ſemper putavit, licet alii, ut in ſublimioribus Eccleſiæ gradibus collocaretur, dignum exiſtimarent, & prædicarent. Eximiis hiſce animi ſui ornamentis quamplures illecti illum conveniebant, ſeu potius ad illum rapiebantur, cui ſecreta conſcientiæ arcana pandere, ejus documentis inſtrui, conſiliis juvari, & regi concupiebant, & flagitabant; deflevere proinde abundantioribus lacrymis orbitatem ſuam, & Parentis optimi jacturam, cum illum ſibi morte ereptum audierunt. Præ cæteris tamen acerbius indoluit celſiſſima Aurelianienſis Duciſſa, cui ſex poſtremis vitæ ſuæ annis a Confeſſionibus fuit. Regalis hæc Princeps pietate magis ac virtutibus, quam nobilitate, & ſanguine clara tanti Viri jacturam deflevit, eumque Deo offerens, ejuſque voluntati ſe ſubmittens, enixe ab eo expoſcebat, ut ſibi de Viro provideret juxta cor ſuum, quique deperditi animæ ſuæ Moderatoris jacturam ſarciret, dum illi, Deo inſpirante, in mentem venit Tricaletius, quem audierat pari omnino ſcientia, prudentia, & pietate præditum, illumque confeſtim ſibi Moderatorem delegit, ac electionis ſuæ utilitatem experimento comprobavit. Beneficio Abbatiali donandum cenſuit, quod tamen ut acceptaret conſequi minime potuit, quippe qui terrenas divitias contemnens ſolam Dei gloriam ſitiebat, & animarum ſalutem exoptabat. Hac occaſione, & quotidianis cum Duciſſa colloquiis innotuit etiam Celſiſſimo Aurelianenſi Principi nuper e vivis erepto (cujus eximiæ regii animi dotes, & ſplendidiſſima ornamenta totum Galliarum Regnum in ſui admirationem rapuere, ejuſque acerbum funus luget adhuc, æternumque lugebit) qui illum & humaniſſimis litteris honeſtare, & aliquoties etiam adire dignatus eſt.

Sereniſſima Dux Aurelianenſis Tricaletium a Confeſſionibus eligit.

In-

Tricaletium conſuluit Celſiſſimus Dux Aurelianenſis.

Inviſit autem aliquando de negotio pertractaturus maximi quidem momenti, cujus præſtantia, & feliciſſimus exitus famam & exiſtimationem tum Celſiſſimi Principis, tum Tricaletii ejus Conſiliarii mirum in modum adauxit, cujus propterea narrationem ſilentio præterire nec poſſumus, nec debemus. E vivis exceſſerat anno 1742. Hiſpaniarum Regina Ducis Aurelianenſis Soror. Ex ejus obitu litem momentoſam inter præfatum Ducem, & Regiam ejus Matrem habendam plurimi pertimeſcebant. Arbitrabatur Celſiſſimus Princeps & jura, & juſtitiam pro ſe ſtare; at ne ſibi victoriam tribueret, ſumma reverentia, & eximius erga Parentem amor impediebant. In hac conflictatione conſtitutus Tricaletium tunc in parvo S. Nicolai Collegio commorantem convenit, quem non prævie commonefactum, potione medica eo die valetudinem curantem comperiit. Sed Princeps, qui pedibus a S. Genevefæ Palatio venerat, hoc noluit eſſe impedimento, quin admitteretur. In Cellulam Religioſi Viri introductus adventus ſui cauſam patefecit, negotium accurate expoſuit, judicium & ſententiam poſtulavit, quam licet ſibi minime faventem non detrectaturum pollicitus eſt. Omnibus attente auditis, & mature perpenſis, Tricaletius tam clare, dilucide, ſapienterque ſententiam ſuam pronuntiavit, totumque negotium diremit, ut confeſtim omnes Principis dubitationes, & ambages diſſipaverit, qui illico acquieſcens ad Parentem convolavit, eam de inito conſilio, & de ſententia certiorem facturus, & ita breviſſimo dimidiæ horæ ſpatio, ſapientis prudentiſque Sacerdotis judicio, & Celſiſſimi Principis recti juſtique amantis & ab omni pertinacia abhorrentis docilitate inita concordia fuit, & vitiligationi momentoſæ inter Parentem, & Filium tantæ dignitatis, & pietatis, aditus omnino præcluſus, majori poſtea ab utriſque in pretio habitus Tricaletius. Immo & ipſa Galliarum Regina de ipſo ſemper honorificentiſſime ſenſit, ac ceu de Viro omni veneratione digno loquebatur, acceptoque de ejus

obi-

obitu nuntio, ſe de tanti Viri funere condolere, opera pientiſſimæ ac nobiliſſimæ Matronæ, teſtatum voluit.

Nec diminuta ejus fama, & apud omnes exiſtimatio etiam tunc, cum gravioribus jam invaleſcentibus morbis in Villa Judaica Lutetiæ proxima, ubi Religioſi Viri S. Nicolai domum & hoſpitium habent, quietem & ſeceſſum quæſivit: ejus ſiquidem abſentia ſui deſiderium auxit, famam & exiſtimationem non minuit. Ipſum ibi deliteſcentem non ſemel adjere Beaumontius Pariſienſis Archiepiſcopus, Ambianenſis Epiſcopus, aliique nobiliores Præſules, plureſque tum pietate, tum ſapientia celebriores Viri; qui vero coram adire nequibant, Epiſtolis conſilia, & monita expoſcebant, ex quorum numero illi præcipue erant, qui prius ab ejus regimine & nutu pendere conſueverant; omnibus reſpondebat amantiſſimis litteris, quæque eorum ſaluti opportuna dignoſcebat ſive monita, ſive præcepta, prudentiſſime impertiebatur. Plures ex his Epiſtolis etiam ſua manu exaratis videre, ac legere contigit, in quibus eximium pietatis, & Religionis ſtndium, curam, & ſolicitudinem, queis animarum ſalutem procurabat, & præ cæteris flagrantiſſimam charitatem, qua totus accendebatur, & qua præcipue eniteſcebat, deprehendimus; perſpeximus etiam in illis præſertim ad Sororem datis, maximam in fide firmitatem atque conſtantiam, omnimodam terrenarum rerum, & præſertim ſui ipſius abdicationem, cæleſtium deſiderium, & perfectionis ſtudium. Et quoniam de Tricaletii Sorore incidit mentio, pauca de illa dicenda ſunt. Hæc ſiquidem, quæ diutius in ſæculo conſtituta pompas muliebres, & Mundi oblectamenta quæſierat, & dilexerat, tandem cæleſti colluſtrata lumine eorum vanitatem oſtendente, a ſe abjecit, & ſolitudinem, qua Deo & ſibi viveret, anxie quærebat. Verum cum de loco ambigeret, Fratrem conſuluit, ejuſque verba & conſilia ceu divinæ voluntatis oracula ſuſcepit ac amplexata eſt. In Monaſterium itaque Monialium Divione ſub regula S. Dominici, non

Ruri ſe abdit.

qui-

quidem religioſum amplexa inſtitutum, ſed contubernalis & hoſpes ſe abdidit, atque in eo ſanctiſſime vixit, & non ſine ſanctitatis ſama obiit. Superius indicavimus vitæ, ac virtutum hujus pientiſſimæ Fœminæ Breviarium, in quo plures utriuſque, Fratris ſcilicet & Sororis invicem datæ Epiſtolæ inſertæ leguntur typis Pariſienſibus prodiiſſe; libellum hunc vidit Tricaletius, & a Monialibus Divionenſibus exaratum non dubitavit, verum licet ab illo legi adprobarique expetierint, obtinere tamen nequiverunt, nec ut typis ederetur conſenſit umquam, veritus ne in Sororis virtutibus vulgandis gloriolam aucupari videretur, adeo a quocumque ſuperbiæ ſeu inanis gloriæ afflatu abhorrebat: gaudebat quidem & lætabatur de mirabilibus, quæ Dei gratia in ipſa, & per ipſam operata erat (*a*), & ſimilia ſibi chariſmata & expetebat & precabatur, at laudare refugiebat, verebatur ſiquidem ne commendaretur quaſi qui non modicam habuiſſe partem crederetur in iis promovendis virtutibus, quæ ad ſanctitatis faſtigium mulierem tam arcto ſanguinis vinculo ſibi copulatam evexerant; quam animi modeſtiam & humilitatem ſua providentia Deus adprobaſſe viſus eſt, ſiquidem opuſculum illud in lucem prodire non potuit, niſi poſt aliquot ab ejus obitu dies, ut in Præfatione notatur. De obitu Sororis, licet & conſtantia præditus & fortitudine, non ſine ſenſu mœroris nuntium accepit.

Hoſpitiolo, quod incolebat, proximum erat Noſocomium

(a) S. Auguſtinus lib. de gratia, & liber. arbitr. cap. 5. num. 12. ſic habet: „ Continuo cum dixiſſet Apoſtolus (1. *Corinth.* 15. *v.* 10.) „ gratia ejus in me vacua non fuit; ſed plus omnibus laboravi, ſubjunxit, atque ait, non ego, ſed gratia Dei mecum, ideſt non ſolus, „ ſed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe „ ſolus, ſed gratia Dei cum illo ". Verum ne quis ſuſpicaretur, æquales eſſe & gratiæ & voluntatis humanæ partes, ſubdit; „ Ut autem „ de cælo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima converſione converteretur, Gratia Dei erat SOLA, quia merita ejus erant magna, ſed „ mala ".

mium Necetrecenſe, quamobrem facile illi innotuit hujuſce hoſpitalis domus miſeranda conditio, & pauperum inibi degentium deplorandus ſtatus. Miſerationis ſenſu commota ſunt viſcera ejus, & pro viribus miſellis illis vitam tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus ærumnarum plenam agentibus auxiliari aliquo pacto curavit. Commiſerationis ſuæ ſenſus pandit in Epiſtola ad Amicum data, qua ſic ſcribit: „ Jamdiu commiſeratione commoveor infelicem perſpiciens conditionem & „ ſtatum, in quo plures Infirmi, & Pauperes hujus Ne„ cetrecenſis Valetudinarii per multos annos, imo & to„ to ferme vitæ tempore verſantur. Supra tercenti ini„ bi collecti commorantur, quilibet anguſtiſſimo coar„ ctatus cubiculo, igne, lucerna, & quocumque leva„ mine deſtitutus, & quod pejus eſt, neminem habent, „ qui eos de ſpiritualibus inſtruat, conſoletur, admo„ neat. Sacrificio quoque Miſſæ deſtituuntur, cujus au„ diendæ ſignum non datur, niſi quando Sacerdos eſt „ conſcenſurus Altare. Proh dolor! Nonne infelices hi „ potiori digni ſunt commiſeratione, ſive ea quæ ad „ corporis, ſive quæ ad animæ curam pertinent, reſpi„ ciamus, præ Idololatris illis, ad quos juvandos ex„ tremos orbis terminos adire non pertimeſcimus? Non„ ne & aliquod auxilium & levamen eſt iſtis quoque „ quærendum? De hoc negotio verbum habeas velim „ cum Patribus Jeſuitis, & præſertim cum Patre Du„ pleſſio. Optarem ex eorum Domo Profeſſa aliquem „ ex illis deputari, qui iſtorum Pauperum curam ge„ rat, inviſat, conſoletur, doceat, & Confeſſiones ex„ cipiat, in aliquo manuali opere exerceat, ac libros „ ſuppeditet. Inter factu impoſſibilia quod ſuggero con„ numerandum non puto. Interim hoc munus deman„ dari poſſet alicui ex Religioſis proximioris Cœnobii, „ ſive cuilibet alteri Religioſo Viro convenienti con„ ſtituta mercede. Si conſilium adprobas, & ſanctum „ hoc Opus perfici poſſe arbitraris, adeundus & conſu„ lendus Archiepiſcopus Pariſienſis “.

Dum

Dum tamen Tricaletius ita pauperum ærumnis & malis miſerebatur, ſuorum malorum oblitus videbatur, nec ſui miſereſcebat, licet integro quindecim annorum ſpatio malis & infirmitatibus, & quidem atrocioribus, fuerit divexatus. Doloribus inceſſanter diu noctuque acutiſſimis torquebatur, & in lectulo immobilis veluti clavis confixus detinebatur. Pertinaciſſimi rheumatis modo ad pectus, modo ad caput affluxu, convulſionibus, nervorum tenſionibus diſcruciabatur, ac tanto aliquoties languore ac debilitate ſingula membra occupabantur, ut vivere ac reſpirare vix poſſet; quamobrem nec Amicorum, nec Confratrum ſocietate levari, nec eos colloquendi, aut ſaltem colloquentes audiendi brevi ſolatio frui poterat, ſicut nec adeuntes Amicos recipere, aut alloqui conceſſum. Hæ tamen ſui corporis ægritudines & cruciatus, ne fidelis Dei Famulus quodlibet vel breviſſimum temporis ſpatium præterlabi ſine fructu pateretur, nequaquam obſtitere. Poſtremos octo vitæ ſuæ annos irrequietus, vel in in ſuis cruciatibus & doloribus patientiſſime tolerandis, vel in libris contexendis inſumpſit. Licet viribus & corporis membris plane deſtitutus, mente tamen & ſpiritu ſemper valuit, & ille, qui ſanus & proſpera fruens valetudine pene ſibi ſoli vixerat, nec niſi paucorum ſaluti & regimini vacaverat, poſtea morbis & doloribus pene obrutus Amanuenſis ſine manibus (*a*) opera uſus plurium librorum & qui-

(a) Non ſatis divinæ providentiæ opera mirari & extollere valemus. Quis enim Tricaletii volumina legens arbitrabitur, ea ab homine infirmitatibus confecto, qui nec per quadrantem horæ ſermonem protrahere poterat, prodiiſſe, nec non ab homine manco, ſcilicet utraque manu carente, exſcripta fuiſſe? Admirandus hic ſine manibus Amanuenſis nonniſi brachiorum truncis ſcribebat, eiſque tam dextere utebatur, ut & calamos ſibi aptaret. Hinc compertum fiet, humana induſtria alicujus membri carentiam aliorum uſu & opera poſſe ſuppleri. Miſellus hic in Caſtro Vincenſtri commorans quotidie Villam Judaicam petebat Tricaletium conveniens, a quo unde victum ſibi compararet, conſequebatur.

& quidem maximæ utilitatis factus eſt auctor. Horum ſyllabum hic exhibemus (*a*).

Synopſis Tractatus de Amore Dei a S. Franciſco Saleſio conſcripti Pariſiis in 12. typis Guerini & a Turre paginis 256. In hoc Opuſculo doctrinas omnes, dicta, ſententias in Tractatu de Amore Dei conſcripto a S. Genevenſi Epiſcopo comprehenſas collegit, ac uno verborum tenore complexus eſt. Laudanda in hac Synopſi ſententiarum delectus, ſermonis tenor, & coordinatio, nec non mentis & doctrinæ S. Franciſci Saleſii clara expoſitio (*b*).

2. *Bibliotheca Manualis* (ſive portatilis) *Patrum Eccleſiæ complectens* 1. *Eorum Vitæ & Geſtorum Breviarium*. 2. *Operum præcipuorum Analyſim*. 3. *Illuſtriora teſtimonia*, *Dogmata*, *Mores*, *Diſciplinam ſpectantia*. 4. *Selecta Vitæ Spiritualis documenta*. Pariſiis typis Lottini ſenioris ab anno 1758. uſque ad annum 1762., novem Voluminibus in 8. comprehenſa, quorum quodlibet 700. circiter pagellis conſtat. Poſtrema Volumina impreſſa videre non potuit Auctor. Obiit enim dum extremam manum huic tam utili ſcriptioni admovebat. Quale fuerit P. Berthierii de hoc Opere judicium, quod cæteri Lectores adoptarunt, audiamus. „ Conſiderate „ (inquit) virum ſibi ob oculos poſitis Hiſtoria Ec- „ cleſiaſtica Fleurii, Collectionibus Dupinii, Ceillerii, „ aliorumque complurium Bibliographorum, Bibliothe- „ cam, Compendium, & Synopſim præcipuorum Eccle- „ ſiæ Patrum concinnare & contexere molientem, &

„ ag-

(a) Omnes litterariarum Ephemeridum Scriptores Operum iſtorum nonniſi cum laude meminere. Abbas Aubertus in notitia, & relationibus Pariſienſibus; Meunierius de Querlon in notitia & relationibus Provincialibus; D. Aquinius in hebdomadali Cenſura. Sed præ cæteris fuſius diſſeruere Berthierius in Diurnali Trevoltiano, & Abbas Joannetus in Diurnali Chriſtiano. Horum poſtremorum elogia, & exaratam Synopſim citaſſe ſufficiat.

(b) In Memor. Trevolt. Novemb. 1755. p. 2867. Diurnalis Chriſtianus 1756. p. 249.

„ aggredientem. Scriptor iſte ſi criterio careat, procul „ dubio autographa dum breviare tentat, peſſundabit, „ cuncta ſuſdeſque vertet, ſeligenda præteribit, prætereunda ſeliget, rerum doctrinarumque ſeriem, & ordinem turbabit, Patres inepte, abjecte fortaſſis & inſcite loquentes inducet. At non ita Tricaletius. Optimo donatus criterio & vir emunctæ naris quæ ſeligenda, quæ notanda, quæ explananda forent, probe noverat. Libros & ex proprio penu contexere ſciebat. Abbreviator acutus, compilator prudens & ſagax, exſcriptor ingenii plane ſingularis, nec meliora ſeligere, nec aptius contexere poterat. Spiritualis ab eo collecta vitæ documenta, quibus cujuſque Patris Synopſim coronat, utilia quam maxime ſunt Eccleſiaſticis Viris, Sacris Concionatoribus, animarum Moderatoribus, & cunctis denique Chriſtifidelibus, quippe qui tutiſſimas inibi nanciſcuntur regulas, præcepta, documenta ad probe inſtituendam vitam moreſque ſuos, quemcumque delegerint ſtatum " (*a*).

3. *Hiſtoricum Breviarium de Vita Chriſti, ejuſque doctrina, & miraculis, nec non Eccleſiæ exordiis; additis Animadverſionibus, & ſelectis obſervationibus Religionem & Infidelitatem ſpectantibus.* Pariſiis typis Lottini ſenioris in 12. pagellis conſtat 232. Hocce Opuſculum ad fideles in fide confirmandos, & ab incredulitate arcendos inſtitutum Chriſtianæ Reipublicæ ſplendidiſſimam exhibet imaginem ab eximia hiſtoria univerſali clariſſimi Boſſueti deſumptam, pluribus SS. Auguſtini & Chryſoſtomi teſtimoniis illuſtratum, additis animadverſionibus, quæ conſectaria ex veritatibus Fidei expo-

(a) Memoriæ Trevoltianæ 1759. Januar. p. 316. Auguſt. p. 1982. 1760. Mart. p. 660. Aug. p. 2097. Decemb. p. 2907. 1761. Aprilis p. 105. 1762. Febr. p. 521. Diurnale Chriſtianum 1759. Januar. p. 31. Auguſt. p. 122. Decemb. p. 176. 1760. Jun. p. 187. Novemb. p. 24. 1761. Auguſt. p. 27. Maji p. 27. Octob. p. 7. Novemb. p. 3. Decembr. p. 3. 1762. Januar. p. 3.

exponunt, & quænam ſunt ad praxim deducenda, explicant. In calce plurium Auctorum, qui in Chriſtianæ Religionis defenſionem, & adverſus Infidelitatem ſcripſere, dicta & adnotationes colliguntur.

4. *Annus ſpiritualis complectens quotidiana exercitia ad pietatem in chriſtiano corde fovendam ordinata*, Galliarum Reginæ dicatus. Pariſiis typis Lottini ſenioris 1760. tribus Voluminibus brevioris moduli, quorum ſingula 600. complectuntur pagellas in 12. Hoc Opuſculo continentur 1. Manuductio Chriſtiana, ideſt preces matutinæ, veſpertinæque, & in Miſſa recitandæ, nec non inſtructiones & preces ad Sacram Synaxim. 2. Officiolum ex Pſalmorum verſiculis contextum pro ſingulis hebdomadæ diebus a Prima uſque ad Completorium. 3. Quotidiana exercitia, & quotidianæ lectiones ex Sacra Scriptura, libello de Imitatione Chriſti, Operibus Spiritualibus S. Franciſci Saleſii, ac Domini De Fenelon Archiepiſcopi Cameracenſis excerptæ. Dedicatum fuit hoc Opuſculum Galliarum Reginæ, quæ illud acceptare dedignata non eſt, ac dum oblatum exemplar accepit, ita Auctorem commendavit, ut religioſiſſimi viri elogium ſit complexa.

5. *Breviarium Operis de exercitio Chriſtianæ Perfectionis a P. Alphonſo Rodriquez Hiſpano compoſiti*: Pariſiis typis Guerini & a Turre anno 1762. Duo complectitur volumina in 12. In hoc libro eamdem ſervat methodum, quam in compendio Tractatus de Dei Amore S. Franciſci Saleſii notavimus.

6. *Chriſtiani Libellus complectens omnia & ſcienda, & implenda a chriſtiano viro ad Religionem pertinentia.* Pariſiis typis Lottini ſenioris 1762. pagellis conſtat 580. in 18. Opus poſthumum in titulo dicitur.

Pius, & indefeſſus Auctor Opus etiam moliebatur hoc titulo donandum: *Collectio ſpiritualium lectionum pro ſingulis totius anni diebus*. Fructus ſane erat ſuæ quotidianæ lectionis, & cum foret vir optimi criterii, cui & cor ſapiebat & palatum, proculdubio optima & præ-

præſtantiſſima complexus eſſet; at mors invida ad umbilicum perducere haud conceſſit.

Omnia tamen hæc Opera gallica lingua conſcripta ſunt, an in aliam translata mihi incompertum.

Ex prælo propediem prodire debebat Bibliothecæ Patrum Tomus Septimus, quando Auctor ſuorum dolorum & ægritudinum finem, & beatæ æternitatis initium ſibi imminere cognovit. Ea qua pollebat fide & pietate diem hanc hilaris ac gaudens, ceu Filius, qui Patris præſtolatur adventum, aſpexit. Sacramenta ſumma charitate, ac contritione, & demiſſiſſima humilitate expetivit & ſuſcepit, obdormivitque in Domino Sabbato pridie Kal. Novembris 1762. circa meridiem, annum agens ſexageſimum ſextum, ſepultus inſequenti die Omnibus Sanctis ſacra ſub veſperas in cœmeterio Parochialis Eccleſiæ Villæ Judaicæ, ubi Eccleſiaſtici viri, qui eam incolunt domum, humari ſolent. Funebria juſta ornavit magnus incolarum concurſus, quos & beneficiis cumulaverat, & ſanctis operibus inſtruxerat.

Vix obitus fama pervagata eſt, publica concione pluribus in locis ejus celebratæ fuerunt laudes. Dominus Hilarius Doctor Domus ac Univerſitatis Sorbonicæ & Parochus S. Nicolai ſequenti die tanti viri obitum nuntiavit plebi ſuæ in Parochiali Concione: idem officium præſtitit unus ex Seminarii Rectoribus in Villa Judaica, ac uterque ejus virtutes, & merita condignis præconiis celebrarunt. Revera quid laudabilius in viro, & quid rarius in mundo quam pietas & modeſtia ſummis animi dotibus & ornamentis copulatæ, contemptus ſui cum ſumma omnium exiſtimatione conjunctus, invicta patientia, & animi robur in doloribus, & ægritudinibus eo atrocioribus, quo diuturnioribus? Merito proinde tantum virum proſecuti ſunt laudibus, qui omnia hæc naturæ & gratiæ decora, & ornamenta in ſe complectebatur. Omnibus, qui eum noverunt, notum compertumque eſt, in ea nominis celebritate, quam ſibi virtutibus, ſanctiſque operibus comparaverat, abje-

ctiſſime

ctiſſime ſemper de ſe ſenſiſſe, & cordis humilitatem ſuique contemptum raro exemplo cuſtodiviſſe, ſcientia & eruditione pro ſtatus ſui conditione affatim locupletatum, nequaquam inflatum pietatem coluiſſe, & tenerrima devotione cumulaſſe, morbos denique, ægritudines, languores & acerbiores & diuturniores invicta animi patientia & fortitudine ſuperaſſe. His de tanto viro compendioſe narratis ſupervacaneum arbitramur voluminum ſuorum lectionem commendare. Quiſquis ea evolverit, uberem procul dubio fructum reportabit. Viri ſiquidem Eccleſiæ ſervitio adſcripti ad ſe erudiendos, alioſque edocendos opportuna documenta reperient; cæteri vero fideles Chriſtianæ quam profitentur Religionis doctrinam haurient, & deſiderio ejus præcepta diligendi, ac fideliter cuſtodiendi accendentur.

IN HOC

PRIORI TOMO

SEQUENTES CONTINENTUR

ECCLESIÆ PATRES

S. Ignatius Martyr. pag. 1

S. Justinus Martyr. 21

S. Irenæus Martyr. 43

S. Clemens Alexandrinus. 61

Tertullianus. 93

Origenes. 144

S. Cyprianus Martyr. 177

Eusebius Cæsariensis. 209

S. Athanasius Episcopus. 261

S. Hilarius Episcopus. 222

TABULA

CAPITUM, ARTICULORUM, ET SUMMARIORUM

HUJUS PRIORIS VOLUMINIS.

PETRI *Tricaletii hujus Bibliothecæ Auctoris vita.* pag. IX

CAPUT I.

S. Ignatius Apoſtolorum Diſcipulus, Antiochiæ Epiſcopus, & Martyr.

ARTICULUS I.

Ejus Vitæ Breviarium. pag. 1

S. Ignatii Epiſcopatus. ibid.
Martyrii deſiderio flagrat. 2
Confitetur Chriſtum coram Trajano. ibid.
Romam ducitur. ibid.
Martyrio inibi coronatur. 3
Epiſtolarum S. Ignatii numerus. ibid.
Nobiliores Editiones. 4

ARTICULUS II.

Epiſtolarum S. Ignatii analyſis. ibid.

Analyſis epiſtolæ ad Epheſios. ibid.
Analyſis epiſtolæ ad Magneſianos. 6
Analyſis epiſtolæ ad Trallianos. 8
Analyſis epiſtolæ ad Romanos. 9
Analyſis epiſtolæ ad Philadelphios. 11
Analyſis epiſtolæ ad Smyrnenſes. 13
Analyſis epiſtolæ ad Polycarpum. 15
Harum epiſtolarum authentia. 16
Objecta diluuntur. 17

ARTICULUS III.

Selectiora S. Ignatii epiſtolarum documenta, Dogmata, Mores, & Diſciplinam reſpicientia. 18

De Divinitate, & Humanitate Jeſu Chriſti. ibid.
De Perſonarum diſtinctione, & divinæ Naturæ unitate doctrina. ibid.
De Eccleſia, ejuſque Miniſtris. ibid.
De Schiſmate, de Baptiſmo & Euchariſtia. 19
De Fide Prophetarum, & de Sanctorum interceſſione. ibid.

ARTICULUS IV.

S. Ignatii de vita ſpirituali documenta. 20

Perfectionis Fides initium, Caritas finis. ibid.
Euchariſtia pharmacum immortalitatis. ibid.
Martyrii deſiderium. ibid.
Intenſiora patiendi deſideria. ibid.
Mors pro Chriſto omnibus terrenis bonis præferenda. ibid.
Iterum Chriſti totum eſſe deſiderat, & Martyrium ſitit. ibid.
Officia Dominorum, & Servorum. ibid.
Caſtitas humilitati jungenda. ibid.

CAPUT II.

S. Juſtinus, Philoſophus, Martyr, & Doctor Eccleſiæ.

ARTICULUS I.

Vitæ S. Juſtini Breviarium. 21

Nativitas S. Juſtini, ejus patria, & parentes. ibid.
Philoſophiæ primum, dein Scripturis ſtudet. ibid.
Converſionis ſuæ motiva. 22
Martyrium ſubit. ibid.
Opera S. Juſtini quænam. ibid.
Optimæ Editiones. 23
Acta Martyrii. ibid.

ARTICULUS II.

Analyſis Operum præcipuorum S. Juſtini. 24

Prior S. Juſtini Apologia ea eſt, quæ in Editionibus ejus Operum ſecundo ponitur loco. Romæ ſcripta. 25

Ana-

Analyſis hujus Apologiæ. ibid.
Secunda S. Juſtini Apologia. 30
Scripta circa annum Chriſti 167. qua de cauſa. ibid.
Hujus Apologiæ analyſis. 31
Dialogus cum Tryphone. 33
Hujus Dialogi Analyſis. ibid.

ARTICULUS III.

Selectiora S. Juſtini teſtimonia, Dogmata, Mores & Diſciplinam ſpectantia. 40

De Sacra Scriptura. ibid.
De Divinitate, & Incarnatione Verbi. ibid.
De Trinitate Perſonarum in Deo: de finali judicio: & de ſupernaturalibus donis. 41
De natura animæ: quid ejus a corpore ſejunctionem ſequatur: de Regno millenario. ibid.
De immortalitate animæ: de reſurrectione corporum: de libero arbitrio, & gratiæ neceſſitate. 42
De Baptiſmo, & Euchariſtia. ibid.

ARTICULUS IV.

Sententiæ S. Juſtini ad ſpiritualem vitam ſpectantes. ibid.

Qui contraria in Scripturis reperit, eas non intelligit. ibid.
Modus diligendi proximum. ibid.
Mundus Chriſtianis regio extranea. ibid.

CAPUT III.

S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, Eccleſiæ Doctor.

ARTICULUS I.

Ejus Vitæ Breviarium. 43

Ortus S. Irenæi. ibid.
In Gallias miſſus a S. Polycarpo. ibid.
Eccleſias Veſontii, & Valentiæ fundat. ibid.
Ad Victorem Papam ſcribit de celebratione Paſchatis. 44
Martyrium ſubit. ibid.
Operum ejus celebriores Editiones. ibid.

ARTICULUS II.

Analyſis Operum S. Irenæi. 45

Scriptorum ejus occaſio. ibid.
Analyſis Tractatus contra hæreſes. ibid.
Analyſis I. libri. 46
Analyſis II. 47
Analyſis III. 49
Analyſis IV. 52
Analyſis V. 55
Alia S. Irenæi opera. 56

ARTICULUS III.

Præſtantiora S. Irenæi teſtimonia, Dogmata, Mores, & Diſciplinam ſpectantia. 57

Doctrina S. Irenæi de Sacra Scriptura. ibid.
De Eccleſia, & Eccleſiæ Romanæ Primatu. 58
De Trinitatis myſterio. ibid.
De Baptiſmo, Pœnitentia, Euchariſtia, aliiſque, doctrinis. 59

ARTICULUS IV.

Selectiora Vitæ Spiritualis documenta. ibid.

Salus non concedenda niſi innocentibus, vel pœnitentibus in caritate perſeverantibus. ibid.
Rejectis inani ſcientia, & futilibus diſputationibus ſufficit in Jeſum fides, & ejus cognitio. ibid.
Vera fides nonniſi in Eccleſia reperitur, traditione etiam ſolum orali cuſtodita. ibid.
Munera Magorum quid ſignificent. 60
Euchariſtia eſt oblatio Novi Teſtamenti in veteri adumbrata, & prænuntiata. ibid.

CAPUT IV.

Clemens Presbyter Alexandrinus.

ARTICULUS I.

Vitæ S. Clementis Breviarium. 61

Converſio S. Clementis, ejus itinera, & Magiſtri. ibid.
Presbyter eligitur, & Catechiſta Eccleſiæ Alexandrinæ. ibid.

Ejus

Ejus Diſcipuli, & doctrinæ norma. 62
Alexandria diſcedit, & in Cappadociam pergit. ibid.
Ejus elogium. ibid.
Ejus obitus annus incertus. ibid.
Ejuſdem ſcripta, verſiones, & Editiones. 63

ARTICULUS II.

Analyſis Operum Clementis. 65

Analyſis exhortationis ad Græcos. ibid.
Analyſis librorum Pædagogi. 66
Libri I. 67
Libri II. 68
Libri III. 72
Analyſis librorum Stromateon. 74
Libri I. 75
Libri II. ibid.
Libri III. 76
Libri IV. 77
Libri V. 79
Libri VI. 80
Libri VII. 82

ARTICULUS III.

Præſtantiora S. Clementis documenta, Dogmata, Mores, & Diſciplinam reſpicientia. 87

De Sacra Scriptura. ibid.
De Trinitate Perſonarum, & Divinitate Filii, & Spiritus Sancti. ibid.
De natura hominis: libero arbitrio: & gratia. 88
De Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia. ibid.
De Matrimonio, ſecundis Nuptiis, & Virginitate. ibid.

ARTICULUS IV.

Selecta Vitæ ſpiritualis documenta. 90

Dei Bonitas gratuita. ibid.
Verbum Dei præcidit omnes inutiles cupiditates, & inordinatos affectus. ibid.
Divitiarum inutilitas. ibid.
Nimium ſomnum damnat. ibid.
Finis Matrimonii. ibid.
Ornamenta honeſtis fœminis olim vetita. ibid.

Chri-

Chriſtiani quænam veræ divitiæ. ibid.
Eleemoſyna fons perennis. ibid.
Imago familiæ Chriſtianæ. ibid.
Caſtitas ſine caritate inutilis ad ſalutem. 91
Bona voluntas pro bono opere a Deo excipitur. ibid.
Qui majori intelligentia pollet, majus ſubit periculum. ibid.
Holocauſtum figura abdicationis omnium affectuum. ibid.
Mors cupiditatis vita animæ. ibid.
Dei cultus qualis. ibid.
De Deo ſemper cogitandum. ibid.
Oratio eſt cum Deo converſatio. ibid.
Oratio continua, & perfectio caritatis quænam. ibid.
Ubique orandum: Cordis preces cito Deus exaudit. ibid.
De ſolo Deo cogitandum, iſque deſiderandus. ibid.
Veritas quo magis occultatur, & oppugnatur, ſtudioſius exquirenda. ibid.
Notæ veræ Eccleſiæ unitas, & antiquitas. 92

CAPUT V.

Tertullianus Presbyter.

ARTICULUS I.

Tertulliani vitæ Breviarium. 93

Natalis Tertulliani. ibid.
Ad Chriſtum convertitur. ibid.
Uxorem habuit. ibid.
Ordinatus fuit Presbyter. ibid.
Ejus nominis fama. 94
Ejus lapſus. ibid.
Obitus. 95
Operum catalogus. ibid.
De ejus ſtylo, & ſcriptis judicium. ibid.
Nobiliores Editiones. 96

ARTICULUS II.

Analyſis Operum Tertulliani. ibid.

Libri de Baptiſmo. ibid.
De Pœnitentia. 98
De Oratione. 99
Librorum ad Uxorem. ibid.
Analyſis Apologetici. De eo judicium. 101
De ſpectaculis. 114

De

De Idololatria. 115
Ad Martyres, & de cultu fœminarum. 116
De Præſcriptionibus. 117
Analyſis librorum adverſus Marcionem. 123
Adverſus Praxeam. 128
Adverſus Hermogenem. 130
De Anima. ibid.
De Carne Chriſti, & de Reſurrectione Carnis. ibid.

ARTICULUS III.

Præcipua Tertulliani teſtimonia, Doctrinam, Mores, & Diſciplinam ſpectantia. 134

De Scripturarum inſpiratione. ibid.
De Trinitate Perſonarum, & Verbi Divinitate. ibid.
De duabus in Chriſto naturis. ibid.
De natura Dei, & entium ſpiritualium. 135
De animæ immortalitate. ibid.
De neceſſitate gratiæ, utilitate timoris, & de mendacio. 136
De Eccleſia, & de Baptiſmo. ibid.
De Confirmatione. 137
De Euchariſtia, Signo Crucis, & Defunctis. ibid.
Quadrageſimæ jejunium: alia ad libitum. 138
Argumenta diverſi generis. ibid.

ARTICULUS IV.

Tertulliani aſcetica documenta. 139

Chriſtianus Deum timet, non homines. ibid.
Chriſtiani ſignum. 140
Deus ad Pœnitentiam impellit. ibid.
Recidivi Deo injurioſi. ibid.
Peccatorem ad ſe revertentem Deus benigne ſuſcipit. ibid.
Antiquæ Pœnitentiæ ſtylus. ibid.
Ridenda pœnitentia, quæ delicias non abjicit. ibid.
Miſſa uſque ad finem audienda. ibid.
Chriſtiano Mundus eſt inſtar carceris. ibid.
Exemplo Chriſti contemnendæ divitiæ. 141
Cur de morte amicorum non dolendum. ibid.
Pœnitentiæ encomia. ibid.
Adverſus ſpectacula, & theatra. ibid.
Comœdiis Chriſtianis vetitum intereſſe. ibid.
Veræ Chriſtianorum voluptates in hoc ſæculo. 142
Mali Sacerdotes Judæis pejores. ibid.
Mulier Chriſtiana hominibus placere negligit, immo horret. ibid.

Fucos

Fucos adhibere quale crimen. ibid.
Imago mulieris Chriſtianæ. ibid.
Chriſtianus voluptates Mundi fugere debet. ibid.
Adverſus veritatem nulla præſcriptio. ibid.
Non ex Perſonis fides probanda, ſed perſonæ ex fide. ibid.
Non alia quærenda ſcientia, quam Jeſu Chriſti. 143
Corpus Chriſti in Cælo pignus eſt, noſtrum quoque illi jungendum. ibid.
Homo imago Dei per liberum arbitrium. ibid.
Deus amandus ut Pater, timendus ut Dominus. ibid.

CAPUT VI.

Origenes Presbyter, & Confeſſor.

ARTICULUS I.

Origenis Vitæ Breviarium. 144

Infantia, & educatio Origenis. ibid.
Animi ornamenta. ibid.
Catechiſticam Cathedram moderatur. ibid.
Martyrii deſiderium. ibid.
Imprudens facinus. ibid.
Demetrii Epiſcopi Alexandrini invidia. 145
Presbyter Cæſareæ ordinatur. ibid.
In Græciam proficiſcitur, & Beryllum Epiſcopum ab hæreſi revocat. ibid.
Dira ſuſtinuit tormenta pro Chriſti fide. ibid.
Obitus. 146
Præcipua ejus Opera. ibid.
Meliores Editiones. ibid.
Variæ de ejus doctrina Opiniones. ibid.
Origenis errata. ibid.
Ejus Apologia. 148

ARTICULUS II.

Analyſis nonnullorum Origenis Operum. 149

Hexapla. ibid.
Homiliæ, & Commentaria Origenis. 150
Analyſis libri contra Celſum. 153

AR-

ARTICULUS III.

Præſtantiora Origenis documenta, Dogmata, Mores, & Diſciplinam ſpectantia. 164

Origenis de Sacra Scriptura doctrina. 165
De Traditione. ibid.
De Trinitate Perſonarum, & unitate ſubſtantiæ in Deo. 166
De Virginitate S. Mariæ, & quomodo concepit, & peperit. 167
De Angelorum natura, & officiis. 168
De natura animæ, ejuſque poſt obitum corporis ſtatu. ibid.
De Gratia, & libero arbitrio. 169
De peccato originali, & actuali. ibid.
De Eccleſia. 170
De Eccleſiæ Ordinibus. ibid.
De Baptiſmo. 171
De Euchariſtia. 172
De Pœnitentia, & Extrema Unctione. 173
De moralibus quibuſdam doctrinis. ibid.
Hiſtorica Geſta. 174

ARTICULUS IV.

Aſcetica Vitæ ſpiritualis Documenta. 175

Spirituales morbos Deus nos ſentire concedit, ut eorum ſanationem quæramus, & curemus. ibid.
Tunc Deus maxime iraſcitur, cum non punit peccatores. 176
Benefacit nobis Deus puniendo in hac vita. ibid.
Prius evellenda mala, poſtea ſerenda bona. ibid.
Utilis eſt nobis & Dei benignitas, & ſeveritas. ibid.
Per bona opera, & per ſanctas cogitationes filii Dei naſcimur. ibid.
A Majoribus majorem Deus poſtulabit rationem. ibid.
Inutiliter ſe peccatum exuiſſe putat, qui a peccandi occaſione non recedit. ibid.
Qui a Deo partem poſtulat habere cum Sanctis, poſtulat & pati cum illis. ibid.
Deus non deſerit niſi deſerentes. ibid.
Nemo poteſt Deum ſimul, & Mundum diligere. ibid.

CAPUT VII.

S. Cyprianus Eccleſiæ Doctor, Epiſcopus Carthaginenſis, & Martyr.

ARTICULUS I.

Vitæ S. Cypriani Breviarium. 177

Quis fuerit ante converſionem. ibid.
S. Cypriani converſio, & morum mutatio per Baptiſmum. ibid.
Continentiam amplectitur: Bona pauperibus diſtribuit: quæ ſtudia: 178
Varia ſui Epiſcopatus geſta, & eventus. ibid.
A Proconſule interrogatur. 179
Acta Martyrii. ibid.
Ejus libri, & Editiones. ibid.

ARTICULUS II.

Synopſis præcipuorum S. Cypriani Operum.

Tractatus de Unitate Eccleſiæ. 180
Ejus Analyſis. ibid.
Tractatus de lapſis. 183
Ejus Analyſis. ibid.
Tractatus de Oratione Dominica. 186
Ejus Analyſis. 187
Tractatus de eleemoſyna. 190
Ejus Analyſis. ibid.

ARTICULUS III.

Præcipua S. Cypriani teſtimonia, Dogmata, Mores, & Diſciplinam reſpicientia. 192

De Sacra Scriptura. ibid.
De Traditione. ibid.
De Chriſtianæ Religionis veritate: nec non de Unitate, & Trinitate Dei. ibid.
De Incarnatione Verbi: de duplici Chriſti natura, ejuſque mediationis fructu. ibid.
De Sanctorum interceſſione, & Angelorum miniſterio. 193
De variis poſt mortem hominum ſtatibus: & de precibus pro defunctis. ibid.
De peccato originali, & actuali: de neceſſitate, & efficacia gratiæ, ib.

De libero arbitrio. ibid.
De Eccleſia. 194
De Romana Eccleſia. 195
De Epiſcopis. ibid.
De Presbyteris, Diaconis, aliiſque Clericis. 196
De Baptiſmo, & Confirmatione. ibid.
De Euchariſtia. 197
De Pœnitentia. 198
De morum doctrina. 199
De reditibus Eccleſiæ, & eorum uſu: de cura Infirmorum: de decimis, de concordia fidelium. 200
De S. Cypriani mente circa Baptiſmum Hæreticorum. 201
Ejuſdem epiſtola ad S. Stephanum Papam. ibid.

ARTICULUS IV.

Aſcetica Vitæ ſpiritualis documenta. 203

Abundantia, & efficacia gratiæ in corde bene diſpoſito. ibid.
Comœdiæ reprobantur. ibid.
Avari ſtultitia. ibid.
Aſſidua divinæ legis, & promiſſorum meditatio. ibid.
Inobedientia erga Epiſcopos fons malorum in Eccleſia. ibid.
Turpe fugere tribulationes, dum Chriſtus tanta pro nobis paſſus eſt. ib.
Mutua fidelium oratio tum viventium, tum defunctorum. ibid.
Virginitatis nobilitas. 204
Exquiſita ornamenta virginitatis inimica. ibid.
Divitiis ſolum ad ſalutem utendum. ibid.
Ornatus ſollicitudo, & ſtudium ſolum impudicas fœminas decet. ibid.
Fucos deteſtatur. ibid.
Mulierum fucos, & ementitos colores adprobare, earum peccatis communicare eſt. ibid.
Peccatores nimium properam abſolutionem petentes reprehendit. 205
Pœnitentia ſit peccatis proportionata. ibid.
Amanda, & retinenda conſtanter pax Jeſu Chriſti. ibid.
Exilitas fidei exilitatem timoris judiciorum Dei parit. ibid.
Orationis Dominicæ virtus, & efficacia. ibid.
Quid ſit Dei voluntatem facere. ibid.
Euchariſtia Chriſtianorum panis. 206
Longævitas non deſideranda. ibid.
Humilis orationis efficacitas. ibid.
Attentio in oratione neceſſaria, ut exaudiamur. ibid.
De eodem argumento. ibid.
Eleemoſyna inſtar ſacrificii eſt. ibid.
Spes futurorum bonorum ad mala præſentis vitæ toleranda cum gaudio conducit. ibid.

Pœnæ

Pœnæ ad Deum agnoſcendum compellunt. ibid.
Unitas, & magnitudo Dei. ibid.
Mors optanda ceu finis malorum, & diſcriminum vitæ. ibid.
Chriſtianus mortem refugere non debet, qua ad Deum pervenit. ibid.
Optanda mors deſiderio æternæ felicitatis. 207
Multiplicitas filiorum ad eleemoſynas multiplicandas impellere debet. ibid.
Eleemoſynæ utilitas, & præſtantia. ibid.
Salutaris occupatio tentationes amovet. 208
Euchariſtiæ ſumptio mala lenit. ibid.

CAPUT VIII.

Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis in Palæſtina.

ARTICULUS I.

Ejus Vitæ Breviarium. 209

Euſebii ortus. ibid.
Presbyter primum, deinde Epiſcopus conſecratur. ibid.
Arii errores damnavit. ibid.
Pluribus interfuit Conciliis. ibid.
Operum catalogus. ibid.

ARTICULUS II.

Analyſis præcipuorum Euſebii Operum. 210

Analyſis reſponſionis Euſebianæ ad duos Hieroclis libros. ibid.
Libri de Præparatione, & Demonſtratione Evangelica. 214
Specimen librorum de Præparatione, eorumque ſcopus. ibid.
Analyſis. Argumenta Evangelicæ veritatis ex vaticiniis Chriſti. 215
Argumentum aliud ex vaticiniis Judæorum. 216
Anticipata de veritate Religionis Chriſtianæ indicia. ibid.
Gentilium Theologia fabellis referta. 217
Civilem Theologiam Gentium, & eorum Oracula oppugnat. 218
Dæmones, maloſque Genios Oraculorum, Idololatriæ, & Magiæ auctores variis nominibus cultos. 219
Chriſti in Dæmones potentia. 220
Porphyrii celebre hac de re teſtimonium. ibid.
Hebræorum doctrina: nominis etymon: unde a Judæis diſtinguantur. 221
Moſaicæ legis excellentia. 222
Quomodo Judæi Scripturas interpretarentur. ibid.
Paganorum exprobrationes, qui Chriſtianos ajebant Religionem ſuam a Barbaris accepiſſe, diſpelluntur. 223

Demon-

Demonſtrationis Evangelicæ analyſis: Euſebii in ea ſcopus: Nulla Legis Moſaicæ cum Evangelio ſocietas. 224
Fœdus, quod pepigit Deus cum omnibus Gentibus, in Scripturis prænuntiatum, quo ſenſu dicatur novum. 225
Nova lex veteri ſubrogata: Impletum Malachiæ vaticinium: cur legem impleverit Chriſtus. 226
Chriſtus ſuam legem in cordibus Diſcipulorum inſculpſit: ſapiens Apoſtolorum œconomia. Nonnullorum Chriſtianorum ſumma perfectio. 227
Servatæ apud Chriſtianos Virginitatis cauſa: Cur animalia non ſacrificent. ibid.
Vaticinia de Meſſia in Chriſto completa. 228
Evangelicæ Hiſtoriæ veritas, ex quo impoſſibile ſit, Apoſtolos fallere voluiſſe. 229
Vera fuerunt Chriſti miracula Magiæ nullo modo tribuenda. 231
De Verbi natura. 232
Duarum diſtinctio naturarum in Chriſto. ibid.
Quo ſenſu nomen Chriſti, ideſt Uncti, Jeſu conveniat. 233
Prophetarum teſtimonia de generatione, & Divinitate Filii. ibid.
Diſtinctio Perſonarum Patris, & Filii: Filius eſt, qui Patriarchis apparuit. 235
Vaticinium Jacobi de tempore adventus Meſſiæ explicatur. ibid.
Vaticinia de adventu Meſſiæ. ibid.
Vaticinium Jacobi explicatur. ibid.
Danielis hebdomadarum explicatio. 236
Cætera vaticinia in Chriſto impleta. 238
Decem reliqui de Demonſtratione libri deſiderantur. ibid.
Euſebii Chronicon. ibid.
Duplex ejus Editio. 239
Hujus Operis ſcopus. ibid.
Hiſtoriam Eccleſiaſticam contexuit Euſebius. 240
Hujus Hiſtoriæ partitio: quæ in ea pertractet: Methodus ſervata. ibid.
Liber ſecundus. 241
Liber tertius. 243

ARTICULUS III.

Præſtantiora Euſebii documenta, Dogmata, Moralem, & Diſciplinam reſpicientia. 244

De Sacra Scriptura. ibid.
Traditionis pondus, & auctoritas. ibid.
De exiſtentia Dei: ejus idea nobis à natura impreſſa. 245
De Trinitate. ibid.
De hominis natura. ibid.
De peccato originali. 246

De Incarnatione, & duplici in Chriſti natura, ibid.
De Prædeſtinatione, & gratia. 247
De Eccleſia. 248
De Eccleſiaſtica Hierarchia, 249
De Eucharistia. 250
De Baptiſmo. 251
De Peccatis, & Pœnitentia. ibid.
De cultu, & interceſſione Sanctorum. ibid.
De oratione pro Defunctis, & Purgatorio, ibid.
De Chriſtianorum moribus, 252
Nonnulla hiſtorica, 253

ARTICULUS IV.

Doctrina Euſebii de Verbi, & Spiritus Sancti Divinitate expenditur, 254

Euſebius Nicænæ Synodo ſubſcripſit. ibid,
Præcipua Arii dogmata in ſuis Operibus damnat Euſebius. 255
Attributa Patris Filio concedit: cum doctrina Concilii cohæret. ibid,
Filii conſubſtantialitatem vere docet. 256
Objecta ſolvuntur. ibid,
Euſebii geſta ſatis non evincunt fuiſſe Arianum, 258
In aliquo Martyrologio inter Sanctos adnumeratur, 259

CAPUT IX.

S, Athanaſius, Epiſcopus Alexandrinus, Eccleſiæ Doctor,

ARTICULUS I,

Vita S, Athanaſii Breviarium, 261

S, Athanaſii ortus, patria, & ſtudia. ibid.
S, Antonium inviſit: apud ipſum moratur: aſceticam amplectitur vitam. 262
Diaconus eligitur, ibid.
S. Alexandro ſucceſſor eligitur in Alexandrina ſede. ibid.
Plures labores, & ærumnas patitur ob fidei defenſionem toto vitæ ſuæ curſu. ibid.
Obitus. 263
Meliores Editiones, ibid.
Scriptionis ſtylus, ibid,

AR-

ARTICULUS II.

Celebriorum S. Athanaſii Operum Synopſis. 265

Oratio S. Athanaſii adverſus Gentes. ibid.
Ejus ſynopſis. ibid.
Origo, & progreſſus Idololatriæ. ibid.
Idolorum vanitas. ibid.
Dei Unitatem evincit. ibid.
Oratio de Verbi Incarnatione. 266
Ejus analyſis. ibid.
De cauſis Incarnationis. 267
Cur Chriſtus mortuus ſit in Cruce. ibid.
Incarnationem probat adverſus Judæos. 268
Paganorum objecta. ibid.
Apologia S. Athanaſii adverſus Arianos. 269
Epiſtolæ ad Solitarios. 271
Orationes quatuor adverſus Arianos. 274
Primæ orationis analyſis. ibid.
Prima Arianorum objectio. 276
Secunda Arianorum objectio. ibid.
Secundæ Orationis analyſis. 277
Tertiæ analyſis. 279
Nonnulla Arianorum objecta ſolvit. 280
Quartæ analyſis. 281
Objecta ſolvuntur. 282
Epiſtolæ ad Serapionem. 283
Analyſis primæ epiſtolæ. ibid.
Objecta ſolvuntur. 284
Probat S. Spiritus Divinitatem. ibid.
Analyſis aliarum epiſtolarum. 285
Tractatus de Synodis. 287
Analyſis hujus tractatus. ibid.
Concilia, & formulæ fidei Arianorum. 288
Defenſio vocis homouſion, ſive conſubſtantialis. 289
Epiſtola ad Jovianum Imperatorem. 290
Epiſtolæ continuatio. 291
Arianorum querimoniæ adverſus Athanaſium. 292
Aliæ criminationes. ibid.
Analyſis Tractatus de Incarnatione. ibid.
Analyſis epiſtolæ ad Epiſcopos Africæ. 293
Epiſtola ad Epictetum. 294
Qua de cauſa ſcripta. ibid.
Analyſis hujus epiſtolæ. 295
Epiſtola ad Adelphium. 297
Analyſis hujus epiſtolæ. ibid.

Libri bini adverſus Apollinarem. 298
Prioris libri analyſis. ibid.
Secundi analyſis. 299
Epiſtola ad Marcellinum. 300
Hujus epiſtolæ analyſis. 301

ARTICULUS III.

Præſtantiora S. Athanaſii documenta, ad Dogmata, Mores, & Diſciplinam ſpectantia. 303

De Sacra Scriptura. ibid.
De Veritate Religionis chriſtianæ. 304
De una in tribus Perſonis natura. ibid.
De Patris Perſona. 305
De Perſona Filii. ibid.
De Perſona Spiritus Sancti. 308
De creatione, & ſtatu hominis poſt peccatum. ibid.
De reparatione humani generis per Chriſtum. 309
De Lege Moſaica. De Eccleſia ejuſque notis. De Conciliis, & Fide. 312
De neceſſitate & efficacia Gratiæ. 314
De Sacramento Baptiſmi. ibid.
De Euchariſtia. 315
De Pœnitentia. 316
De Eccleſiaſtica Hierarchia. 317
De B. Virgine, Apoſtolis, & Angelis. 318
De diverſis. 319

ARTICULUS IV.

Aſcetica Vitæ ſpiritualis documenta. ibid.

Omnia bona, quæ habet Chriſtianus, ex Chriſti humiliatione accepit. ib.
Sacerdos non ſibi, ſed aliis talis eſt. ibid.
Excellentia & utilitas Pſalmorum. ibid.
Plenitudo & confirmatio Gratiæ Deiparæ Virgini conceſſa. 320
Jejunii fructus & beneficia. ibid.
Nimiam corporis macerationem reprehendit. ibid.
Quietem vitæ futuræ nemo ſperet qui multos non ſubit in hac vita labores. ibid.
Utilius eſt paucitatem illorum ſequi, qui arctam viam calcant, quam multitudinem illorum, qui per ſpatioſam, & latam ambulant. ibid.
In quem ſcopum ſint dirigendi actus exteriores Religionis. ibid.
Chriſtianus aliquando Sanctum in ſe Spiritum habitantem ſentit. ibid.

Quod

Quod ſupereſt dandum pauperibus. ibid.
Non expectandum inſtantis mortis tempus ad eleemoſynas erogandas. 321
Humilis quid de ſe & aliis ſentiat. ibid.
Periculoſum Judicibus munera accipere. ibid.

CAPUT X.

S. Hilarius, Epiſcopus Pictavienſis, & Doctor Eccleſiæ.

ARTICULUS I.

Ejus Vitæ Breviarium. 322

Ortus S. Hilarii in Gallia ex parentibus idololatris. Fidem Chriſti amplectitur. Ejus converſionis cauſa. ibid.
Ordinatur Epiſcopus. 323
In Phrygiam exulat. ibid.
In Galliam reverſus plura cogit Concilia. ibid.
Ejus obitus. 324
Operum editiones. ibid.

ARTICULUS II.

Præcipuorum S. Hilarii Operum analyſis. 325

Duodecim de Trinitate librorum ſcopus. ibid.
Tempus ſcriptionis. ibid.
Operis laudes. ibid.
Analyſis Libri primi. ibid.
Libri ſecundi. 326
Libri tertii. 328
Libri quarti. 329
Libri quinti. 331
Libri ſexti. 332
Libri ſeptimi. 336
Libri octavi. 339
Libri noni. 341
Libri decimi. 347
Libri undecimi. 348
Libri duodecimi. 350
Libellus S. Hilarii ad Conſtantium. 352

ARTICULUS III.

Quæ D. Hilarius egit, & ſcripſit toto exilii ſui tempore enarrantur. 354

Oſii lapſus. ibid.
Nova in Galliis perſecutio. ibid.

Con-

Concilium Gallicanum pro Ariana formula damnanda. 355
Liber de Synodis. ibid.
Ariminenſe Concilium. 356
Studium Patrum Ariminenſium pro fide Nicæna. ibid.
Legatorum Ariminenſium lapſus. 357
Vis adhibita contra Ariminenſes Epiſcopos. ibid.
Ariminenſes Patres ab Arianis falluntur. 358
Concilium Seleucienſe, cui adfuit S. Hilarius. 359
Patrum Seleucienſium fides. ibid.
Alter libellus Conſtantio oblatus per S. Hilarium. 361
Arianorum variationes. 362
Liber S. Hilarii adverſus Conſtantium. 363
Monumenta ab Hilario collecta ad hiſtoriam Conciliorum Ariminenſis, & Seleucienſis. 364
Reditus S. Hilarii in Galliam. 365

ARTICULUS IV.

Præſtantiora D. Hilarii documenta, Dogmata, Mores, & Diſciplinam reſpicientia. 366

De Sacra Scriptura. ibid.
De Scripturarum canone. ibid.
De Scripturæ verſione. 367
De Dei natura, Perſonarum diſtinctione, Divinitate Filii, & Spiritus Sancti. ibid.
De Incarnatione. 368
De Virgine Deipara. ibid.
De Angelis. 369
De Anima. 370
De libero arbitrio, & gratia. ibid.
De peccato originali. ibid.
De Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia. 371
De Pœnitentia. 372
De Eccleſia, & Apoſtolis. ibid.
De variis Eccleſiæ motibus. 373
De morali doctrina. 374
Obſcuriora nonnulla in S. Hilario explicantur. 376

ARTICULUS V.

Selecta ſpiritualis vitæ documenta. 378

Dei natura inexplicabilis. ibid.
Stultum eſt de potentia Dei noſtra infirmitate velle judicare. ibid.
In Epiſcopis doctrina cum pietate jungenda. ibid.
Frequentius in diſputationibus propria ſententia ſuſtinetur, quam veritas quæritur. ibid.

Fidei

Fidei veritates ſimplices ſunt, ſunt faciles, numero pauca. ibid.
Conſolatio ſolis plorantibus promiſſa. ibid.
Angeli Cuſtodes. ibid.
Crimen non eſt habere divitias. ibid.
Vita bona oratio continua. ibid.
Voluptatis amor fons atheiſmi. ibid.
Nocturnæ orationis utilitas. 379
Ut Dei ſimus omnibus renuntiandum. ibid.
Clamor cordis vera oratio. ibid.
Sancti mores præparatio ſunt ad orationem. ibid.
Quid in tribus prioribus Dominicæ Orationis petitionibus poſtulemus. ibid.
Confeſſio integra & cum propoſito deſinendi. ibid.
Semper vigilandum. ibid.
Aut Chriſto, aut Satanæ ſervimus. 380
Dei miſericordia erga infirmitatem noſtram, ibid.
Deus magnitudinem miſericordiæ ſuæ oſtentat. ibid.
Ad defenſionem Eccleſiæ ſuæ Deus humano non indiget auxilio. ibid.
Juſti magis tentationibus obnoxii. ibid.
Deo ſerviendum cum timore, & exultatione. ibid.
Non ſolum eſt a malo declinandum, ſed & faciendum bonum. 381
Conſtantia cum humilitate ſocianda. ibid.
Omne bonum a Deo in nos deſcendit. ibid.
Inordinatus eſt timor, cum homines magis, quam Deum timemus. ibid.
Hominibus non placendum, ut Deo placeamus. ibid.
Quas orationes Deus rejiciat. ibid.
Niſi paſſionibus dominamur, Deo placere non poſſumus. ibid.
Bonis Eccleſiæ abuti maximum ſcelus. 382
Prædicatio ſolis juſtis convenit. ibid.
Cum perſecutionem patimur ab hominibus, Dæmoni iraſcendum. ibid.

NOI
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di reviſione, ed approvazione del P. F. *Filippo Roſa Lanzi*, Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia*, nel Libro intitolato: *Bibliotheca Manualis Eccleſiæ Patrum &c. Mſ.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Gio. Battiſta Remondini*, Stampator *di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 5. Maggio 1768.

(Sebastian Zustinian Rif.
(Alvise Vallaresso Rif.
(Francesco Morosini 2d°. Cav. Pr. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 347. al Num. 2456.

Davidde Marcheſini Segr.

11. Febbraro 1782.
3.

Regiſtrato in Libro Privilegj nell' Univerſità de' Librari, e Stampatori.

Marc. Antonio Manfrè Pr.

B I-

BIBLIOTHECA MANUALIS PATRUM ECCLESIÆ.

CAPUT PRIMUM.

S. IGNATIUS

Apoſtolorum diſcipulus, Epiſcopus Antiochenus, & Martyr.

ARTICULUS PRIMUS.

Vitæ S. Ignatii Breviarium.

S. IGNATIUS cognomento Theophorus, ideſt Deifer, qui ſcilicet Deum gerit, natione Syrus fuit. Antiquiores Patres (*a*) aſſerunt Chriſtum in carne minime vidiſſe; ſed Apoſtolorum, ac præcipue S. Petri, & Joannis Evangeliſtæ fuiſſe diſcipulum. Ab iſtis itaque manus impoſitione Antiochenus Epiſcopus conſecratus eſt, eamque Eccleſiam poſt Evodium, qui S. Petro ſucceſſerat, regendam ſuſcepit (*b*). Erant tunc Antiochiæ ducenta, & amplius hominum millia, in quibus tamen regendis non minus laboravit, quam in perſecutione adverſus ſuam Eccleſiam a Domitiano Imperatore excitatam invicte ſuſtinenda (*c*), quippe „qui inſtar boni gubernatoris gubernaculo precum, ac jejunii, & aſſiduitate docendi, tempeſtati contrariæ reſtitit, ac ſalvum incolumemque gregem ſuum ſervavit“.

S. IGNATIUS.

Epiſcopus ordinatus.

Tricalet. Tom. I. A Sedata

(a) *S. Jo. Chryſoſt.* (b) *Circa annum 69. J. C.*
(c) *Acta Mart. apud Cotel. n. 1. p. 157.*

S. IGNATIUS.

Martyrium cupit.

Sedata tempeſtate poſt Domitiani obitum „ gaudebat quidem „ propter Eccleſiæ quietem , cum perſecutio ad breve tempus re- „ miſiſſet . Sed apud ſe dolebat, quod nondum amorem, qui re- „ vera ejuſmodi eſt, erga Chriſtum adſequutus eſſet, neque ordi- „ nem perfecti diſcipuli. Reputabat enim animo, Confeſſione, quæ „ per Martyrium fit, fore ut ſimilior fieret Chriſto . At paucis „ annis adhuc in Eccleſia moratus votorum ſuorum compos factus „ eſt (*a*) “. Trajanus ſiquidem elatus victoria , quam retulerat de Scythis & Dacis , ratus eſt hoc ſupereſſe , quo omnia eſſent ſubacta , ut Chriſtianorum quoque Deum ſuo ſubderet imperio , ejuſque Sectatores Dæmonum cultum cum omnibus aliis gentibus ſuſcipere cogeret . Hac itaque mente & conſilio Roma diſceſſit , & Antiochiam pervenit menſe Januario anni 107. a Chriſto nato, contra Armenos & Parthos ire feſtinans.

Egregia Fidei confeſſio coram Trajano.

Tunc pro grege ſuo timens Ignatius ultro ad Trajanum ſe rapi permiſit. (*b*) Cui Imperator: *Quis es tu Cacodæmon, qui noſtra præcepta feſtinas tranſgredi, & alios perſuades , ut inde pereant?* Ignatius tunc ſe Theophorum nomine eſſe reſpondit. Trajanus dixit: *Et quis eſt Theophorus ? Qui Chriſtum habet in pectore*, reſpondit Ignatius , aperte hoc pacto Chriſti divinitatem confeſſus . Rurſum Trajanus : *Et nos non tibi videamur habere Deos in pectore, quos habemus auxiliatores contra hoſtes?* Ignatius dixit : (*c*) *Dæmones Gentium Deos exiſtimans erras . Unus eſt enim Deus , qui fecit Cælum, & Terram , mare, & omnia quæ in eis ſunt : Et unus unigenitus Jeſus Chriſtus Filius ejus, cujus Regni particeps fieri concupiſco*. Trajanus ait : *Crucifixum dicis a Pontio Pilato ? Utique* , reſpondit Ignatius, *illum, qui crucifixit peccatum meum cum ejus inventore , & omne Dæmonis vitium ſubjecit pedibus eorum, qui ipſum corde gerunt*. Tum Trajanus: *Geris ergo in te Crucifixum? Ita*, inquit Ignatius, *ſcriptum eſt enim: habitabo & ambulabo inter eos* (*d*) . Tunc Trajanus ſententiam hanc tulit: *Ignatium juſſimus, qui dicit ſe in ſeipſo circumferre eum, qui in Crucem ſublatus eſt , in vincula a militibus conjectum abduci magnam Romam paſtum futurum ferarum ad delectationem populi* . Sententiam hanc cum Sanctus Martyr audiſſet, præ gaudio exclamavit: *Gratias tibi ago, Domine, qui me perfecta ad te charitate honorare dignatus es, & cum Apoſtolo tuo Paulo in vincula ferrea conjeceris* . Hæc cum dixiſſet, & cum hilari animo vincula ſuſcepiſſet, prius pro Eccleſia oravit , & eam cum lacrymis Domino commendavit ; dein a militibus raptus eſt, & e Tribunali abductus . Mos autem erat Romam ex omnibus Provinciis inſigniores reos mittere , inter quos procul dubio Imperator illum connumerabat, qui Doctor erat, & Caput Chriſtianorum magnæ Antiochiæ, quæ Urbs erat Orientis Princeps.

Iter S. Ignatii Romam.

Antiochia diſceſſit S. Ignatius , & Seleuciam deſcendit, ut nave vectus per Aſiæ oras iter ſuum compleret . Diu noctuque a decem cuſto-

(a) *Ib. n. 2.* (b) *Ibid.*
(c) *Ib.* (d) *2. Cor. 6. 6.*

cuſtodiebatur militibus, quos *Leopardos* vocat ſive feritatis cauſa, ſive alia nobis latente ratione. Poſt diutinam laborioſamque navigationem ad Smyrnenſium urbem pervenit, ibique magna voluptate apud Sanctum Polycarpum Smyrnenſium Epiſcopum, qui una cum eo audierat eumdem Magiſtrum (fuerunt enim olim S. Joannis diſcipuli) aliquandiu diverſatus eſt, ibique eum exceperunt per Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos Civitates atque Eccleſiæ Aſiæ (*a*). Smyrna diſcedens appulit Troadem. „ Deinde illuc exceſſione facta Neapoli per Philippos peragravit Macedoniam, & circa „ Epirum, quæ eſt ad Epidamnum in maritimis locis navem nactus, navigavit per Adriaticum mare, indeque Tyrrhenum ingreſſus, cum Sancto Viro Puteoli oſtenſi eſſent, ipſe quidem „ propere egredi cupiebat, cum vellet per veſtigia Apoſtoli Pauli „ incedere. Cum vero incidens vehementior ventus non pateretur, „ navi *a puppi* impulſa, cum beatam prædicaſſet caritatem fratrum, qui in eo loco fuerant, ſic prætemavigavit; & tandem una „ die, & eadem nocte (ut Martyrii Scriptores ejus comites narrant) proſperis ventis uſi pervenerunt ad urbem Romam (*b*)". Vix appulſi Milites quidem tarditatem ægre ferentes, cum ſpectaculorum finis inſtaret, Epiſcopum ad iter capeſſendum complendumque urgebant. „ Jam vero ſparſa erat Martyrii fama, pluresque „ ex Fratribus dolentes, quod talis Vir ad mortem duceretur, fervebant, ajebantque ſe dare operam, ut populum ſedarent, ne „ Virum juſtum ad necem quæreret. Qui confeſtim cum rem Spiritu „ cognoviſſet, & omnes ſalutaſſet, petiit ab eis verum erga ſe amorem, perſuaſitque eis ne ſibi inviderent ad Dominum feſtinanti".

S. IGNATIUS.

Temperato itaque ad veram charitatem terreno illo humanoque affectu, quo ipſum deperibant, una cum omnibus fratribus (*c*) „ genua flectens precatus eſt Filium Dei pro ceſſatione perſecutionis, pro pace Eccleſiæ, pro mutuo fratrum inter ſe amore, quo carnis & mundi oblectamentis obſiſterent. Qua expleta „ oratione, abductus eſt confeſtim in Amphitheatrum & feris objectus ex mandato Cæſaris dudum accepto. Erat tunc ſolemnis, „ ut putabant, dies, qui dicitur Romana lingua tertius decimus Kalendas Januarias, quo & ſequentibus ſigillaria feſta celebrantur". Et jam univerſa Civitas in Amphitheatrum convenerat ardenti ſpiritu, & oculis ſpectaculum aventibus, & Martyris ſanguinem ſitientibus, cum dimiſſi in eum duo Leones ſtatim, ut concupierat, illum confeſtim dilacerarunt, ac dilaniarunt a ſolis durioribus illius oſſibus abſtinentes, quæ reverenter a fidelibus collecta primum in loco inſigni extra Urbem depoſita, dein vero Antiochiam reportata ſunt, & in capſa repoſita ſunt tamquam theſaurus impretiabilis. Facta autem ſunt hæc die ante XIII. Kalendas Januarii Conſulibus Sura & Senecione Secundo, an. Chr. 107.

Ejus martyrium an. 107.

Divo Ignatio non alia tribuuntur Opera præter plures Epiſtolas, ex quibus ſeptem dumtaxat tum ab antiquis Patribus, tum a recen-

Numerus epiſtolarum S. Ignatii.

(a) *Ib. n.* 5. (b) *Ib.* (c) *Ib. n.* 4. (d) *Ib. n.* 22.

recentioribus Criticis ceu genuinæ & legitimi fœtus habentur. Sunt autem. Prima ad Epheſios, in qua meminit Oneſimi illorum Epiſcopi. Secunda data Magneſiæ civitati, in qua Epiſcopi Damaſi mentionem facit. Tertiam Eccleſiæ, quæ eſt Trallis, ſcribit, cujus Paſtorem tunc eſſe Polybium deſignavit. Quartam ad Romanam Eccleſiam miſit. Poſtea vero a Smyrna ulterius progreſſus cum Troadem veniſſet, ſcripſit Philadelphienſibus, Smyrnæorum Eccleſiæ, & denique Polycarpo ejuſdem Epiſcopo. En ſeptem Epiſtolas, quas Euſebius (*a*) Ignatio attribuit, & quas nos adhuc habemus.

S. IGNATIUS.

Editiones meliores.

Melioris notæ Editiones Epiſtolarum S. Ignatii ſunt Amſtelodamenſis anni 1679. in folio cum Diſſertationibus Uſſerii, & Pearſonii, & Coteleriana græco-latina inter *Patres Apoſtolicos*.

Reliquæ D. Ignatii quæ circumferuntur Epiſtolæ ſuppoſititiæ merito ab Eruditis habentur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Analyſis Epiſtolarum S. Ignatii.

Analyſis Epiſtolæ ad Epheſios.

AD Epheſios Epiſtola ſic incipit (*b*): „Ignatius, qui & Theophorus, benedictæ in magnitudine Dei Patris, & plenitudine, prædeſtinatæ ante ſæcula, ut eſſet ſemper in permanente gloria, immutabilis, unita & electa, in vera paſſione per voluntatem Patris, & Jeſu Chriſti Dei noſtri; Eccleſiæ merito beatæ, quæ eſt Epheſi in Aſia plurimam in Jeſu Chriſto, & in immaculata gratia ſalutem“.

Omnes Epiſtolas ſuas Ignatius, Apoſtolum Paulum imitatus, a longioribus inſcriptionibus inchoat: eas ſtylo magis ardentiſſimam charitatem redolente, quam præpolito, & elegantiori ſcripſit. Sic vero proſequitur (*c*): „ Non præcipio vobis quaſi ſim aliquis. „Quamvis enim vinctus ſum in nomine Jeſu Chriſti, nondum tamen perfectus ſum in Jeſu Chriſto. Nunc enim incipio diſcipulus eſſe, & alloquor vos ut conductores meos. Nam oportebat me a vobis incitari fide, admonitione, patientia, æquanimitate ... (*d*) Unde decet vos in Epiſcopi ſententiam concurrere, quod & facitis. Nam memorabile veſtrum Presbyterium dignum Deo ita coaptatum eſt Epiſcopo, ut chordæ citharæ. Propter hoc in conſenſu veſtro & concordi charitate Jeſus Chriſtus unitur (*e*). Si enim ego brevi temporis ſpatio talem conſuetudinem contraxi cum Epiſcopo veſtro (*f*), quæ non humana, ſed ſpiritualis eſt, quanto vos beatiores judico conjuncti, ſicut Eccleſia Jeſu Chriſto, & Jeſus Chriſtus Patri, ut omnia per unitatem

(a) *Lib. 3. cap. 36.* (b) *In Ed. Cotel.* (c) *n. 3.*
(d) *n. 4.* (e) *n. 5.* (f) *Oneſimo.*

„ tatem conſentiant? Nemo erret, niſi quis intra altare ſit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet, quanto magis illa, quæ Epiſcopi eſt & totius Eccleſiæ? Qui igitur in conventum non venit, hic jam ſuperbia elatus eſt, & ſeipſum ſeparavit, atque judicavit. Scriptum eſt enim: *Superbis Deus reſiſtit* (*a*). Studeamus ergo Epiſcopo non reſiſtere, ut ſimus ſubjecti Deo (*b*): & quanto quis humaniorem viderit Epiſcopum, magis eum revereatur. Quemcumque enim Paterfamilias miſit ad gubernandam familiam ſuam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipſum qui miſit. Manifeſtum igitur eſt, quod Epiſcopum reſpicere oporteat, ut ipſum Dominum. Et ipſe quidem Oneſimus ſupra modum laudat veſtrum decentem divinumque ordinem, quod omnes ſecundum veritatem vivitis, & quod inter vos nullus eſt hæreſi locus, ſed neque auditis aliquem amplius quam Jeſum Chriſtum, qui loquitur in veritate (*c*). Solent enim nonnulli malo dolo nomen quidem circumferre, ſed patrant quædam indigna Deo. Sunt enim canes rabidi clam mordentes, quos a vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborantes. Medicus autem unus & carnalis & ſpiritualis (*d*), genitus & ingenitus, *ſeu* factus & non factus, in homine exiſtens Deus, in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo, primum paſſibilis, & tunc impaſſibilis Jeſus Chriſtus Dominus noſter (*e*) ... Novi autem nonnullos illic tranſiſſe, qui habent perverſam doctrinam ... & obturaſtis aures, ne reciperetis quæ ab ipſis ſunt diſſeminata ... exulto quod dignus habitus ſim per ea quæ ſcribo colloqui vobiſcum, & ſimul gaudere, quia ratione alterius vitæ habita nihil diligitis præter ſolum Deum (*f*). Sed & pro aliis hominibus indeſinenter oratis. Eſt enim ipſis ſpes pœnitentiæ, ut Deum nanciſcantur. Permittite itaque ipſos ſaltem ex operibus a vobis erudiri. Sitis vos adverſus eorum iram mites, adverſus eorum magniloquentias humiles, eorum maledictis apponite vos preces, adverſus errorem eorum vos firmi permanete in fide, adverſus efferos mores illorum vos manſueti ſitis. Non ipſos contra imitari conati, fratres eorum inveniamur per benignitatem, imitatores autem Domini ſtudeamus eſſe, unuſquiſque majorem injuriam patiatur, unuſquiſque defraudari ſe ſinat, unuſquiſque contemni". Dein de Chriſto loquens ſcribit: „ In quo (Chriſto) vincula circumfero ſpirituales margaritas (*g*), cujus me opto ſemper fieri participem, ut inveniar in ſorte Epheſiorum Chriſtianorum, qui & Apoſtolis ſemper conſenſerunt in virtute Jeſu Chriſti (*h*). Scio qui ſum & quibus ſcribo. Ego condemnatus, vos miſericordiam conſecuti, ego periculis obnoxius, vos confirmati. Tranſitus eſtis eorum, qui ob Deum interficiuntur. Pauli Symmiſta, qui S.IGNATIUS.

 „ ſan-

(a) *n.* 5. (b) *n.* 6. (c) *n.* 7.
(d) *S. Athan. de Synod. p.* 9. 12. *Theodor. Dial.* 2. *p.* 34.
(e) *n.* 9. (f) *n.* 10. (g) *n.* 11. (h) *n.* 12.

S. IGNATIUS.

„ ſanctificatus Martyrium conſecutus, & digne beatus eſt, ad „ cujus veſtigia contingat mihi ut inveniar ubi Deo potitus fue- „ ro “. Paulo poſt addit: „ Manifeſta eſt arbor ex fructu i- „ pſius (*a*): ſimiliter qui profitentur ſe Chriſtianos eſſe, iis, quæ „ faciunt, cernuntur. Non enim nunc repromiſſionis opus: ſed „ per virtutem fidei, ſi quis inveniatur uſque ad finem (*b*). Me- „ lius eſt tacere & eſſe, quam loquentem non eſſe. Bonum eſt „ docere, ſi qui dicit faciat. Unus igitur Doctor, qui dixit, & „ factum eſt, ſed & quæ ſilens fecit, digna Patre ſunt. Qui ver- „ bum Jeſu poſſidet, vere poteſt & ſilentium ipſius audire, ut perfe- „ ctus ſit, ut per quæ loquitur operetur, & per quæ ſilet cognoſca- „ tur “. Dein de erroribus tunc ſuo tempore conſurgentibus lo- quens ſcribit (*c*): „ Deus noſter Jeſus Chriſtus in utero geſtatus „ eſt a Maria juxta diſpoſitionem Dei ex ſemine David, Spiritu „ vero ſancto. Qui natus eſt, & baptizatus eſt, ut paſſione a- „ quam purificaret (*d*). Principem hujus Mundi latuit Mariæ Vir- „ ginitas & partus ipſius, ſimiliter & mors Domini, tria myſteria „ clamoris, quæ in ſilentio Dei patrata ſunt “ (*e*).

Sic autem Epiſtolæ finem imponit: „ Si me dignatus fuerit Je- „ ſus Chriſtus per orationem veſtram, & voluntas ſit; in ſecundo „ libello, quem ſcripturus ſum vobis, declarabo vobis quam incœ- „ peram diſpenſationem in novum hominem Jeſum Chriſtum in fi- „ de ipſius, & in ipſius dilectione, in paſſione ipſius, & reſurre- „ ctione, maxime ſi mihi Dominus revelaverit. Siquidem ſinguli „ communiter omnes ex gratia nominatim convenitis in una fide „ & uno Jeſu Chriſto, ſecundum carnem ex genere David, filio „ hominis & Filio Dei, ut obediatis Epiſcopo & Presbyterio men- „ te indivulſa, frangentes panem unum, qui pharmacum immorta- „ litatis eſt, antidotum ne moriamur, ſed vivamus ſemper in Jeſu „ Chriſto (*f*): Vice animarum veſtrarum ſum ego, & illorum, „ quos ad honorem Dei miſiſtis Smyrnam, unde & ſcribo vobis „ gratias agens Domino diligens Polycarpum ut & vos. Memine- „ ritis mei, ſicut & veſtri Jeſus Chriſtus. Orate pro Eccleſia, quæ „ eſt in Syria, unde vinctus Romam abducor noviſſimus fidelium, „ qui ibi ſunt, quemadmodum ad honorem Dei inveniri dignus „ habitus ſum. Valete in Deo Patre, & in Jeſu Chriſto commu- „ ni ſpe noſtra “.

Analyſis Epiſtolæ ad Magneſianos.

Poſt ſalutationem in Epiſtola ad Magneſianos ſic ſcribit: (*g*) „ Dignus habitus nomine majeſtatem divinam maxime præſeferente „ in his quæ circumfero vinculis, laudo Eccleſias, quibus opto u- „ nionem ſecundum carnem, & ſpiritum Jeſu Chriſti ſempiternæ „ noſtræ vitæ; fidei & cui nihil præfertur Charitatis, principalius

„ au-

(a) *Matth.* 12. *n.* 33. (b) *n.* 15.
(c) *n.* 18. (d) *n.* 20.
(e) *Orig. hom.* 6. *in Luc. S. Baſil. hom.* 25. *S. Hieron. in cap.* 1. *Matth.*
(f) *n.* 21. (g) *n.* 1.

S. Ignatius.

„ autem Jeſu, & Patris, in quo ſuſtinentes omnem vim Principis „ ſæculi hujus, & evadentes Deo potiemur.

„ Quoniam (*a*) itaque dignus habitus fui videre vos per Damaſum Epiſcopum veſtrum Deo dignum, & dignos Presbyteros Baſſum ac Apollonium, conſervumque meum Sotionem Diaconum, „ quo utinam fruar, quia ſubditus eſt Epiſcopo ut gratiæ Dei, & „ Presbyterio ut legi Jeſu Chriſti.

„ Sed (*b*) & vos decet non familiarius ac ſuperbe uti ætate „ Epiſcopi, ſed ſecundum virtutem Dei Patris omnem impertiri „ illi reverentiam, quemadmodum novi ſanctos facere Presbyteros „ non reſpicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, ſed ut „ prudentes in Deo cedentes ipſi, non ipſi autem, ſed Patri Jeſu „ Chriſti omnium Epiſcopo. In honorem igitur illius, qui vult, „ decet vos obedire ſine ulla hypocriſi, quia nequaquam Epiſcopum hunc quis fallit qui videtur, ſed illudit inviſibili. Quidquid vero eſt hujuſmodi, non ad carnem refertur, ſed ad Deum, „ qui abſcondita cognoſcit.

„ Decet itaque (*c*) non modo vocari Chriſtianos, ſed etiam eſſe, quemadmodum quidem nonnulli Epiſcopum quidem nominant, ſed ſine ipſo omnia faciunt. Tales vero non bona conſcientia præditi eſſe mihi videntur, quia non ſtabiliter ſecundum „ præceptum congregantur.

„ Quia igitur (*d*) res finem habeat, incumbunt duo ſimul Mors „ & Vita, & unuſquiſque in proprium locum iturus eſt. Quemadmodum enim ſunt numiſmata duo; alterum quidem Dei; alterum autem Mundi, unumquodque etiam ipſorum characterem „ proprium habet impoſitum: infideles, Mundi hujus; fideles autem in charitate characterem Dei Patris per Jeſum Chriſtum, „ per quem niſi propenſa nobis eſt voluntas mori in ipſius paſſionem, nec vita ipſius in nobis eſt. (*e*) Quandoquidem itaque in „ iis perſonis, quas commemoravi, omnem multitudiuem contemplatus ſum in fide & charitate; hortor ut hoc ſit veſtrum ſtudium in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo præſidente Dei „ loco, & Presbyteris loco Senatus Apoſtolici, & Diaconis mihi „ ſuaviſſimis, quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti, qui „ ante ſæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit". Et poſt pauca: „ Quemadmodum igitur (*f*) Dominus ſine Patre nihil fecit, ipſi unitus, neque per ſeipſum, neque per Apoſtolos, ita „ neque & vos ſine Epiſcopo & Presbyteris quidquam agite. Neque operam detis, ut aliquid vobis ſeorſim rationi videatur conſentaneum, ſed in unum convenientibus una ſit oratio, una „ mens, una ſpes, in charitate, in gaudio inculpato. Unus eſt „ Jeſus Chriſtus, quo nihil præſtantius eſt. Omnes itaque velut in „ unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad

 „ unum

(a) *n.* 2. (b) *n.* 3. (c) *n.* 4.
(d) *n.* 5. (e) *n.* 6. (f) *n* 7.

S. IGNATIUS.

„ unum Jeſum Chriſtum, qui ab uno Patre prodit, & in uno „ exiſtit, & in unum revertitur.

„ Ne ſeducamur alienis doctrinis (*a*), neque veteribus fabulis, „ quæ ſunt inutiles. Si namque adhuc juxta legem Judaicam vixe- „ rimus, confitemur nos gratiam non accepiſſe. Diviniſſimi nam- „ que Prophetæ juxta Chriſtum Jeſum vixerunt. Ob hoc & perſe- „ cutionem paſſi ſunt, gratia ipſius inſpirati, ut qui increduli, „ certi redderentur, quod unus Deus eſt, qui ſeipſum manifeſtavit „ per Jeſum Chriſtum Filium ſuum, qui eſt Verbum ipſius æter- „ num, non a ſilentio progrediens". Hiſce verbis S. Ignatius il- lorum perſtringit errorem, qui dicebant *Silentium* ſive *Sigen*, quod veluti exiſtentem perſonam fingebant, extitiſſe in Deo, priuſ- quam ſuum Verbum proferret, quem errorem inſtauravit poſtea & mirum in modum amplificavit Valentinus hæreticus. Dein- de S. Ignatius de Prophetis loquens ſubdit: „ Cujus (Chri- „ ſti) etiam Prophetæ diſcipuli cum eſſent, ſpiritu ipſum ut do- „ ctorem expectabant" (*b*). Denique plurium ſectarum recenſitis nominibus, & rejectis concludit (*c*): „ Diſcamus ſecundum Chri- „ ſtianiſmum vivere, qui enim alio nomine vocatur præter hoc, „ non eſt Dei".

Analyſis Epiſtolæ ad Trallianos.

Conſueta præmiſſa ſalutatione Trallianis ſtatim in ſuæ Epiſtolæ initio ſic ſcribit ſanctiſſimus Martyr (*d*): „ Inculpatam & ſine „ ſimulatione mentem in patientia cognovi habere vos, non uſu, „ ſed poſſeſſione, quemadmodum ſignificavit mihi Epiſcopus veſter „ Polybius, qui Smyrnæ adfuit per voluntatem Dei & Jeſu Chri- „ ſti Filii ejus, quique mihi vincto in Jeſu Chriſto ſic congratu- „ latus eſt, ut univerſam multitudinem veſtram in eo contemplatus „ ſim... (*e*) Cum enim Epiſcopo ſubjecti eſtis ut Jeſu Chriſto, „ videmini mihi non ſecundum hominem, ſed ſecundum Jeſum „ Chriſtum vivere... Neceſſe itaque eſt, quemadmodum facitis, ut „ ſine Epiſcopo nihil agatis, ſed & Presbyterio ſubjecti ſitis, ut „ Apoſtolis Jeſu Chriſti ſpei noſtræ... Oportet autem & Diaco- „ nos myſteriorum Jeſu Chriſti miniſtros omni modo omnibus pla- „ cere. Non enim ciborum, & potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ „ Dei miniſtri. Oportet igitur, ut ſibi caveant a criminibus tam- „ quam ab igne. (*f*) Cuncti ſcilicet revereantur Diaconos ut „ mandatum Jeſu Chriſti; & Epiſcopum ut eum, qui eſt figura „ Patris; Presbyteros autem ut conſeſſum Dei, & ut conjunctio- „ nem Apoſtolorum. Sine his Eccleſia non vocatur. De quibus „ perſuaſum habeo vos ita ſentire. Exemplar enim caritatis ve- „ ſtræ accepi, & mecum habeo in Epiſcopo veſtro, cujus ipſe *ha- „ bitus* magna diſciplina eſt, manſuetudo autem ipſius potentia; „ quem exiſtimo & impios ipſum revereri.

„ (*g*) Multa ſapio in Deo, ſed me ipſum metior, ne glorian- „ do peream. Nunc enim plus mihi timendum eſt, nec animus il- „ lis

(a) *n.* 8. (b) *n.* 9. (c) *n.* 10. (d) *n.* 1.
(e) *n.* 2. (f) *n.* 3. (g) *n.* 4.

S. IGNATIUS.

„ lis intendendus, qui me inflant. Qui enim me laudant, flagel-
„ lant me. Nam diligo quidem pati, ſed neſcio an dignus ſim.
„ Zelus quidem multis non apparet, me vero majorem in modum
„ impugnat. Opus itaque mihi manſuetudine, ut Princeps ſæculi
„ hujus deſtruatur. (*a*) Numquid non poſſum cæleſtia vobis ſcri-
„ bere? At ne parvulis vobis damnum inferam metuo, ac mihi
„ ignoſcite ne iſta capere non valentes ſtrangulemini. Etenim ego
„ non propterea quod vinctus ſum, & cæleſtia intelligere poſſum,
„ & ſitus Angelorum, & cœtus, conſtitutioneſque Principatuum,
„ viſibilia, & inviſibilia, propter hoc jam & diſcipulus ſum:
„ multa enim nobis deſunt ne a Deo abſimus ".

Poſt hæc eos hortatur, ut a mortifero hæreticorum pharmaco caveant, & abhorreant, ac indivulſi adhæreant Epiſcopo, & unitati Eccleſiæ. Deinde ſic ſcribit: „ (*b*) Obturate igitur aures ve-
„ ſtras, cum vobis quiſpiam loquitur ſine Jeſu Chriſto, qui e ge-
„ nere Davidis, qui e Maria, qui vere natus eſt, edit & bibit,
„ vere perſecutionem paſſus eſt ſub Pontio Pilato, vere crucifixus
„ & mortuus eſt videntibus cæleſtibus, terreſtribus, & ſubter-
„ raneis; qui & vere reſurrexit a mortuis reſuſcitante ipſum
„ Patre ipſius, ſecundum ſimilitudinem, qua & nos ipſos ita
„ credentes reſuſcitabit Pater ipſius in Chriſto Jeſu, ſine quo
„ veram vitam non habemus. (*c*) Si vero ut quidam Athei,
„ hoc eſt infideles ajunt ipſum ſecundum apparentiam eſſe paſ-
„ ſum ipſi ſecundum apparentiam exiſtentes; ego quid vinctus
„ ſum? & cur opto cum beſtiis depugnare? fruſtra itaque morior?
„ Profecto mendacia Domino non confingo "... Et poſt pauca pro-
ſequitur (*d*): „ Opto ut in Charitate me audiatis, ne hæc ſcribens
„ in teſtimonium vobis ſim, ſed & orate pro me, qui in Dei miſe-
„ ricordia charitate veſtra indigeo, ut dignus fiam ſorte, ad quam
„ aſſequendam jam deſtinor, ne reprobus inveniar. (*e*) Salutat
„ vos Charitas Smyrnæorum & Epheſiorum. Memores eſtote in
„ orationibus veſtris Eccleſiæ, quæ eſt in Syria, & de qua non ſum
„ dignus qui dicar; cum ſim eorum ultimus. Valete in Jeſu Chri-
„ ſto, ſubjecti Epiſcopo, ut Dei mandato, & ſimiliter Presbyterio.
„ Ac ſingillatim omnes alter alterum diligite corde indivulſo. Ex-
„ piet vos meus ſpiritus; non modo nunc, ſed ubi Deum nactus
„ fuero. Nam etiamnum in periculo verſor, ſed fidelis eſt Pater
„ Jeſu Chriſti, ut impleat petitionem meam & veſtram, in quo
„ opto, ut inveniamur ſine macula ".

Analyſis epiſtolæ ad Romanos.

Smyrnæ morabatur Ignatius cum quoſdam reperit fideles Romam recto & celeri tramite petentes illuc ante ipſum perventuri; illis propterea epiſtolam tradidit Romanæ Eccleſiæ ſcriptam, in qua poſt ſalutationem, qua laudibus & encomiis illam ornat, ita exorditur: (*f*) „ Quandoquidem precatus Deum, obtinui ut viderem di-
„ vinam veſtram faciem, ſicut & plurimum, ut hoc conſequerer,

„ expe-

(a) *n.* 5. (b) *n.* 9. (c) *n.* 10.
(d) *n.* 12. (e) *n.* 13. (f) *n.* 1.

S. IGNATIUS.

„ expetebam. Vinctus enim in Chriſto Jeſu, ſpero me ſalutatu- „ rum vos, ſi voluntas Dei ſit, ut dignus judicer ad finem perduci. „ Nam exordium conſtitutum eſt bene, ſi modo gratiam conſequar, „ ut ſortem meam ſine impedimento percipiam. Metuo enim cha- „ ritatem veſtram, ne ipſa me lædat. Vobis quippe facile eſt, „ quod vultis facere; mihi vero difficile eſt Deum aſſequi, ſi vos „ mihi non peperceritis. (*a*) Nolo vos hominibus, ſed Deo pla- „ cere, ſicut & placetis. Nec enim ego uſquam habiturus ſum „ ejuſmodi occaſionem Deum aſſequendi, nec vos ſi taceatis præſtan- „ tiori operi inſcribi poteritis. Si enim de me tacueritis, ego Dei „ fiam: ſin autem carnem meam dilexeritis, denuo currendum erit „ mihi. Plus autem mihi tribuere non poteſtis, quam ut immoler „ Deo, dum adhuc Altare paratum eſt". Oſtendit his verbis S. Martyr, ſe vereri quam maxime, ne fideles Romani ſua qua vale- bant auctoritate ipſum a ſupplicio eriperent. Dein ſic proſequi- tur ... (*b*) „ Numquam invidiſtis alicui: alios docuiſtis. Ego au- „ tem volo, ut & illa rata ſint, quæ docentes præcipitis. Solum „ petite mihi vires & intus & foris, ut non modo dicam, ſed & „ velim, ut non tantum dicar Chriſtianus, ſed & inveniar. Si enim „ inventus fuero, etiam dici potero, & tunc fidelis eſſe...(*c*) Ec- „ cleſiis ſcribo & mando omnibus quod voluntarius pro Deo mo- „ rior, ſi modo vos non prohibueritis. Obſecro vos, ne intempeſti- „ va benevolentia erga me ſitis. Sinite me ferarum eſcam fieri, per „ quas liceat Deum adipiſci. Frumentum Dei ſum, & dentibus „ ferarum molar, ut mundus panis Chriſti inveniar. Blanditiis de- „ mulcete potius feras, ut mihi ſepulchrum fiant, & nihil de cor- „ pore meo relinquant, ne cum obdormiero moleſtus cuipiam ſim. „ Tunc autem ero vere Jeſu Chriſti diſcipulus, quando Mundus „ nec corpus meum videbit. Deprecamini Deum pro me, ut per „ hæc organa, Dei efficiar hoſtia. Non ut Petrus, & Paulus præ- „ cipio vobis. Illi Apoſtoli, ego vero condemnatus. Illi liberi, ego „ etiamnum ſervus: at ſi paſſus fuero, libertus fiam Jeſu Chriſti, „ & reſurgam in eo liber. Et nunc vinctus diſco nihil concupiſcere „ mundanum vel vanum.

(*d*) „ A Syria Romam uſque cum beſtiis depugno terra mari- „ que noctu, ac interdiu alligatus decem Leopardis, qui eſt mili- „ taris manipulus: qui & beneficio affecti pejores fiunt ..... At „ ego eorum injuriis magis erudior, (*e*) *ſed non propter hoc ju- „ ſtificatus ſum*. Utinam fruar beſtiis mihi paratis, quas opto „ veloces mihi inveniri, quas & blanditiis demulcebo, ut citius me „ devorent, non ut quoſdam veritæ non attigerunt. Sed ſi ipſæ vo- „ lentem nolint, ego vi adigam. Ignoſcite mihi: quid mihi utile „ ſit agnovi. Nunc incipio diſcipulus eſſe. Viſibilium & inviſibi- „ lium nihil expetam, ut Jeſum Chriſtum aſſequar. Ignis, Crux, „ ferarum incurſus, lacerationes, diſtractiones oſſium, diſcerptio- „ nes

(a) *n.* 2. (b) *n.* 3. (c) *n.* 4. (d) *n.* 5.
(e) 1. *Corinth.* 4. 4.

„ nes membrorum, conciſio totius corporis, contritiones, mala, „ Diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut Jeſum Chri- „ ſtum nanciſcar ". S. Ignatius.

(a) „ Nihil me juvabunt deliciæ Mundi, nec regna hujus ſæcu- „ li. Majus eſt mihi emori propter Chriſtum Jeſum, quam impe- „ rare finibus terræ. (b) Princeps hujus ſæculi rapere me vult, „ & voluntatem, quam erga Deum habeo, corrumpere. Nullus „ itaque veſtrum, qui præſentes eſtis, opem illi ferat: ipſi potius „ mei ſitis, ideſt Dei mei. Ne loquamini Jeſum Chriſtum, & „ Mundum præferatis. Invidia in vobis non habitet; neque ego ſi „ præſens vos obſecrem, obtemperetis mihi, verum his potius cre- „ dite, quæ vobis ſcribo. Vivens enim ſcribo vobis, amore captus „ moriendi propter Chriſtum. Meus amor crucifixus eſt, & non „ eſt in me ignis quidpiam amans, ſed aqua viva ſaliens in me „ intus mihi dicit: *Veni ad Patrem*. Non gaudeo corruptibili nu- „ trimento, nec voluptatibus hujus vitæ: panem Dei volo, panem „ cœleſtem, panem vitæ, qui eſt caro Jeſu filii Dei nati poſtea e „ ſemine David, & potum volo ſanguinem illius, qui eſt charitas „ incorruptibilis ".

(c) Proſequitur vero: „ Memores eſtote in precibus veſtris Ec- „ cleſiæ, quæ eſt in Syria, quæ pro me Deo Paſtore utitur. Solus „ ipſam Jeſus Chriſtus vice Epiſcopi reget & veſtra charitas. Me „ vero pudet de illorum numero dici. Nec enim dignus ſum, cum „ noviſſimus eorum ſim, & abortivus, ſed per miſericordiam ob- „ tinui, ut ſim aliquid, ſi Deum aſſequar. Salutat vos meus ſpi- „ ritus, & charitas Eccleſiarum, quæ me ſuſceperunt in nomine „ Jeſu Chriſti non quaſi obiter prætereuntem. Etenim quæ non „ convenerunt me in via, quæ eſt ſecundum carnem, oppidatim me „ honorifice deduxerunt.

(d) „ Scribo autem vobis hæc e Smyrna per Epheſios merito „ beatos. Eſt autem una mecum cum aliis multis & Crocus „ exoptatum mihi nomen. De his, qui e Syria Romam venerunt, „ ad gloriam Dei, credo vos cognoviſſe, quibus & ſignificate me „ prope eſſe. Omnes enim ſunt Deo digni & vobis, quos decet, „ ut vos per omnia refocilletis. Scripſi autem vobis hæc die ante „ 9. Kal. Septembris. Valete in perpetuum in patientia Jeſu „ Chriſti ". Sic ad Romanos Epiſtolam ſuam inter cæteras cele- berrimam claudit Ignatius.

Smyrna diſcedens appulit Troadem S. Martyr Ignatius, ubi eum convenit Philadelphiæ Epiſcopus, ibique Epiſtolas ſcripſit ad eamdem Eccleſiam, ad Smyrnenſem, & ad Polycarpum. In priori ad Phi- ladelphienſes in ſalutatione fideles ad concordiam hortatur cum E- piſcopo, Presbyterio, & Diaconibus: deinde ſic exorditur (e): „ Epiſcopum (veſtrum) cognovi non a ſeipſo, neque per homi- Analyſis Epiſtolæ ad Philadelphios.

„ nes

(a) *n.* 6. (b) *n.* 7. (c) *n.* 9.
(d) *n.* 10. (e) *n.* 1.

S. IGNATIUS.

„ nes obtinuiſſe miniſterium ſpectans ad communem utilitatem, nec „ per inanem gloriam, ſed in charitate Dei Patris, & Domini „ Jeſu Chriſti, cujus obſtupui modeſtiam, qui tacitus plus poteſt, „ quam qui plura loquuntur. Coaptatus enim eſt Domini mandatis, ut chordæ citharæ. Quapropter beatum cenſeo animi illius „ propoſitum, qui cognoſco illum virtutibus ornatum eſſe, & perfectum, illius immobilitatem, atque lenitatem, iræque vacuitatem in omni manſuetudine Dei viventis“. Deinde fideles hortatur, ut diviſiones fugiant, & pravas doctrinas, dein ſic proſequitur: (*a*) „ Non quod apud vos diviſionem invenerim, ſed præmunio vos ut filios Dei. Quotquot enim Dei & Jeſu Chriſti ſunt, „ hi ſunt cum Epiſcopo. Quotquot autem pœnitentia ducti redierint ad unitatem Eccleſiæ, & iſti Dei erunt, ut ſecundum Jeſum Chriſtum vivant. Ne erretis, fratres mei. Si quis ſchiſma „ facientem ſectatur, regni Dei hæreditatem non conſequitur. Si „ quis in aliena ſententia ambulat, iſte non eſt Chriſti, nec paſſioni ejus conſentit. Operam igitur detis, ut una Euchariſtia utamini. Una enim eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus „ calix in unitatem Sanguinis ipſius, unum altare, ſicut unus Epiſcopus cum Presbyterio & Diaconis conſervis meis, ut quod facitis, ſecundum Deum faciatis“. Poſt hæc hortatur, ut doctrinis Apoſtolorum, ſicut & Prophetarum, quod & ipſi Evangelium annunciaverunt, firmiter inhæreant. Deinde progreditur ſic: (*b*) „ Si „ quis autem Judaiſmum vobis exponat, ne audiatis ipſum: melius „ eſt enim a viro circumciſionem habente Chriſtianiſmum audire, „ quam ab habente præputium Judaiſmum. Si autem utrique de „ Jeſu Chriſto non loquuntur, iſti mihi columnæ ſepulchrales, & „ mortuorum ſunt monumenta, quibus hominum nomina dumtaxat „ inſcripta ſunt.... Gratias autem ago Deo meo, quod pacatam „ gero de vobis conſcientiam, nec habet quiſquam quod glorietur, „ vel ſecreto, vel palam a me quemquam gravatum eſſe, aut in „ parvo aut in magno. Sed & omnes, inter quos locutus ſum, oro „ ne illud in teſtimonium habeant. (*c*) Quamquam enim ſecundum carnem voluerunt quidam me ſeducere: at Spiritus meus „ non ſeducitur in Deo exiſtens; novit enim (*d*) *unde veniat*, *aut* „ *quo vadat*, & ſecreta coarguit. Clamavi cum intereſſem magna „ voce, clamavi voce Dei, Epiſcopo attendite, & Presbyterio, „ & Diaconis. Quidam autem ſuſpicati ſunt me præſcium diverſionis quorumdam hæc dicere. Teſtis eſt autem mihi is, propter „ quem vinctus ſum, quod ab ore humano non agnoverim, ſed „ Spiritus annuntiavit mihi dicens iſta: Sine Epiſcopo nihil facite. „ Carnem veſtram ut Dei templum cuſtodite. Unitatem amate, „ diſſidia fugite. Imitatores eſtote Jeſu Chriſti, ſicut & ipſe Patris ipſius“.

Poſt hæc Jeſu Chriſti dignitatem extollit, ejuſque mediationis neceſſita-

---

(a) *n.* 3. (b) *n.* 6. (c) *n.* 7.
(d) *Johan.* 3. 8.

ceſſitatem adſtruit, dein addit: (*a*) „ Quoniam ſecundum oratio- S. Ignatius.
„ nem veſtram, & ſecundum viſcera, quæ habetis in Chriſto Jeſu,
„ nuntiatum eſt mihi pacem habere Antiochenam Eccleſiam, quæ
„ in Syria eſt, decet vos, ut Dei Eccleſiam, eligere Diaconum,
„ qui obeat ibi legationem Dei, ut cum illis in unum congregatis
„ ſimul gaudeat, & glorificet nomen Dei". (Quibus verbis indicat Ignatius Eccleſiæ Antiochenæ pacem non exteriori aliqua Gentilium perſecutione turbatam, ſed interiori fideles inter diſſenſione agitatam). Sequitur S. Martyr: „ Beatus ille in Jeſu Chriſto, qui
„ dignus habitus fuerit hujuſmodi miniſterio: & vos glorificabimi-
„ ni. Volentibus autem vobis non eſt impoſſibile pro nomine Dei,
„ ut & ſemper proximæ Eccleſiæ aliæ miſerunt Epiſcopos, nonnul-
„ læ vero Presbyteros & Diaconos.

In Epiſtola ad Smyrnenſes data adlaborat præſertim S. Ignatius, ut fideles in fide Incarnationis confirmet adverſus Docitas & Phantaſiaſtas. (*b*) „ Cognovi vos (ſcribit) perfectos in fide immota, Analyſis Epiſtolæ ad Smyrnæos.
„ ut infixos Cruci Domini noſtri Jeſu Chriſti & carne & ſpiritu,
„ & firmatos in Charitate in Sanguine Chriſti, plene perſuaſos in
„ Dominum noſtrum vere exiſtentem de genere Davidis ſecundum
„ carnem, filium Dei ſecundum voluntatem & potentiam Dei;
„ natum vere e Virgine, baptizatum a Joanne, (*c*) *ut impleretur*
„ *ab eo omnis juſtitia*; vere ſub Pontio Pilato & Herode Tetrar-
„ cha clavis confixum pro nobis in carne". Et paulo infra (*d*):
„ Et vere paſſus eſt, ſicut & vere ſemetipſum reſuſcitavit, non ut
„ quidam infideles dicunt, ſecundum opinionem ipſum paſſum eſſe,
„ ipſi ſecundum opinionem exiſtentes, & quemadmodum ſapiunt,
„ ſic & continget eis qui phantaſtici ſunt, ac dæmoniaci. (*e*) Ego
„ enim & poſt reſurrectionem eum in carne novi, & credo eſſe.
„ Et quando ad eos, qui cum Petro erant, venit, inquit ipſis, *ap-*
„ *prehendite, & palpate me, & videte quod non ſum Dæmonium*
„ *incorporale*, & confeſtim ipſum tetigerunt convicti carne ipſius
„ & ſpiritu. Propter hoc etiam mortem contempſerunt, ſupra
„ mortem vero inventi ſunt. Poſt reſurrectionem autem cum eis
„ comedit & bibit ut carnalis, quamvis ſpiritualiter unitus Patri.
(*f*) „ De his autem admoneo vos, Chariſſimi, ſciens quod &
„ vos ita habeatis. Sed præmunio vos contra feras humanam for-
„ mam præſeferentes, quas non ſolum oportet vos non recipere,
„ ſed ſi poſſibile eſt nec obviam eis fieri, ſolum vero pro ipſis ora-
„ re, ſi quomodo pœnitentiam agant, quod admodum difficile eſt.
„ Hujus autem poteſtatem habet Jeſus Chriſtus vera noſtra vita.
„ Si enim opinione ſola hæc a Domino noſtro ſunt peracta, &
„ ego opinione ſolum vinctus ſum. Quid vero & meipſum morti
„ dedititium tradidi ad ignem, ad gladium, ad beſtias? Verum
„ qui prope gladium, prope Deum eſt, qui cum beſtiis, cum Deo
„ eſt... (*g*) Quid enim mihi prodeſt, ſi quis me laudat, & Domi-
„ num

(a) *n.* 10. (b) *n.* 1. (c) *Matth.* 3. 15.
(d) *n.* 2. (e) *n.* 3. (f) *n.* 4. (g) *n.* 5.

S. IGNATIUS.

„ num meum blaſphemat non confitens ab ipſo carnem geſtari ?
„ Qui vero id non dicit, prorſum eum negavit, & cadaver geſtat.
„ Nomina vero eorum, cum ſint infidelia, non viſum eſt mihi ſcribere, ſed & abſit a me, ut eorum mentionem faciam, donec reſipiſcant in paſſionem, quæ eſt noſtra reſurrectio ... (*a*) Conſiderate vero eos .... quomodo contrarii ſunt ſententiæ Dei. De Charitate non eſt cura ipſis, non de vidua, non de orphano, non de oppreſſo, non de vincto vel ſoluto, non de eſuriente vel ſitiente. (*b*) Ab Euchariſtia & oratione abſtinent, eo quod non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit ... Decet itaque abſtinere ab ejuſmodi, nec in privato, nec in communi colloquio de illis verba facere. (*c*) Diviſiones vero fugite. Omnes Epiſcopum ſequimini ut Jeſus Chriſtus Patrem, & Presbyterium ut Apoſtolos, Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum exequentes miniſterio ſuo. Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Eccleſiam ſpectant. Rata Euchariſtia habeatur illa, quæ ſub Epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit. Ubi comparuerit Epiſcopus, ibi & multitudo ſit: quemadmodum ubi fuerit Chriſtus Jeſus, ibi Catholica eſt Eccleſia. Non licet ſine Epiſcopo neque baptizare, nec Agapem celebrare, ſed quodcumque ille probaverit, hoc & Deo eſt beneplacitum, ut tutum ratumque ſit quodcumque agitur ...(*d*) Qui honorat Epiſcopum, a Deo honoratus eſt. Qui clam Epiſcopum aliquid agit, Diabolo præſtat obſequium “.

Gratias agit quod ipſum recreaverunt, & quod tribus ſociis ſuis Philoni, Rheo, & Agathophoro bene fecerint: hortatur, ut Antiochiam nuntium mittant, & addit: „ (*e*) Decet ad Dei honorem, „ ut Eccleſia veſtra eligat ſuum legatum, ut cum ad Syriam uſque venerit, congratuletur illis, quod pacem conſecuti ſint, & ſuam receperint magnitudinem, ac reſtitutum ſit illis ſuum corpus. Digna igitur mihi res viſa, ut aliquem veſtrum mittatis cum Epiſtola, quo una cum illis glorificet Deum de tranquillitate, quam in Deo conſecuti ſunt, & quod portu jam potiti ſunt per orationem veſtram ...(*f*) Salutat vos charitas fratrum, qui ſunt in Troade: unde & ſcribo vobis per Burgum, quem miſiſtis mecum una cum Epheſiis fratribus, qui omni modo me refocillavit; atque utinam omnes illum imitentur, qui eſt exemplar divini miniſterii. Remuneret ipſum gratia per omnia. Saluto Deo dignum Epiſcopum veſtrum Polycarpum, & Deo decorum Presbyterium, & conſervos meos Diaconos, ſingillatimque atque in univerſo omnes in nomine Jeſu Chriſti & carne ipſius, & ſanguine, & paſſione ac reſurrectione corporali ſimul & ſpirituali in unitate Dei, veſtraque ... (*g*) Saluto familias fratrum meorum cum uxoribus & liberis, nec non virgines vocatas viduas “.

(a) *n. 6.* (b) *n. 7.* (c) *n. 8.* (d) *n. 9.*
(e) *n. 11.* (f) *n. 12.* (g) *n. 13.*

„ duas “. (*a*) (Hæ erant Diaconiſſæ, quæ Viduarum nomine deſignabantur, quia frequenter tales erant; licet aliquando inter Diaconiſſas etiam virgines longævæ cooptarentur). „ Incolumes in virtute ſpiritus eſſe mihi. Salutat vos Philo, qui mecum eſt. Saluto Gaviam cum domeſticis, quam opto ſolidari fide & charitate corporali atque ſpirituali. Saluto Alcen deſiderabile mihi nomen, & Daphnum incomparabilem, & Eutecnum, omneſque nominatim. Valete in gratia Dei “.

S. Ignatius.

Deſignabat Ignatius & cæteris Aſiæ Eccleſiis litteras dare, ſed de repente compulſus navim conſcendere, qua Neapolim Macedoniæ tranſveheretur, ſoli S. Polycarpo Smyrnenſi Epiſcopo ſcribere potuit, quem ut ſibi reſcribat precatur: illi tradit monita non diſſimilia iis, quæ Timotheo ſcribebat Apoſtolus. Inquit enim (*b*): „ Tuere locum tuum in omni cura carnali & ſpirituali. Unitatis curam habe, qua nihil melius. Omnes perfer, quomodo & te Dominus. Omnes tolera per charitatem, ſicut & facis. Precibus vaca perpetuis; poſtula intellectum ampliorem quam habes. Vigila inſomnem ſpiritum poſſidens. Singulis juxta adjutorium Dei loquere. Cunctorum ægrotationes porta ſicut perfectus Athleta. Ubi plus laboris, magnum lucrum eſt. (*c*) Bonos diſcipulos ſi amaveris, nulla tibi eſt gratia, potius peſtilentiores in manſuetudine ſubjice. Non omne vulnus eodem emplaſtro curatur. Vehementiores morbi acceſſiones ſuperfuſionibus ſeda.... (*d*) Qui videntur fide digni & aliena docent, non te perterrefaciant. Sta firmus, ut incus quæ percutitur. Magni Athletæ eſt cædi, & vincere ... (*e*) Viduæ non negligantur. Poſt Dominum tu earum curator eſto. Nihil ſine tua voluntate fiat, neque tu quidquam ſine Dei voluntate ages ... Crebrius conventus fiant. Nominatim omnes inquire. Servos & ancillas ne ſuperbe contemnas, ſed nec ipſi inflentur faſtu, verum ad gloriam Dei plus ſerviant, ut potiorem libertatem a Deo conſequantur. Non cupiant in communi donari libertate, ne ſervi inveniantur cupiditatis. (*f*) Malas artes fuge; imo vero de iis verba ne facito. Sororibus meis dicito ut Dominum ament, & Maritis contentæ ſint carne ac ſpiritu. Similiter & fratribus meis manda in nomine Jeſu Chriſti diligant conjuges ſuas, ſicut Dominus Eccleſiam. Si quis poteſt in caſtitate manere ad honorem carnis Dominicæ, in humilitate maneat. Si glorietur, periit, & ſi ſe majorem Epiſcopo cenſet, interiit. Decet vero, ut ſponſi & ſponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant, quo nuptiæ ſint ſecundum Dominum, non ſecundum cupiditatem. Omnia ad honorem Dei fiant “.

Analyſis epiſtolæ ad Polycarpum.

Proſequitur S. Ignatius, ad totam Smyrnenſem Eccleſiam ſermonem convertens, quippe qui probe noverat Epiſtolam ſuam, licet uni Epiſcopo ſcriptam, in Eccleſia tamen omnibus audientibus, ut

mos

(a) *Cotel. Hiſt. Conſt. Apoſt. 6. cap. 17. Epiphanius Expoſitione fidei n. 12.*
(b) *n. 1.* (c) *n. 2.* (d) *n. 3.*
(e) *n. 4.* (f) *n. 5.*

S. IGNATIUS.

mos erat, legendam: (*a*) „ Epiſcopo attendite, ut & Deus vobis. Devovear ego pro iis, qui ſudditi ſunt Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, atque mihi contingat habere cum illis partem in Deo. Collaborate vobis mutuo, una certate, una currite, compatimini una, dormite una, exurgite ut Dei diſpenſatores, & meſſores, & miniſtri. Placete illi, cui militatis, a quo & ſtipendia refertis". Dein iterum ad Polycarpum ſermonem convertens, de pace Eccleſiæ Antiochenæ reſtituta gaudens, ſcribit: (*b*) „ Decet in Deo, beatiſſime Polycarpe, concilium cogere Deo decentiſſimum, & eligere aliquem, quem valde carum habeatis, & impigrum, qui poterit divinus curſor appellari, illumque eo dignari honore, ut profectus in Syriam glorificet veſtram impigram charitatem in gloriam Chriſti. Chriſtianus ſui poteſtatem non habet, ſed Deo vacat". Poſt pauca vero ſubdit: (*c*) „ Quoniam igitur omnibus Eccleſiis nequivi ſcribere, quod repente navigaverim a Troade Neapolim, ut voluntas cupiebat; ſcribe vicinis Eccleſiis, tamquam qui ſententiæ Dei compos ſis, quo & ipſi idem faciant: qui poſſunt, pedites mittant; alii vero Epiſtolas per eos, qui a te mittentur, ut glorificeris æterno opere quemadmodum dignus es. Saluto omnes nominatim, & Epitropi uxorem cum tota domo ſua & liberis. Saluto Attalum mihi carum. Saluto eum, qui profectione in Syriam dignus habebitur. Gratia in perpetuum cum illo erit, & cum mittente illum Polycarpo. Opto vos valere ſemper in Deo noſtro Jeſu Chriſto, in quo permaneatis in unitate Dei & viſitatione. Saluto Alcen deſiderabile mihi nomen. Valete in Domino". Sic claudit Epiſtolam ad Polycarpum. Hæ autem ſunt Epiſtolæ illæ ſeptem toti Antiquitati tamquam legitimi Ignatiani fœtus notæ; nimirum ad Epheſios, Magneſianos, Trallianos, Romanos, Philadelphienſes, Smyrnenſes, & Polycarpum. Publice in conventibus Eccleſiaſticis legi conſueverant.

Epiſtolarum S. Ignatii authentia.

1. Euſebius ſuarum hiſtoriarum libris (*d*) ſummam Epiſtolarum dedit ab Ignatio ſcriptarum, & exacte numerum, tempus ſcriptionis, & nomina illorum, quibus datæ erant ſive Eccleſiis, ſive perſonis, ſignavit.

2. Longe ante Euſebii tempora, immo & ipſo Ignatii ſæculo Epiſtolæ, quas ejus nomine inſcriptas habemus, pluribus Aſiæ Eccleſiis notæ erant & celebres. S. Polycarpus ejus præ cæteris amicus & condiſcipulus ſub S. Joannis Evangeliſtæ magiſterio, omnes eas collegerat Epiſtolas, tum ad ſe datas, tum ad illas miſſas: quas omnes ad Philippenſes, qui eas poſtulaverant, miſit, ut ipſe teſtatur in reſponſione data Philippenſium litteris, ſic ſcribens: „ Epiſtolas ſane Ignatii, quæ tranſmiſſæ ſunt nobis ab eo, & alias quantaſcumque apud nos habuimus, tranſmiſimus vobis ſecundum quod mandaſtis ... ex quibus magnus erit vobis profectus. Con-

(a) *n. 6.* (b) *n. 7.* (c) *n. 8.* (d) *lib. 3. cap. 36.*

„ Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad „ Dominum noſtrum pertinentem (*a*) “. S. IGNATIUS.

3. S. Polycarpi diſcipuli monumenta tanti habita a Magiſtro ſuo nequaquam neglexere; eapropter S. Irenæus in Galliam eas tranſtulit, & quamquam nonniſi ſemel in omnibus ſuis, quæ adhuc extant, operibus laudatæ legantur, præſumi tamen merito poteſt in illius deperditis operibus ſæpius earum auctoritatem allegaſſe.

4. Origenes quoque ætati S. Polycarpi proximus & S. Irenæo coævus Epiſtolas Ignatii laudat; ſicut & laudantur a S. Athanaſio, ab Auctore Anonymo inter Opera S. Joannis Chryſoſtomi, a Dionyſio vulgo Areopagita, a Theodoreto, Gilda, Jovio Monacho, ac Theodoro Studita, qui omnes Ignatium Epiſtolarum ſuo nomine inſcriptarum auctorem agnoſcunt, & deprædicant. Photius quoque, & S. Joannes Damaſcenus, ſicut & plurimi ſequentium ſæculorum Scriptores eas epiſtolas ceu genuinas citarunt, & agnoverunt.

Nonnulli tamen ex Proteſtantibus ſeverioris Critices laudatas abjiciunt epiſtolas, & dicunt 1. Ex Veteribus neminem ante Euſebium harum Epiſtolarum meminiſſe. Verum hoc falſo dici, patet manifeſte ex teſtimoniis S. Polycarpi, S. Juſtini, S. Irenæi, & Origenis, qui ante Euſebium illas laudarunt & agnoverunt epiſtolas.

2. In Epiſtola ad Epheſios mentionem fieri Oneſimi Epiſcopi Epheſini, qui ante S. Ignatium obierat. Reſp. Oneſimus iſte alius eſt ab Oneſimo S. Pauli Apoſtoli diſcipulo, quem plures Scriptores non Epheſinum Epiſcopum dicunt, ſed Berœæ Eccleſiam rexiſſe arbitrantur.

3. In ſuis Epiſtolis Ignatius & Saturninum oppugnat dicentem Jeſum Chriſtum non realiter, ſed apparenter dumtaxat paſſum eſſe, & Theodotum Chriſtum purum hominem docentem, qui profecto hæretici Ignatium non præceſſerunt, ſed conſecuti ſunt. Reſp. S. Ignatium Simonem, Menandrum, Cerinthum, & Ebionem ſui temporis hæreticos reſpexiſſe & oppugnaſſe (1).

(a) *Epiſt. S. Polyc. apud Cotel. Tom. 2. pag. 191. n. 13.*

(1) Non ſemel creditum eſt, S. Ignatium hæreticos ſui temporis denotare, de quibus tamen nec cogitavit. Sic e. c. in Epiſtola ad Magneſianos, in qua Chriſti Divinitatem diſerte adſtruens ſcribit: „ Qui eſt „ Verbum ipſius æternum non a ſilentio ἀπὸ σιγῆς progrediens “. Novatores ut has Epiſtolas ſuis erroribus non parum incommodas Ignatio eripiant, dicunt ab Auctore deſignatum Valentinianorum errorem, proinde illam epiſtolam minime Ignatio adſcribendam: cum Valentinus nonniſi poſt Ignatii obitum emerſerit. Ad hanc retundendam difficultatem arbitror tutiorem clypeum eſſe, ſi cum Dupinio & Marechalio reſponderimus, S. Martyrem nullum ibi deſignaſſe Hæreticum quem refellat, ſed unice contendere ut oſtendat Verbum divinum utpote æternum progredi nequiviſſe a ſilentio, uti humana prodeunt verba; revera enim hoc curſim tantum indigitat S. Ignatius, quin nec leviter oſtendat ſe errorem aliquem velle refellere.

S. IGNATIUS.

ARTICULUS TERTIUS.

Præcipua D. Ignatii epiſtolarum teſtimonia Dogmata, doctrinam morum, ac diſciplinam reſpicientia.

S. Ignatii doctrina de Divinitate, & Humanitate Chriſti: de Perſonarum diſtinctione, & unitate divinæ naturæ.

JESU Chriſti divinitatem agnoviſſe, & aperte confeſſum eſſe D. Ignatium nullus eſt ambigendi locus. Illum ſiquidem non ſemel, ſed pluribus in locis (*a*) *Deum verum, & hominem verum; creatum, & increatum*, (*b*) *Deum in homine exiſtentem, Vitam veram in morte*, (*c*) *Filium Dei Patri coæternum ſemper in illo, & cum illo exiſtentem potentia quidem æqualem*; (*d*) *ſed ſecundum carnem*, (*e*) *& quatenus Mariæ Filius ſubjectum, qui vere mortuus eſt, & reſurrexit, & ſine quo mortem effugere non poteramus*, (*f*) *cujus tamen mortem, ſicut & nativitatem ac Virginitatem Matris, Principem hujus ſæculi latuiſſe*, agnoſcit, confitetur, deprædicat.

De duabus etiam in Chriſto naturis differit S. Ignatius, quas realiter inter ſe diſtinctas, & abſque ulla prorſus vel confuſione vel commixtione in unam perſonam coadunatas ſe credere profitetur (*g*). De Divinis etiam Perſonis loquitur (*h*); ita vero eas inter ſe diſtinctas agnoſcit, ut ſimul tamen unius plane naturæ confiteatur.

Veræ Eccleſiæ characteres & notas indicat eſſe (*i*) unitatem, (*k*) catholicitatem, & incorruptibilitatem (*l*), nec non ſubjectionem (*m*) Epiſcopis, Presbyterio, & Diaconibus, (*n*) ſine quo nequit ſubſiſtere. Docet quod ſicut (*o*) ubi Chriſtus, ibi & Catholica Eccleſia, ita fidelium multitudo ibi adeſſe debet, ubi comparuerit Epiſcopus. (*p*) Nullum legitimum Altare, de quo Epiſcopus particeps non eſt. Epiſcopum vinculum eſſe (*q*) & centrum unitatis. Qui ab erroribus cavere cupit & ſeductionem fugere (*r*), Epiſcopo adhæreat, eumque ſequatur, (*ſ*) quemadmodum Chriſtus ſuum ſequitur Patrem. Sicuti Chriſtus inſeparabilis noſtra vita, ſententia Patris conſtitutus eſt caput Eccleſiæ (*t*); ita Epiſcopi per terræ terminos definiti ex Chriſti ſunt ſententia, ut Eccleſiis præſint, & fideles doceant (*u*), qui tamen in ſe ipſis & doctrinam & Chriſti opera exprimere debent, & referre. Ad Epiſcopum pertinere (*x*) fidelium conventus cogere; ſine Epiſcopo non licere nec baptizare, nec Agapes celebrare, nec aliquid ad Eccleſiam ſpectans ſtatuere, (*y*) ejus eſſe omnes nominatim fideles cognoſcere, & utrum Synaxibus adſiſtant inſpicere.

Quan-

(a) *Ad Epheſ.* 1. (b) *Ib. n.* 19. (c) *Ad Magn.* 8.
(d) *Ib.* 13. (e) *Ad Trall.* (f) *Ad Epheſ. n.* 19.
(g) *Ib. n.* 7. (h) *Ad Magn. n.* 13. (i) *Ad Smyrn. n.* 1.
(k) *Ib. n.* 8. (l) *Ad Epheſ. n.* 17. (m) *Ad Philad. n.* 3. (n) *Ibid.*
(o) *Ad Smyrn. n.* 8. (p) *Ad Trall. n.* 7. (q) *Ad Philad. n.* 4.
(r) *Ad Trall. n.* 7. (s) *Ad Smyrn. n.* 8. (t) *Ad Epheſ. n.* 3.
(u) *Ibid.* (x) *Ad Polycar. per totum.* (y) *Ib. n.* 4.

S. IGNATIUS.

De Schiſmate.

Quantum ab omni hæreſi & ſchiſmate abhorruerit S. Ignatius declarat, dum ſcribit (*a*): *Si quis eum ſectatur, qui ſe abſciderit a veritate, regnum Dei non hæreditabit. Si quis aliena ſententia ambulat, hic non eſt Chriſti, nec paſſionis ejus particeps*. Alicubi hæreſim inter atrocia crimina enumerat ſcribens (*b*): *Si quis fidem Dei prava doctrina corrumpit, pro qua Jeſus Chriſtus crucifixus eſt, talis inquinatus factus, in ignem inextinguibilem ibit*. Abſit tamen ut crediderit vel docuerit, hæreſim & ſchiſma peccata eſſe irremiſſibilia: (*c*) nam generatim confitetur Deum illis ignoſcere, qui ſincera pœnitentia ad cor revertentur, ad unitatem Eccleſiæ, & ad conjunctionem cum Epiſcopo.

De Baptiſmo, Euchariſtia, & Matrimonio.

Chriſtum baptizatum fuiſſe docet (*d*), ut *ſua paſſione* ſuiſque abjectionibus *aquas Baptiſmi purificaret*. *Baptiſmum unum eſſe* (*e*), *quod nonniſi ab Epiſcopo, vel nonniſi de ejus conceſſione miniſtrare licebat* (*f*). *Unam Euchariſtiam, unam carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unum Calicem in unitatem Sanguinis ipſius, unum Altare* (*g*). *Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit* (*h*), *quæ eſt pharmacum immortalitatis, antidotum ne moriamur, ſed vivamus ſemper in Jeſu Chriſto*. S. Ignatius illos commendat, *qui* (*i*) *cœlibem vitam ducunt*, quos tamen monet ne ſuperbe ſapiant, *ſed in humilitate maneant*. De illis vero, qui connubia amplectuntur, ſcribit (*k*): *Decet ut Sponſi, & Sponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant, quo nuptiæ ſint ſecundum Dominum, & non ſecundum concupiſcentiam*.

De Fide Prophetarum, & Sanctorum interceſſione.

Dicit præterea de Prophetis Ignatius: *Cujus* (Chriſti) *etiam Prophetæ Diſcipuli* (*l*) *cum eſſent, Spiritu ipſum ut Doctorem expectabant, propter hoc is quem juſte præſtolabantur adveniens ſuſcitavit ipſos ex mortuis*. Et rurſum (*m*): *Ipſe eſt janua Patris, per quem ingrediuntur Abrahamus .... & Prophetæ, & Apoſtoli, atque Eccleſia, omnia hæc ad unitatem Deo* (*n*), qui ſolus converſionem peccatorum operatur. Oſtendit etiam S. Martyr, ſe pro certo habuiſſe Sanctos in Cælis regnantes de Eccleſiæ ſtatu ſollicitos eſſe, & pro fidelibus intercedere. Sic enim ad Trallianos ſcribit (*o*): *Expiet vos meus Spiritus non modo nunc, ſed & ubi Deum nactus fuero*. (*p*) Diſtinguit etiam *ordines Angelorum, cætus conſtitutioneſque Principatuum*; (*q*) & denique Apoſtolos Petrum & Paulum Romanis fidem Chriſti nuntiaſſe.

Illud etiam ex S. Ignatii epiſtolis notandum: ſi forte Epiſcopus a ſua abſens Eccleſia ad ipſam amplius reverti non poſſet, ejus miniſte-

(a) *Ad Philadel. n.* 3. (b) *Ad Epheſ. n.* 16.
(c) *Ad Philadel. n.* 3. (d) *Ad Epheſ. n.* 18.
(e) *Ad Smyrn. n.* 8. (f) *Ad Philadel. n.* 9.
(g) *Ad Smyrn. n.* 7. (h) *Ad Epheſ.* 20.
(i) *Ad Polycar. n.* 5. (k) *Ibid.* (l) *Ad Magneſ.* 9.
(m) *Ad Philadel. n.* 9. (n) *Ad Smyrn. n.* 4.
(o) *n.* 13. (p) *Ib. n.* 5. (q) *Ad Romanos n.* 4.

S. IGNATIUS. miniſterium (*a*) non ad ſeniorem inter Presbyteros transferri, ſed quandoque provectioribus rejectis (*b*) juniorem in Epiſcopum eligi conſueviſſe. Sua ætate (*c*) Sabbato Judæorum diem Dominicum in memoriam Reſurrectionis a Chriſtianis feſtivum fuiſſe ſubſtitutum. Denique plura alia notatu digna in illis haberi (*d*) de Fide, Charitate, Amore, (*e*) & Timore.

ARTICULUS QUARTUS.

Præcipua Spiritualis Vitæ documenta.

Perfectionis Fides initium; Charitas finis. I. FIDES, & Charitas initium vitæ, & finis ſunt: principium quidem Fides, finis vero charitas. Hæc autem duo in unum coeuntia, Dei ſunt: omnia vero alia ad probitatem conſectanea ſunt. (*Epiſt. ad Epheſ. n.* 14.)

Eucharistia pharmacum immortalitatis. II. Convenitis frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis eſt, antidotum ne moriamur, ſed vivamus ſemper in Jeſu Chriſto. (*Ibidem n.* 2.)

Martyrii deſiderium. III. Sinite me ferarum eſcam fieri, per quas licet Deum adipiſci. Frumentum Dei ſum, & dentibus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar. (*Ad Rom. n.* 4.)

Intenſiora patiendi deſideria. IV. Ignis, crux, ferarum concurſus, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis contritiones, mala Diaboli tormenta in me veniant; tantummodo ut Jeſum Chriſtum nanciſcar. (*Ibidem n.* 5.)

Mors pro Chriſto omnibus terrenis bonis præferenda. V. Nihil me juvabunt fines mundi, nec regna hujus ſæculi: melius eſt mihi emori propter Jeſum Chriſtum. Illum quæro, qui pro nobis mortuus eſt. Illum volo, qui propter nos reſurrexit. Ille lucrum mihi adjacet. (*Ibidem n.* 6.)

Iterum Chriſti totum eſſe deſiderat, & Martyrium ſitit. VI. Meus amor crucifixus eſt: & non eſt in me ignis amans aquam aliquam, ſed vivens, & loquens in me, intus mihi dicit: veni ad Patrem. Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ; panem Dei volo, qui eſt caro Jeſu Chriſti ex genere Davidis. (*Ibidem n.* 7.)

Officia Dominorum & Servorum. VII. Servos & ancillas ne ſuperbe contemnas: ſed nec ipſi inflentur, verum ad gloriam Dei plus ſerviant, ut potiorem libertatem a Deo conſequantur. (*Ad Polycar. n.* 4.)

Caſtitas humilitati jungenda. VIII. Si quis poteſt in caſtitate manere ad honorem carnis Dominicæ, in humilitate maneat. Si glorietur, periit. (*Ibidem n.* 5.)

CA-

(a) *Ad Rom. n.* 9. (b) *Ad Magn. n.* 3. (c) *Ib. n.* 9.
(d) *Ad Epheſ. n.* 14. (e) *Ib. n.* 4.

CAPUT SECUNDUM.

S. JUSTINUS

Philoſophus, Martyr, & Eccleſiæ Doctor.

ARTICULUS PRIMUS.

Vitæ S. Juſtini Breviarium.

S. JUSTINUS, in Eccleſia gloria & titulo Martyrii clarus, Flavia Neapoli in Syria Palæſtinæ urbe, Patre Priſco & Bacchio avo, circa annum Chriſti 103. ortus eſt. S. Epiphanius ipſum origine Samaritanum dicit, & ipſemet Juſtinus Samaritanos aliquando gentiles & concives ſuos appellat: hinc Eruditi nonnulli S. Juſtinum Abrahæ filium ſecundum carnem appellare non dubitarunt. At ipſe toties numquam ſe circumciſionem ſuſcepiſſe teſtatur, ac tam aperte dicit, ſe ex Gentilibus progenitum, ut nullus amplius de ejus origine ſit ambigendi locus.

S. JUSTINUS. Nativitas S. Juſtini, ejus Patria, & Parentes.

Religionem Chriſtianam amplexatus creditur anno ætatis ſuæ trigeſimo, & quidem, quemadmodum ipſe fatetur, ut in Philoſophicis ſcientiis magis proficeret (*a*). Primum Philoſophiæ Magiſtrum habuit Stoicum quemdam, ac ſatis diu cum ipſo verſatus eſt. Sed cum nihilo plura de Deo ſcire animadverteret, (nam nec ſciebat ipſe Stoicus, neque hanc ſcientiam neceſſariam putabat) ab eo diſceſſit, ſeque ad illum contulit, quem Peripateticum dicebant, hominem, ut ſibi videbatur, peracutum. Sed eum paucis poſt diebus de mercede agentem miſſum fecit ob avaritiam, ne Philoſophum quidem exiſtimans. Non tamen deterritus, quod ſibi in duobus Magiſtris adeundis parum ſucceſſiſſet, confugit ad celeberrimum Pythagoreum hominem de ſapientia valde glorientem. Sed is hanc conditionem Juſtino tulit, ut antequam ad Philoſophicas aſſurgeret contemplationes, Mathematicis diſciplinis navaret operam. Permoleſtum id accidit Juſtino, qui in hiſce difficilioribus addiſcendis tempus terere nolebat, & a cognitione veritatis, quam ſummopere deperibat, ſe retardari ægre ferebat. In hac itaque conſilii inopia Platonicos adiit, ſeque viro prudenti, (*b*) *qui recens in urbem noſtram* (inquit) *venerat*, in diſciplinam tradidit. Plurimum proficiebat in hoc inſtituto Juſtinus, ſed illius in contemplandis rebus incorporeis progreſſus eo redibant, (*c*) ut ſapiens ſibi ipſi videretur evaſiſſe, & in ſpem videndi protinus Dei veniret, in quem ſcopum collimabat Platonicorum Philoſophia. Sic itaque affectus in ſolitarium locum profectus eſt, ubi fugiens homi-

Philoſophiæ primum, dein Scripturis ſtudet.

(a) *Dial. cum Tryph. n. 2.* (b) *Ib.* (c) *Ib. n. 3.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

S. JUSTINUS. hominum veſtigia, ſecum ipſe ſine interpellatione verſaretur, ac incorporea Entia, Ideaſque abſtractas, quas ex Platonica Philoſophia didicerat, quietius contemplaretur. Sed præter illius expectationem contigit, ut eum modico intervallo affectaretur ſenex quidam, cujus in vultu comis reſidebat gravitas, qui longo ſermone illi oſtendit (*a*), in Philoſophicis diſciplinis veritatem, quam enixe cupiebat, minime reperiri, quam ſolum Prophetæ noverant, hominibuſque annuntiaverant. Extare ajebat eorum ſcripta, quæ ſi quis legat, eorum, quæ Philoſophus ſcire debet, cognitionem adipiſci poterit. Si tamen illis fidem habere velit; neque enim ſyllogiſmis & demonſtrationibus in differendo utuntur, quippe cum ſupra demonſtrationem omnem teſtes fuerint veritatis, ſed quæ evenerunt, & eveniunt, aſſentiri cogunt eorum vaticiniis, immo & ob miracula, quæ ediderunt, digni eſſent, quibus crederetur. His auditis, (*b*) *mihi ſtatim* (inquit ipſe S. Juſtinus) *in anima ignis exarſit, meque amor Prophetarum & Chriſti amicorum invaſit*. Se itaque Juſtinus precibus, & legendis ac meditandis Scripturis totum dedit, & pedetentim progrediens, Chriſtianorum Dogmatum luce perfuſus, & ſublimitate illectus paganæ ſuperſtitionis vanitatem, & Chriſtianæ Religionis veritatem agnovit, & amplexatus

Converſionis ſuæ motiva. eſt. Inflammatum ejus animum alia res confirmavit, conſideratio (*c*) ſcilicet conſtantiæ Chriſtianorum, qua eos ad mortem, & ad omnia, quæ terribilia exiſtimantur, impavidos cerneret. Exiſtimabat ſiquidem ea fortitudine, ceu ineluctabili argumento, & veritatem fidei illorum comprobari, & falſitatem criminum & ſcelerum, quorum rei poſtulabantur, evinci & profligari.

Factus itaque Chriſtianus Juſtinus, nec veſtem, nec Philoſophi profeſſionem abjecit, ſed retinuit, ac inſurgente ſub Antonino Adriani Succeſſore adverſus Chriſtianos perſecutione pro ipſis Apologiam contexuit, deinde & aliam obtulit Marco Aurelio, qua Chriſtianæ Religionis ſanctitatem, & innocentiam adverſus Creſcentis Cynici, & aliorum Sycophantarum criminationes invicte oſtendit & vindicat; & denique fidei ac doctrinæ ſuæ veritatem ſanguine quoque conſignavit, Martyrio enim coronatus eſt anno 167.

Martyrium ſubiit anno 167. Præter duas præfatas Apologias alia ſuperſunt ejus Opera; nimirum Dialogus cum Triphone Judæo, bini tractatus de Monar-

Ejus Opera. chia ſive de Unitate Dei (1), aliaque illi tribuuntur Opera (2). Melio-

(a) *Ib. n.* 7. (b) *Ib. n.* 8. (c) *Apolog.* 2. *n.* 12.

(1) Quid ſibi velit Auctor nomine bini tractatus de Monarchia, non ſatis perſpicio, quippe quia in omnibus ab eo citatis Editionibus non habetur, niſi liber de Monarchia. Niſi indicet, quod nonnulli tradunt Eruditi, S. Juſtinum videlicet Librum de Monarchia in duas partes ſive Tractatus diviſiſſe, in quorum primo unitatem Dei ſolis Scripturarum oraculis oſtendebat, in alio vero teſtimoniis Philoſophorum confirmabat. Verum dici non poteſt hoſce Tractatus ſupereſſe, cum primus jam diu ſit deperditus, nec niſi ſecundus exiſtat, qui totum Librum de Monarchia quem habemus conſtituit.

(2) Marechalius putat Epiſtolam ad Zenam & Serenum non evidenter conſtare eſſe inter ſpuria S. Juſtini opera recenſendam.

Meliores S. Juſtini Editiones ſunt 1. Græca Roberti Stephani 1551., & 1571. Græco-Latina Commelini 1593. Morelli pariter Græco-latina 1656. Et denique Græco-latina Prudentis Morandi docti Benedictini 1742. in folio (1). In ſuis operibus, Photio judice, multam eruditionem, plenam integramque Philoſophicarum doctrinarum, & prophanæ hiſtoriæ notitiam oſtendit; ejus ſcribendi ſtylus ſimplex & humilis, nitore ac lenociniis humanæ eloquentiæ deſtitutus. S. JUSTINUS. Optimæ Editiones.

Ejus Martyrii acta tot præſeferunt ſinceritatis & veritatis ſigna & argumenta, ut plerique cordatiores Critici genuina eſſe ſponte concedant & fateantur. Brevia ſunt, & ſimplici & nativo tenore conſcripta. Ex his itaque Actibus habemus, S. Juſtinum in judicium vocatum a Ruſtico Urbis Præfecto, & de Chriſtianorum fide interrogatum reſpondiſſe: „ (a) Rectum Dogma, quod Chriſtiani homines cum pietate ſervamus, hoc eſt, ut unum Deum „ exiſtimemus factorem atque creatorem omnium quæ videntur, „ quæque corporeis oculis non cernuntur, & Dominum Dei Fi„ lium confitemur olim a Prophetis prænuntiatum, qui & huma„ ni generis Judex venturus eſt, ſalutis præco & Magiſter iis, qui „ ab illo bene didicerint. Ego quidem, ut homo, imbecillis ſum, „ & longe minor, quam ut de infinita illius Deitate aliquid ma„ gnum dicere poſſim". Interrogatus deinde a Præfecto, in quem locum Chriſtiani convenirent, reſpondit: „ An exiſtimas o„ mnes nos in eumdem locum convenire ſolitos? Minime res ita „ ſe habet, quoniam Chriſtianorum Deus loco non circumſcribi„ tur, ſed cum inviſibilis ſit, cælum & terram implet, atque u„ bique a fidelibus adoratur, & ejus gloria collaudatur". Dein Ruſticus interrogavit Charitonem, alioſque S. Martyris ſocios, quorum nonnulli etiam ejus diſcipuli fuerant, num & ipſi Chriſtiani forent, qui omnes intrepide Chriſti fidem confeſſi ſunt. Poſtea ad Juſtinum ſermonem iterum convertens ait: „ Si in capite per „ totum corpus cæſus fueris, perſuaſum ne habes, fore ut in Cæ„ lum aſcendas"? Cui Juſtinus: „ (b) Non opinor, inquit, ſed „ ſcio, & hoc tam certum habeo, ut nihil dubitem". Præfectus itaque, ſe nihil proficere animadvertens, eos Idolis immolare recuſantes capite plectendos juſſit; quæ ſententia confeſtim eſt exſecutioni demandata. Acta Martyrii.

(1) Iterum typis prodiit Venetiis 1747.
(a) *In Ed. Ven. Append. Part. 2. p. 633.*
(b) *Ibid. p. 635.*

S.JUSTINUS.

ARTICULUS SECUNDUS.

Analyſis Operum præcipuorum S.Juſtini.

Prior S. Juſtini Apologia ea eſt, quæ in Editionibus ejus Operum ſecundo ponitur loco.

INTER cætera S. Juſtini Opera præcipuum obtinet locum, cumque clariorem reddidit ſua prolixior Apologia Imperatori Tito Antonino, ejuſque adoptivis Filiis Marco Aurelio, & Commodo oblata. Eam omnes Antiqui magnis laudibus efferunt, illique una voce tribuunt. Et revera S. Martyr in Dialogo cum Triphone, ubi Gentilibus exprobrat ſe Simonis Magi impoſturis illudi paſſos, adeo aperte illius auctorem ſe prodit, ut in re tam certa comprobanda bono otio abuterer. Omnes Editores Operum S. Juſtini ſupponentes hanc Apologiam poſterius compoſitam poſt aliam breviorem, quam prius editam exiſtimabant, collocarunt (1).

Scripta Romæ circa annum 150. J. C.

Ubi hanc contexuit Apologiam nullibi indicat S. Juſtinus. Euſebius tamen Romæ compoſitam narrat, quod animadverſione dignum eſt, quippe quia credendum ſuadet, Sacrificii Miſſæ & Baptiſmi cæremonias, quas in calce Apologiæ deſcribit, eas eſſe, quas Romana omnium Eccleſiarum Princeps adhibere conſueverat.

Analyſis hujus Apologiæ.

S. Juſtini fortitudo & conſtantia in Chriſtiana tuenda Religione luculentiſſime ſe produnt in ipſo ſtatim ſuæ Apologiæ titulo, ubi & ſuum, & Patris, & Avi, & Urbis, & Provinciæ nomina manifeſtat; nec illum pudet in toto ſuo Opere, inter illos, quorum tutelam agebat, omnium ſcilicet Chriſtianorum, qui tunc temporis odio ab omnibus habebantur, & perſecutionibus exagitabantur, ſe adnumerare. Ut Imperatorum, ac duorum Filiorum Aurelii & Commodi, nec non Senatus Populique Romani, quibus Apologiam ſuam offerebat, ſibi benevolentiam captaret, illis Principibus oſtendit, Philoſophorum, piorum, Juſtitiæque cultorum titulos, quibus gloriabantur, ab eis expoſcere, ut non ſolum veritatem ſuffragio ſuo non opprimerent, ſed nec ſilentio labefactarent. Dein criminationes expendens, quarum obtentu Chriſtianos Gentiles inſectabantur, eas ſingillatim diluit. Primum enim, quod Chriſtianis vitio vertebatur, erat eorum nomen: „ at nominis quidem appellatione (ajebat S. „ Juſtinus) (*a*) nec bonum nec malum dijudicatur ſine ſubjectis „ nomini actionibus; at enim quantum ad nomen, quo appellamur, „ optimi ſumus. Vox enim Chriſti unde deducitur, valde græco „ verbo affinis eſt, quod bonum ſignificat “. Fatetur tamen inter Chriſtianos non deeſſe, qui dignitati nominis non reſponderent, ſed pravis actibus deturparent, quemadmodum inter Paganos plures reperiuntur, qui Philoſophi & Sapientis nomine ſe tegentes, impietatem

(1) In Editione Pariſienſi Prudentis Morandi & Veneta ſuo priori loco reſtituta fuit.
(a) *Apolog.* 1. *n.* 4.

ſatem docent, & atheiſmum: „ Ideoque, ſubdit, rogamus, ut o- S. JUSTINUS.
„ mnium, qui apud nos verſantur, dijudicentur actiones, ut qui
„ convictus fuerit, puniatur ut improbus, nequaquam autem ut
„ Chriſtianus; ſi quem extra noxam eſſe pateat, dimittatur, ut in-
„ nocens Chriſtianus ". Illud etiam exhibet animadvertendum, quod ſi Chriſtiani minus probi eſſent, facile ſupplicia vitare poſſent ſe tales eſſe dum interrogantur negando: „ (*a*) ſed vivere nolumus
„ obſtricti mendacio. Æternæ enim ac puræ vitæ cupidi ad domi-
„ cilium cum Deo univerſorum Patre & opifice promiſſum con-
„ tendimus, ac properamus ad confitendum ". Cum vero Gentiles vix credere poſſent, Chriſtifideles ſolum æterna & inviſibilia bona concupiſcere, ac propterea terrena hæc & temporalia negligere & contemnere; hinc S. Martyr ut hoc illis comprobet, ſic ſcribit: „ (*b*) Vobis autem adjutores omnium hominum, maxime
„ & auxiliarii ad pacem ſumus, qui hæc docemus, fieri omnino
„ non poſſe, ut Deum lateat maleficus, aut avarus, aut inſidiator,
„ aut virtute præditus, ac unumquemque ad æternam ſive pœ-
„ nam, ſive ſalutem proficiſci. Verum vos legibus veſtris & mi-
„ nis fidei noſtræ veritatem confirmatis; futura hæc enim omnia
„ prædixit Magiſter noſter Parentis & Domini omnium Dei Fi-
„ lius, unde & confirmamur in omnibus, quæ ille docuit, quan-
„ doquidem ipſa videmus evenire quæcumque futura prædixit ".

Progreditur Juſtinus evincere per calumniam Chriſtifideles atheos poſtulari, eapropter ut criminationis iniquitatem patefaciat, ſic Chriſtianam doctrinam exponit: „ (*c*) Quis igitur ſanæ mentis ho-
„ mo non fateatur, atheos nequaquam nos eſſe, qui opificem hu-
„ jus univerſitatis colimus ... laudantes pro creationis beneficio ...
„ precibus eum orantes, ut rurſum incorrupti fiamus ... Noſtrum
„ autem harum rerum doctorem natum ad hoc munus Jeſum Chri-
„ ſtum, ac ſub Pontio Pilato Judææ, temporibus Tiberii Cæſaris,
„ Præſide crucifixum, veri Dei Filium eſſe edocti, ipſumque ſe-
„ cundo loco: Spiritum autem propheticum tertio habentes ordi-
„ ne, non ſine ratione a nobis coli demonſtrabimus ". Deinde ut oſtendat, non inſaniæ eſſe accuſandos, ſi poſt Patrem omnium Deum, homini crucifixo adorationem exhibeant, illis exponit, hunc eſſe Verbum & Dei Filium, qui ſectatores ſuos in alios plane homines convertit: „ (*d*) Dum enim hunc ſequimur, qui olim ſtu-
„ pris gaudebamus, nunc caſtimoniam unice amplectimur; qui ma-
„ gicis etiam artibus utebamur, bono & ingenito nos conſecravi-
„ mus Deo; qui pecuniarum & poſſeſſionum vias omnibus anti-
„ quiores habebamus, nunc etiam ea quæ poſſidemus in commune
„ conferimus, & cum indigentibus quibuſque communicamus; qui
„ mutuis odiis & cædibus pugnabamus, & cum iis, qui tribules
„ noſtri non eſſent, communem focum ... non habebamus, modo
„ poſt-

(a) *Ib. n.* 8. (b) *Ib. n.* 12.
(c) *Ib. n.* 13. (d) *Ib. n.* 14.

S. JUSTINUS.

„ poſtquam Chriſtus apparuit, convictores ſumus, & pro inimicis „ oramus... “. Dein nonnulla recitat Chriſti præcepta ſcribens: „ Breve autem & conciſum fuit illius dicendi genus, non enim „ ſophiſta erat, ſed ejus oratio virtus Dei fuit“; ſubditque nonnulla Evangelii teſtimonia caſtitatem commendantia, & quaſcumque etiam leviores adverſas puritati cogitationes vetantia. Addit poſtea (*a*): „ Ac multi quidem ac multæ annos ſexaginta, & ſe- „ ptuaginta nati, qui a pueris Chriſti diſciplina imbuti ſunt, in- „ corrupti perſeverant, taleſque in omni hominum genere monſtra- „ turum me profiteor. Quid enim innumerabilem eorum multitu- „ dinem dicam, qui ex laſcivia ſeſe receperunt, atque hæc didice- „ runt “? Proſequitur alia recitando Evangelii præcepta de amore inimicorum, de eleemoſyna, de liberalitate, de patientia, ac obedientia Regibus præſtanda. Dein ſubdit: „ (*b*) Proinde nos ſo- „ lum Deum adoramus; vobis autem in rebus aliis læti ſervimus: „ Reges & Principes hominum eſſe agnoſcentes, & ſimul precan- „ tes, ut cum regia poteſtate ſanam quoque mentem obtinere „ comperiamini. Quod ſi nos precantes, atque omnia in lucem „ proferentes non curaveritis; nihil nos quidem capiemus detri- „ menti, quippe cum credamus, vel potius perſuaſum habeamus, „ pro actionum meritis unumquemque pœnas per æternum ignem „ daturum, & pro ratione acceptarum a Deo facultatum rationem „ ei redditurum “.

De Verbi autem generatione ſic ſcribit: „ (*c*) Quæcumque do- „ cti ſumus a Chriſto, ſola vera eſſe credimus, cum Dei Verbum „ & primogenitus & virtus ſit, ſolum proprie Filium ex eo geni- „ tum eſſe, ejuſque voluntate factum hominem inſtaurandi & re- „ vocandi humani generis cauſſa hæc nos docuiſſe... (*d*) Nam „ qui Filium Patrem eſſe dicunt, hi arguuntur, quod nec Patrem „ ſciant, nec Filium eſſe univerſorum Patris cognoſcant. Qui cum „ Verbum ſit primogenitum Dei, Deus etiam eſt, ac prius qui- „ dem Moyſi, & cæteris Prophetis in ſpecie ignis, ac imagine „ incorporea viſus eſt: nunc autem veſtri Imperii temporibus ex „ Virgine, ut jam diximus, homo factus ſecundum Patris volun- „ tatem pro eorum ſalute, qui illi credunt, & pro nihilo habe- „ ri, & pati ſuſtinuit, ut mortuus ac reſurgens mortem vince- „ ret “.

Veritates catholicæ Religionis ex Prophetiis, quas & Hebræi ſicut & nos cuſtodiunt, evincit. Quinam fuerint Prophetæ, explicat, & præcipua illorum de Jeſu Chriſto vaticinia ob oculos ponit, & quomodo ea, quæ illius prænuntiabant paſſionem, impleta ſint, (*e*) *ex confectis ſub Pontio Pilato actis diſcere poteſtis*, ſicut & eorum Actorum utitur teſtimonio, ut Chriſti miracula comprobet. Verum ne ex his vaticiniis colligerent, omnia fati neceſſitate fieri,

(a) *Ib. n.* 15. (b) *Ib. n.* 17. (c) *Ib. n.* 23.
(d) *Ib. n.* 63. (e) *Ib. n.* 48.

S. JUSTINUS.

fieri, hanc erroneam refellendam ſumit opinionem, ratione deſumpta ex libero, quo gaudent homines, arbitrio, ex laude, & vituperatione, queis bona vel mala facta afficiuntur, ex mutatione morum, ex pravis in bonos, & viciſſim: „ (*a*) Non enim, inquit, „ remuneratione aut laude dignus foret, ſi ex ſeipſo bonum non „ eligeret, verum ita natus eſſet; nec merito, ſi malus eſſet, pu„ niretur, ut qui non ex ſeſe talis foret, ſed aliud ab eo, quod „ natus fuiſſet, eſſe non poſſet, hinc fatum admittere, ut vera ratio „ demonſtrat, maxima impietas, & injuſtitia eſt “.

Recitatis itaque a S. Juſtino vaticiniis de duplici Chriſti adventu, de everſione Hieroſolymorum, de vocatione Gentium ſic fatur: „ (*b*) Tot ergo & tanta ante oculos poſita perſuaſionem „ & fidem iis, qui verum amplectuntur, nec opiniones ſectantur, „ nec cupiditatibus ſerviunt, ratione nixam afferre poſſunt. (*c*) Qui „ vero fabuloſa Poetarum commenta tradunt, nullam prorſus demon„ ſtrationem ediſcentibus adoleſcentibus proferunt. Sed hæc deci„ piendi & abducendi humani generis cauſa malorum Dæmonum „ operatione dicta demonſtramus “. Qui Poetarum fabulas adoleſcentibus explicabant, Grammatiſtæ erant, in eoque ſtudio adoleſcentiam miſere perdebant. Arbitratur etiam S. Juſtinus, Gentilium Philoſophos plura ex ſuis doctrinis & dogmatibus a Prophetis, & Platonem a Moyſe deſumpſiſſe, deinde ait: „ (*d*) Hæc ſane apud „ nos audire eſt & diſcere ex iis, qui ne figuras quidem littera„ rum norunt, imperitis hominibus, & lingua barbaris, ſed men„ te ſapientibus & fidelibus “.

Conqueritur etiam S. Martyr, cæteras Religiones permitti ac tolerari, „ (*e*) dum ſoli Chriſtiani odiis & perſecutionibus appe„ tuntur: aliis alibi (ſcribit) & arbores, & fluvios, & mures, „ & feles, & cocodrilos, & plurimas brutas animantes colenti„ bus, nec eadem omnibus, ſed alia alibi venerantibus. ita ut o„ mnes ſibi invicem, quia non eadem colunt, impii ſint. Quæ „ quidem una res eſt, quam in criminis loco nobis objicere poſſi„ tis, quod non eoſdem ac vos colimus Deos, nec mortuis liba„ mina, & nidores, & coronas imaginibus apponi ſolitas & vi„ ctimas offeramus. Ipſi enim res eaſdem alibi Deos, alibi feras, „ alibi victimas legitimas eſſe accurate ſcitis “.

Conqueritur etiam „ (*f*) eos ſceleſtos homines, qui ſe Deos eſſe „ dicerent, nedum non eſſe inſectatos, ſed etiam honoribus auxiſ„ ſe. Simonem quemdam Samaritanum e vico Gittum dicto, qui „ ſub Claudio Cæſare, cum magica miracula Dæmonum in eo o„ perantium arte in regia veſtra Urbe Roma edidiſſet, Deus exi„ ſtimatus eſt, & a vobis, tamquam Deus, ſtatua honoratus, quæ „ ſtatua erecta eſt in Inſula Tiberina inter duos pontes habens „ hanc Romanam inſcriptionem *Simoni Deo Sancto*... Menandrum „ etiam

(a) *Ib. n.* 43. (b) *Ib. n.* 53. (c) *Ib. n.* 54.
(d) *Ib. n.* 60. (e) *Ib. n.* 24. (f) *Ib. n.* 26.

S. Justinus.

„ etiam quemdam pariter Samaritanum e vico Capparetæa, ac Simonis diſcipulum, Dæmonum arte fretum multis, cum Antiochiæ „ verſaretur, arte magica illuſiſſe ſcimus. Marcionem etiam, qui „ etiamnum ſupereſt, ac diſcipulos docet, alium quemdam agno- „ ſcere majorem Mundi Opifice Deum . . . ii omnes appellantur „ Chriſtiani . . . an vero etiam nefanda illa & fabuloſa facinora „ perpetrent, lucernæ everſionem, promiſcuos concubitus, carnium „ humanarum epulas, non ſcimus. At eos a vobis non vexari, nec „ occidi, ſaltem ob ipſorum opiniones, novimus “.

Mos erat penes Gentiles infantes, quos parentes vel ob paupertatem, vel alia de cauſſa alere nequibant, vel nolebant, exponere, qui mos & ab ipſis Philoſophis probabatur: de illo loquens S. Juſtinus ſic ſcribit: (*a*) „ Nos pueros etiam recens natos expo- „ nere hominum improborum eſſe didicimus. Primo quidem quia „ omnes fere hujuſmodi videmus ad ſtupra, non puellas ſolum, ſed „ etiam maſculos produci, & quemadmodum narrantur antiqui gre- „ ges, & armenta boum, vel caprarum, vel ovium, vel grega- „ lium equorum aluiſſe, ita nunc & pueros ad turpes dumtaxat u- „ ſus . . . at hoc piaculum apud omnes gentes proſtat: atque ex „ his mercedes & tributa, & vectigalia percipitis, cum eos ex or- „ be veſtro exterminari oporteret; quibus qui utitur, is præter „ nefandum, & impium, ac impudicum concubitum, cum filio, ſi „ ita ſors ferat, aut cognato aut fratre miſcetur “: En Romanorum execrandi mores, etiam dum imperabat ſapientiſſimus omnium Principum. Proſequitur autem Juſtinus: „ (*b*) Nos vero metuen- „ tes, ne quis ex iis, qui exponuntur, non ſuſceptus intereat, & „ homicidæ fiamus, vel omnino Matrimonia non inimus niſi ad „ liberorum educationem, vel ſi a nuptiis refugimus, perpetuo nos „ continemus. Itaque noſtrorum quidam ut vobis perſuaderet, „ non eſſe myſterium apud nos promiſcuum concubitum, obtulit „ libellum Felici Alexandriæ Præfecto rogans, ut Medico licen- „ tiam daret teſtes ipſi reſecandi: id enim ſine Præfecti licentia „ facere interdictum ſibi illius urbis Medici dicebant. Sed cum „ Felix omnino ſubſcribere noluiſſet, adoleſcens in continentia & „ virginitate permanens ſua, & eorum, qui idem ac ipſe ſentie- „ bant, conſcientia contentus fuit “.

Denique Chriſtianos tueri volens a criminibus, quæ in eorum cœtibus perpetrari Gentiles mentiebantur, arcana Chriſtianæ Religionis, quæ cæteroquin diſciplina Eccleſiæ infidelibus proponere non licebat, ſcripto ſuo pandere non veretur. Sic itaque Baptiſmi ritum, & cæremonias exponit: „ (*c*) Quomodo autem nos Deo „ conſecraverimus per Chriſtum renovati, id quoque exponemus, „ ne quid improbe, ſi hoc prætermittamus, agere videamur. Qui- „ cumque perſuaſum habuerint, & crediderint vera eſſe, quæ a „ nobis docentur, & dicuntur, ſeque ita vivere poſſe promiſerint,

„ ii pre-

(a) *Ib. n.* 27. (b) *Ib. n.* 29. (c) *Ib. n.* 61.

S. JUSTINUS.

„ ii precari, & jejunantes priorum peccatorum veniam a Deo pe- „ tere docentur, nobis una precantibus & jejunantibus. Deinde eo „ ducuntur a nobis, ubi aqua eſt, & eodem regenerationis modo „ regenerantur, quo & ipſi ſumus regenerati. Nam in nomine Pa- „ rentis univerſorum, ac Domini Dei, ac Salvatoris noſtri Jeſu „ Chriſti, & Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc ſuſcipiunt ... „ Vocatur autem lavacrum illud *illuminatio*, eo quod mente illu- „ minentur, qui hæc diſcunt... (*a*) Poſtquam autem eum ſic ab- „ luimus, ad eos, qui dicuntur fratres, deducimus, ubi illi congre- „ gati ſunt, communes preces & pro nobiſmetipſis, & pro eo „ qui illuminatus eſt, & pro aliis ubique omnibus intento animo „ facturi, ut veritatis cognitionem adepti, hac etiam gratia digne- „ mur, ut rectam operibus vitam agentes, & præceptorum custo- „ des inveniamur, quo ſalutem æternam conſequamur. Invicem o- „ ſculo ſalutamus, ubi deſiimus precari. Deinde ei, qui fratribus „ præeſt, panis offertur, & poculum aquæ & vini, quibus ille „ acceptis laudem & gloriam univerſorum Parenti per nomen Filii „ & Spiritus Sancti emittit, & Euchariſtiam ſeu gratiarum actio- „ nem pro his ab illo acceptis donis prolixe exequitur. Poſtquam „ preces & Euchariſtiam abſolvit, populus omnis exclamat *Amen*. „ *Amen* autem hebræa lingua idem valet ac *Fiat*... Poſtea vero „ qui apud nos dicuntur Diaconi panem, & vinum, & aquam, in „ quibus gratiæ actæ ſunt, unicuique præſentium participanda diſ- „ tribuunt, & ad abſentes perferunt.

(*b*) „ Atque hoc alimentum apud nos vocatur Euchariſtia, cu- „ jus nemini alii licet eſſe participem, niſi qui credat vera eſſe „ quæ docemus, atque illo ad remiſſionem peccatorum & regene- „ rationem lavacro ablutus fuerit, & ita vivat, ut Chriſtus tradi- „ dit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem „ potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per Verbum Dei caro „ factus eſt Jeſus Chriſtus Salvator noſter, & carnem, & ſangui- „ nem habuit noſtræ ſalutis cauſſa; ſic etiam illam, in qua per „ precem ipſius verba continentem gratiæ actæ ſunt, alimoniam, „ ex qua ſanguis & carnes noſtræ per mutationem aluntur, incarna- „ ti illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus. Nam A- „ poſtoli in commentariis ſuis, quæ vocantur Evangelia, ita ſibi „ mandaſſe Jeſum tradiderunt, eum ſcilicet accepto pane cum gra- „ tias egiſſet, dixiſſe: *Hoc facite in meam commemorationem, hoc eſt* „ *corpus meum*, & poculo ſimiliter accepto, actiſque gratiis dixiſ- „ ſe: *Hic eſt ſanguis meus*, ipſiſque ſolis tradidiſſe... (*c*) Ex illo „ tempore hæc nobis invicem ſemper in memoriam revocamus, & „ qui habemus, indigentibus omnibus ſubvenimus, & ſemper una „ ſumus; atque in omnibus oblationibus laudamus Creatorem o- „ mnium per Filium ejus Jeſum Chriſtum, & per Spiritum San- „ ctum.

„ Solis

(a) *Ib. n.* 65. (b) *Ib. n.* 66. (c) *Ib. n.* 67.

S. JUSTINUS.

„ Solis ut dicitur die omnium ſive urbes, ſive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, & commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus: Deinde ubi Lector deſiit, is qui præeſt admonitionem verbis, & adhortationem ad res tam præclaras imitandas ſuſcipit. Poſtea omnes ſimul conſurgimus, & preces emittimus, atque ... qui præeſt, preces & gratiarum actiones totis viribus emittit, & populus clamat *Amen*, & eorum in quibus gratiæ actæ ſunt diſtributio fit & communicatio unicuique præſentium, & abſentibus per Diaconos mittitur. Qui abundant, ac volunt, pro ſuo arbitrio, quod quiſque vult, largiuntur, & quod colligitur, apud eum, qui præeſt, deponitur, ac ipſe ſubvenit pupillis & viduis; & iis, qui vel ob morbum, vel ob aliam cauſam egent, tum etiam iis, qui in vinculis ſunt, & advenientibus peregre hoſpitibus: uno verbo omnium indigentium curam ſuſcipit. Die autem Solis omnes ſimul convenimus, tum quia prima hæc dies eſt, qua Deus cum tenebras & materiam vertiſſet, Mundum creavit, tum quia Jeſus Chriſtus Salvator noſter eadem die e mortuis reſurrexit.... Apoſtolis ſuis & diſcipulis viſus ea docuit, quæ vobis quoque conſideranda tradidimus.

(*a*) „ Atque hæc quidem ſi vobis rationi & veritati conſentanea videntur, in pretio habete. Sin autem nugæ vobis videntur, ut nugas contemnite, nec ut adverſus hoſtes, ita adverſus homines innocuos mortem decernite. Vobis enim prædicimus, vos Dei judicium non evitaturos, ſi in injuſtitia permaneatis, ac nos exclamabimus; quod Deo placet, id fiat. Et cum ex Epiſtola... Adriani Cæſaris... poſtulare a vobis poſſemus, ut judicia, quemadmodum rogavimus, fieri jubeatis;... ſed quia ſcimus nos juſta petere, orationem, & rerum noſtrarum enarrationem confecimus “. Recitat denique Epiſtolam Adriani Minucio Fundano, & ea Apologiæ ſuæ coronidem imponit S. Juſtinus.

Secunda Apologia S. Juſtini.

Licet alteram Apologiam Sanctiſſimus Martyr paulo ante Martyrium ſuum, & poſt editum Dialogum cum Triphone contexuerit, eam tamen hic ſtatim priori adjungemus ob ejuſdem argumenti conſonantiam. Euſebius (*b*) narrato S. Polycarpi Martyrio, quod contigit ſeptimo Marci Aurelii anno, Jeſu Chriſti 167. addit, ſub idem tempus Juſtinum Imperatoribus alteram in Chriſtianæ Religionis defenſionem Apologiam obtuliſſe. Idem vero S. Martyr unde eam ſcribendi occaſionem nactus ſit, enarrat dicens: (*c*) „ Mulier quædam cum viro degebat intemperanti, intemperans & ipſa prius, ſed poſtquam Chriſtianam doctrinam cognovit, ipſa ad meliorem frugem ſe recepit, ac viro ut ſimiliter ſeſe colligeret, perſuadere conata eſt Chriſtianam illi doctrinam exponens, & futura in æterno igne ſupplicia denuncians. Verum ille in iiſdem flagitiis permanens factis ſuis alienavit a ſe uxoris animum: im-

Scripta circa annum 167. & qua de cauſſa.

„ pium

(a) *Ib. n. 68.* (b) *Euſeb. in chron. ad ann. 167. & Hiſt. l. 4. c. 14.*
(c) *Apolog. 2. n. 2.*

„ pium enim eſſe mulier exiſtimans. . . tori conſortio jungi, diſce- S. JUSTINUS.
„ dere a conjugio voluit; ſed ſuorum auctoritatem reverita, qui ſua-
„ debant, ut adhuc maneret, ac maritum tandem aliquando ſpem
„ mutationis allaturum dicebant, vim fecit ipſa ſibi ut maneret.
„ At poſtquam ille vir Alexandriam profectus, pejora facere nun-
„ tiatus eſt; verita illa, ne inique, & impie factorum particeps fie-
„ ret, ſi in conjugio maneret, miſſo eo, quod vocatis, repudio,
„ diſceſſit. At bonus & præclarus ille vir repudii injuriam ulciſci
„ volens eam accuſat, quod eſſet Chriſtiana. Atque illa quidem
„ libello Tibi, Imperator, oblato, poſtulavit, ut ſibi prius do-
„ mui ſuæ proſpicere liceret, deinde domeſticis rebus compoſitis re-
„ ſponſuram ſe accuſationi. Atque id quidem annuiſti: At illius
„ quondam Maritus. . . in Ptolomæum quemdam, quem Urbicus
„ ſupplicio affecit, quique mulieris in re Chriſtiana Magiſter fue-
„ rat, impetum ſuum vertit hoc modo. Centurioni perſuaſit, ut
„ Ptolomæum in carcerem conjecturus apprehenderet, idque tan-
„ tum interrogaret, an eſſet Chriſtianus. Ptolomæus ut erat verita-
„ tis cultor, nedum Centurioni, ſed & Urbico ſe Chriſtianum
„ confeſſus eſt. Cum igitur Urbicus ad ſupplicium adduci Ptolo-
„ mæum juſſiſſet; Lucius quidam, qui & ipſe Chriſtianus erat, Ju-
„ dici iniquitatem ſuam palam exprobravit, qui nihil reſpondens,
„ juſſit eum pariter abripi, & tertius alius ſuperveniens eodem
„ ſupplicio damnatus eſt ".

Ex hoc tam ſævo & præcipiti judicio occaſionem nactus S. Juſtinus, iniquum agendi modum adverſus Chriſtianos exponere, & toti Orbi patefacere aggreſſus eſt: Ptolomæi, & cæterorum Martyrum ſtudium confitendæ Veritatis quod oſtenderant, & eorum in ſuppliciis perferendis conſtantia inducere in Gentilium mentem poterant, Chriſtianos nonniſi ſui cædem exoptare, & ſtudioſe quærere. Hinc ajebat S. Juſtinus: (*a*) „ Sed ne quis ita dicat: omnes igitur, morte vobis ipſis illata, jam nunc abite ad Deum, „ nec nobis negotia faceſſite ". At reſpondet S. Juſtinus non licere ſibi mortem conſciſcere, & interroganti de fide impavide reſpondendum. Primum quidem, quia contra Dei conſilium veniunt, qui ita faciunt. Secundum, quia impium exiſtimamus, Chriſtianos veritatem in omnibus non dicere. Deinde Paganorum objectionem ſic proponit: (*b*) „ Si quem autem hæc cogitatio ſubeat, minime e- „ venturum, ſi Deum adjutorem profiteremur, ut iniqui domina- „ tu ſuo nos premerent, ac ſuppliciis afficerent "; quam diſſolvit dicens, in Chriſtianos perſecutiones per pravos Angelos, qui ſemper recte viventes inſectati ſunt, excitari. Hos Cacodæmones Idololatriæ auctores eſſe, & in humanum genus cædes, bella, adulteria, flagitia, atque omnium vitiorum genus proſeminaſſe. Animadvertit etiam „ (*c*) plurimos Dæmoniis agitatos in toto Orbe, „ & in Urbe multos ex Chriſtianis, cum per nomen Chriſti ſub „ Pon- Analyſis ſecundæ Apologiæ.

(a) *Ib. n.* 4. (b) *Ib. n.* 5. (c) *Ib. n.* 6.

,, Pontio Pilato crucifixi adjurarent, ab aliis adjuratoribus, incan-,, tatoribus, ac veneficis non ſanatos ſanaviſſe, atque etiamnum ſa-,, nare fractis & ejectis Dæmonibus homines detinentibus “. (*a*) Quos etiam Dæmones ſuorum flagitiorum pœnas, ac ſupplicia in æterno igne perſoluturos ſcribit. At ne quis crederet, hæc æterna in igne ſupplicia non eſſe niſi inanes ſtrepitus, ac terricula ad ſceleſtos terrendos, evincit, ,, quod (*b*) niſi ita res ſe habeat, vel ,, Deum non eſſe, vel ſi ſit, nullam hominum curam gerere, nec ,, quidquam eſſe virtutem & vitium, ac inique a Legum latoribus ,, puniri, qui præclara inſtituta tranſgrediuntur, conſequeretur.

Poſtquam oſtendit mala, queis Chriſtiani premebantur, a malorum Angelorum conſilio, & incitamento proficiſci, inde tamen nihil, quod Religionis Chriſtianæ veritatem vel leviter labefactet, extundi poſſe (*c*) demonſtrat exemplo plurium antiquorum Philoſophorum, ac præſertim Socratis, qui & in eadem ac Chriſtiani crimina vocati ſunt, & non diſſimilibus ærumnis & perſecutionibus exagitati; *Culpabatur enim Socrates nova Dæmonia inducere, & quos civitas æſtimabat Deos, ab eo non æſtimari*. Ubi & obiter animadvertit: ,, Socrati neminem tantum habuiſſe fidei, ut pro ,, ſua ſententia mortem oppeteret, dum Chriſto non philoſophi ,, ſolum, & litterati homines credidere, ſed operarii etiam & o-,, mnino imperiti, qui & gloriam & metum & mortem contem-,, pſerunt “. (*d*) Qua conſtantia ſe ad Chriſtiana amplectenda dogmata pertractum confitetur; ,, Cum enim (ſcribit) de criminibus ,, in Chriſtianos conjectis audirem, eos autem ad mortem, & ad ,, alia omnia, quæ videntur metuenda, impavidos cernerem, fieri ,, non poſſe intelligebam, ut in nequitia, & in voluptatum amore ,, viverent “. Hinc Judicibus ſævitiam exprobrat, qui ,, rapue-,, runt etiam ad tormenta partim pueros, partim mulierculas, ac ,, horrendis cruciatibus illa facinora, quæ palam & aperte ipſi ,, perpetrant, proferre coegerunt “. Unde ſic eos inſectatur: ,, Pu-,, deat vos, pudeat, quæ palam facitis, ea in homines inno-,, centes conferre, & quæ vobis ac Diis veſtris inhærent, iſtis af-,, fingere, quos ne minima quidem ex parte contingunt. Immuta-,, mini & reſipiſcite “.

Denique Apologiam ſuam hac claudit ſupplicatione, ut videlicet libellum ſuum promulgari jubeant, ,, ut cæteris noſtræ res innote-,, ſcant, ac homines ad harum rerum cognitionem perveniant, & ,, erroribus & optimarum rerum ignoratione levari poſſint... tum ,, etiam quia dum nos, qui noti illis non ſumus, turpium illorum, ,, quæ dictitant, criminum nomine condemnant... ſententiam in ſe ,, ipſos dicunt, ita ut alii judices minime ſint requirendi “. Quam gratiam ſibi non denegandam confidit, ,, cum inſtituta Chriſtiano-,, rum, inquit, ſint recte judicanti minime turpia, ſed humana

,, omni

(a) *Ib. n.* 8. (b) *Ib. n.* 9.
(c) *Ib. n.* 10. (d) *Ib. n.* 12.

„ omni Philoſophia ſublimiora, ſin minus certe Sotadeis, Philæni-
„ deis, Saltatoriis, & Epicureis, & aliis ejuſmodi poeticis inſtitu-
„ tionibus abſimilia, quæ tamen & in ſcenam producta ſpectare,
„ & ſcripta legere omnibus licet “. Teſtatur denique ſe, & o-
mnes fideles indeſinenter precari, „ ut omnes ubique homines veri-
„ tatis cognitione dignentur.

S. Justinus.

Quinam fuerit hujuſce Apologiæ exitus, ignoramus. At quod S. Martyr prædixerat de inſidiis Philoſophi Creſcentis mortem illi machinantis, revera contigit; nam paulo poſt evulgatam Apologiam ſuam, capite damnatus, Martyrii coronam eſt conſecutus.

Dialogus S. Juſtini cum Triphone.

Poſt majorem Apologiam, inter cætera S. Juſtini Opera celebratur Tractatus adverſus Judæos, quem ille Dialogum cum Triphone Judæo inſcribit, quo titulo etiam Euſebii (*a*) temporibus circumferebatur.

Compoſitus circa annum 150.

Narrat ipſe S. Juſtinus, Dialogum hunc a ſe poſt vulgatam prolixiorem Apologiam ſuam fuiſſe compoſitum, unde & Apologiæ ſuæ clare in eo mentionem facit. Dialogum hunc ideo ſe vulgaſſe dicit, (*b*) ut fidem ſecunda Collocutionis die Triphoni datam liberaret, oſtenderetque, quidquid Triphoni, ſociiſque ſuis audientibus dixerat, ſe paratum ad omnibus prædicandum. Opus ſuum amico Pompejo dedicavit, quem virum Chriſtianum fuiſſe, nemo dubitat, immo & virtutis eximiæ, cum illum S. Juſtinus inter intimiores amicos enumeret.

Tripho autem Judæus erat, qui bello pulſus in Græciam confugerat, ac multum temporis præſertim Corinthi Philoſophiæ ſtudio conſumpſerat. Cum S. Juſtinum offendiſſet publica deambulatione, & ex pallio Philoſophum dignoviſſet, benigne ſalutavit, dixitque ſe Philoſophos, & Philoſophiam colere & venerari, eo præſertim nomine, quod „ (*c*) Philoſophorum ſermo omnis de Deo
„ verſatur, ac de ejus ſingularitate & providentia quæſtiones ab
„ eis ſemper inſtituuntur. Sane (reſpondit Juſtinus) ſed plerique
„ hoc ad felicitatem parum conferre autumant, quin etiam perſua-
„ dere nobis conantur, Deum univerſi quidem, ac ipſorum gene-
„ rum, & ſpecierum curam gerere, mei autem, & tui, ac ſingu-
„ lorum non item... Hoc autem quonam modo illis evadat, dif-
„ ficile non eſt intelligere. Propoſita eſt enim his, qui ita ſentiunt,
„ differendi, & ſequendi quod libuerit impunitas & licentia, ac a-
„ gendi quidquid voluerint, ac dicendi, nec ſupplicia metuentibus,
„ nec boni quidquam a Deo ſperantibus. Quomodo enim metuant
„ aut ſperent, qui eadem ſemper futura dicunt, meque, & te eo-
„ dem rurſum modo victuros, nec meliores factos nec deteriores?
„ Alii quidem cum immortalem & incorpoream animam eſſe po-
„ nant, nec pœnas daturos ſe putant, ſi quid mali fecerint (pati
„ enim non poteſt quod incorporeum eſt) nec jam Deo, cum im-
„ mortalis ſit anima, quidquam indigent.

(a) *Hiſtor. lib.* 4. *cap.* 18. (b) *n.* 80. (c) *Ibid. n.* 1.

S. JUSTINUS.

„ Tum vero Triphon urbane ſubridens : Tu vero, inquit, his „ de rebus quid cenſes, & quæ tua de Deo ſententia, & quæ Phi- „ loſophia? Expone nobis. (*a*) Equidem (repoſuit Juſtinus) tibi „ quid mihi videatur ediſſeram. Eſt enim revera maxima poſſeſſio „ Philoſophia ; ad Deum quippe nos perducit, cuique nos ſola „ commendat... Quid autem ſit Philoſophia, & quam ob cauſ- „ ſam ad homines demiſſa, pleroſque latet. Nam nec Platonici eſ- „ ſent, nec Stoici, nec Peripatetici, nec Theoretici, nec Pytha- „ gorici, cum una ſit hæc ſcientia. Unde autem multiceps evaſerit, „ juvat dicere. Uſuvenit ut iis, qui philoſophiam primam attige- „ runt, & ea re clari extitere, ſucceſſores nulla veri adhibita in- „ veſtigatione adhærerent, ac tantum eorum conſtantiam & conti- „ nentiam, ac novum ſermonum genus admirati, ea crederent ve- „ ra, quæ a ſuo quiſque Magiſtro didiciſſent, & cum eadem quo- „ que ſuis ſucceſſoribus tradidiſſent, eo nomine deſignarentur, quo „ appellatus fuiſſet doctrinæ Pater ". Narrat deinde Juſtinus, ſe plures audiviſſe Magiſtros, donec ſenem illum offendit, qui ſibi humanæ Philoſophiæ vanitatem oſtendit, & ſuaſit, tutam & utilem Philoſophiam nonniſi in Prophetarum auctoritate, & Jeſu Chriſti doctrina reperiri : (*b*) „ & ad hunc modum (narrationem claudit „ Juſtinus) atque hac de cauſſa Philoſophus. Vellem equidem ut „ omnes rationem meæ ſimilem ineuntes a Salvatoris doctrina non „ aberrarent. Habet enim in ſe terribilem quamdam majeſtatem, „ & ad eos permovendos idonea eſt, qui de recta via deflexerunt : „ his autem, qui eam meditantur, ſuaviſſima eſt requies. Si qua „ ergo tui ipſius cura tangeris... ſi Deo confidis, licet tibi, utpo- „ te ab ipſa re non alieno, ubi Chriſtum agnoveris, ac myſteriis „ initiatus fueris, beate vivere "...

His a Juſtino dictis „ riſerunt ſocii Triphonis; ipſe autem ſub- „ ridens: cætera tua, inquit, probo, ac vehemens rerum divina- „ rum ſtudium admiror. Sed ſatius erat adhuc te philoſophari in „ Platonicis, aut alterius cujuſdam diſciplina, dantem operam con- „ ſtantiæ, continentiæ, & temperantiæ, quam falſis decipi ſermo- „ nibus, ac hominibus adhæreſcere nullius pretii. Manenti enim ti- „ bi in illo philoſophiæ inſtituto, ac citra culpam viventi, ſpes „ relinquebatur ſortis melioris. Deum autem deſerenti, & ſpem „ in hominem conſtituenti quid adhuc relinquitur ſalutis? Quare „ ſi me quoque audire voles (jam enim te amicum exiſtimo) fac „ primum ut circumcidaris, deinde obſerva, ut lege ſancitum eſt, „ Sabbatum & dies feſtos, ac novilunia Dei, uno verbo, quæ in „ lege ſcripta ſunt omnia exequere, tumque tibi forſitan miſericor- „ dia erit a Deo. Chriſtus autem ſiquidem natus eſt, aut uſpiam „ verſatur, ignotus eſt, nec dum ſe ipſe novit, nec ulla virtute „ præditus eſt, donec eum adveniens Elias unxerit, & manife- „ ſtum omnibus fecerit. Vos autem inani auditione accepta Chri- „ ſtum

(a) *n.* 2. (b) *n.* 8.

„ ſtum quemdam vobis fingitis , & illius cauſſa nunc peritis in- S. Justinus.
„ conſiderate “. Ex hoc Triphonis ſermone adparet, Judæos vaticiniis Prophetarum convictos, qui tempus adventus Meſſiæ veluti indigitaverunt, minime auſos illum veniſſe inficiari, ſed ad vaticinia eludenda argutiolas quærere, ut etiam poſtea ſemper fecere.

(*a*) „ Ignoſcatur (reſpondit Juſtinus) Tripho , & condonetur
„ tibi, neque enim ſcis quid dicas , ſed Magiſtris credulus Scri-
„ pturas non intelligentibus, & quaſi hariolans quidquid in men-
„ tem venerit, loqueris. Quod ſi id tibi rationibus probari pate-
„ ris, nos ſcilicet deceptos non eſſe, nec deſituros hunc confiteri,
„ etiamſi nobis opprobria ab hominibus inferantur, etiamſi ſæviſſi-
„ mus deficere cogat Tyrannus, præſenti tibi demonſtrabo, non va-
„ nis nos credidiſſe fabulis, nec deſtitutis argumento ſermonibus,
„ ſed Spiritu Sancto plenis, ac virtute ſcatentibus, & gratia ef-
„ floreſcentibus “. Riſerunt igitur iterum ejus comites, atque indecore clamarunt. Tunc ſtomachatus Juſtinus abitum parabat; ſed Tripho arrepta ejus veſte prius dimiſſurum negavit, quam promiſſum exolviſſet. Sed repoſuit Juſtinus: „ Ne ergo tumultuentur
„ ſocii tui, nec ſic ſe gerant indecore “. Duo igitur in ſtudium Juſtini, & Triphonis cavillati receſſerunt, dum interim Juſtinus & Tripho, aliique duo ſocii in medium xyſti ſtadium venientes, ubi ſedilia lapidea erant ex utraque parte, Juſtinus & Tripho ex una, ſocii vero ex altera parte ſederunt; cum eorum aliquis de bello in Judæa geſto mentionem injeciſſet, alloquebantur.

Poſtquam finem fecere, Juſtinus ita rurſum incœpit. (*b*) „ U-
„ trum aliud nihil in nobis, amici, reprehenditis, niſi quod ſe-
„ cundum legem non vivamus, neque carne circumcidamur, neque
„ Sabbata ſervemus? An vita etiam & mores noſtri malis apud
„ vos rumoribus flagrant? Quod autem dico, illud eſt; utrum
„ hanc de nobis opinionem vos quoque accepiſtis, humanis nos ve-
„ ſci carnibus, & poſt epulam, extinctis lucernis, in flagitiis ne-
„ fandis volutari, an illud ipſum in nobis ſolum condemnatis,
„ quod ejuſmodi adhæreamus doctrinæ, ac falſæ, ut videtur vobis,
„ opinioni credamus.

„ Illud eſt quod miramur, inquit Tripho, quæ autem dictitant
„ multi, fide digna non ſunt: longe enim abhorrent ab humana
„ natura: ſed & veſtra illa in eo, quod vocatis, Evangelio præ-
„ cepta ita mirabilia, & magna eſſe ſcio, ut ſuſpicio ſit, neminem
„ ea poſſe ſervare; mihi enim curæ fuit, ut ea legerem. In eo
„ autem potiſſimum hæremus incerti, quod cum vos pietatem co-
„ lere dicatis, & cæteris præſtare arbitremini, nulla tamen in re
„ ab eis diſcedatis, nec vitam veſtram a gentibus ſegregatis, ut
„ qui nec ferias ſervetis nec Sabbata, nec circumciſionem habea-
„ tis: deinde etiam quod, cum ſpes in homine crucifixo poſitas

(a) *n.* 9. (b) *n.* 10.

S. JUSTINUS.

„ habeatis, ſperetis tamen aliquid boni a Deo conſecuturos, non „ obſervatis ejus mandatis. An non legiſtis deletum iri animam „ illam ex genere ſuo, quæ non circumcidetur octavo die"? Sic vero reſpondit Juſtinus: (*a*) „ Nec alius umquam erit Deus, o „ Tripho, nec alius a ſæculo exiſtit, præter eum, qui hanc uni- „ verſitatem fecit ac diſpoſuit, & ipſum illum, qui Patres veſtros „ eduxit e terra Ægypti. Nec in alium quemquam ſperamus, ſed „ in eum, in quem & vos, Deum Abraham, Iſaac, & Jacob. „ Speramus autem non per Moyſen, neque per legem, ſic enim „ idem ac vos faceremus. Nunc vero legi, novam legem futuram, „ & teſtamentum omnium firmiſſimum, quod nunc cuſtodiri ab o- „ mnibus decet, quicumque hæreditatem Dei conſequi volunt. „ Nam quæ in Oreb promulgata lex eſt, vetus jam, & veſtra ſo- „ lum eſt, hæc autem omnium prorſus eſt . . . ac æterna nobis, „ & noviſſima lex Chriſtus datus eſt, & teſtamentum fidele, poſt „ quod non lex, non præceptum, non mandatum". Hic vero plures allegat Juſtinus auctoritates ac teſtimonia Iſaiæ (*b*) ac Jeremiæ (*c*) oſtendentia Deum, novam legem daturum ad illuminandas Gentes, & initurum novum fœdus aliud ab eo, quod pepigit cum Patribus eorum, cum educeret eos de terra Ægypti; deinde ſubdit: „ Vide- „ mus autem, ac perſuaſum habemus, per nomen ipſius crucifixi Je- „ ſu Chriſti a ſimulacris, & ab alia nequitia homines ad Deum „ accedere, ac ne morte quidem propoſita a confeſſione & pietate „ diſcedere, cum ex operibus, tum ex conſequentibus miraculis li- „ cet omnibus intelligere, hanc eſſe novam legem, & novum te- „ ſtamentum, & expectationem eorum, qui ex omnibus Gentibus „ a Deo bona expectant". Oſtendit verum Iſraelitam eſſe ſpi- ritalem hominem, circumciſionem, ſabbatorum & azymorum ob- ſervantiam ſpiritualiter de morum mutatione eſſe intelligendam, veram purificationem in azymis fieri per ſanguinem Jeſu Chriſti; & hic celebre recitat Iſajæ (*d*) teſtimonium, quo Salvatoris Paſſio, & Redemptio clariſſime prænuntiatur.

Oſtendit etiam Triphoni Juſtinus, circumciſionem ad ſalutem neceſſariam nequaquam eſſe, exemplis plurium Sanctorum Abel, Enoch, Noe, Melchiſedech, qui omnes incircumciſi fuere; & probat circumciſione non opus eſſe, eam eſſe ſignum, quo Judæorum populus a cæteris Gentibus ſecerneretur. (*e*) Solum poſt Idolatriæ crimen in Vituli adoratione, Deum hoſtias ſibi offerri præcepiſſe, ne ſimulacra colerent, & ſimiliter mandaſſe, ut a cibis quibuſdam abſtinerent, ut etiam inter edendum, & bibendum ante oculos Deum haberent; ac ſubdit Prophetas (*f*) aperte teſtari, cæremonialia præcepta non ideo illis data, quia forent in ſe ipſis bona, nec Deum eorum libaminibus & ſacrificiis egere.

Progreditur deinde S. Martyr ad Chriſtianæ doctrinæ veritatem patefaciendam; (*g*) duoſque accurate diſtinguit Meſſiæ adventus. Pri-

(a) *n.* 11. (b) *Iſaiæ* 55. 3. (c) *Jer.* 31. 32. (d) *Iſajæ* 52. 10. (e) *n.* 20. (f) *Ezech.* 20. 19. *Amos* 5. 17. (g) *n.* 32.

S. JUSTINUS.

Primum quidem in carne mortali omni diſſimulata gloria, & pulchritudine, Joſephi Fabri filius creditus, & faber ipſe, quia fabrilia opera faciebat, aratra, & juga (hoc enim artefacti genus Chriſto ſpecialiter tribuit a recenti traditione fortaſſis edoctus Juſtinus). Secundum vero, quo apparebit Meſſias in magna gloria, & in nubibus Cæli, juxta Danielis vaticinium. (*a*) Hunc duplicem Meſſiæ ſtatum evincit S. Juſtinus ex Pſalmo 10. quem de Ezechia intelligi non poſſe probat (ut interpretabantur Judæi) cum hic numquam Sacerdotio functus ſit, & ex Pſalmo 7. (*b*) qui Salomoni nequit aptari, cum nequaquam uſque ad terminos orbis terrarum regnaverit, & qui propter mulieres Sidonias coluit ſimulacra; quod quidem ut committant, minime adducuntur qui ex Gentibus per Jeſum Chriſtum crucifixum cognoverunt creatorem univerſorum Deum. Oſtendit etiam & invicte probat, Chriſtum non eſſe purum hominem, ut arbitrabantur Judæi, ſed cum eſſet ante omnia ſæcula Deus, eſt in tempore factus homo. (*c*) Ejus divinitatem evincit ex pluribus Pſalmis, & præſertim ex 44. & confirmat apparitionibus, quibus Deus Patriarchis, & Moyſi ſeſe oſtendit, (*d*) quas juxta Antiquorum mentem Verbo adſcribit; & poſtea ſubdit: „(*e*) Deum ante omnes res creatas initium genuiſ-
„ ſe ex ſe ipſo virtutem quamdam rationalem, quæ & gloria
„ Domini a Spiritu Sancto vocatur, & nunc Filius, nunc Sapien-
„ tia, nunc Angelus, nunc Deus, nunc Dominus & Verbum“. Illorum tamen opinionem reſpuit, qui dicebant „ hanc virtutem ab-
„ ſcindi a Patre, aut ſeparari non poſſe, ut radius a Sole, ſed ſo-
„ lum cum vult Pater facit, ut virtus ejus proſiliat, & rurſum
„ cum vult ad ſe ipſum reflectit“. Sed Virtutem iſtam ſemper permanentem eſſe, & non ſolo nomine diſtinctam, ut lux Solis, ſed & numero aliud quid eſſe, & genitam, non per abſciſſionem, quaſi Patris ſubſtantia divideretur, quod explicat dicens: „ quale
„ eſt quod in nobis fieri videmus. Aliquem enim ſermonem profe-
„ rentes ſermonem gignimus, nec tamen cum abſciſſione, ut ſer-
„ mo ille, qui in nobis eſt, dum eum proferimus, comminuatur;
„ & ſicut videmus ex igne alium ignem naſci non imminuto eo,
„ ex quo is accenſus eſt“.

Oſtendit poſtea, Jeſum Crucifixum Meſſiam eſſe (*f*); ejus paſſionis figuras explicat Paſchalem Agnum, hircos in jejunio oblatos, quorum alter emiſſarius erat, alter offerebatur (*g*). Similæ quoque oblatio figura erat panis Euchariſtiæ in recordatione paſſionis Chriſti ſuſceptæ (*h*). In hocce Dialogo pluries repetit, Euchariſtiam eſſe purum Sacrificium, quod Deo offertur a Solis ortu uſque ad occaſum, & aperte Euchariſtiam ſacrificium appellat (*i*). Objiciebat Tripho, maledictionem in lege latam contra pendentes

(a) *n.* 33. (b) *n.* 34. (c) *n.* 37.
(d) *n.* 56. (e) *n.* 61. (f) *n.* 40.
(g) *n.* 41. (h) *Ibid.* (i) *n.* 84.

S. JUSTINUS. in ligno, cui reſpondet Juſtinus Crucem oſtendens pluribus figuris in Scriptura præmonſtratam, & præſertim æneo Serpente, cujus elevatio tamen adverſa videbatur præcepto ſimulacra fieri vetanti (*a*); & hic unus ex Sociis Triphonis ingenue faſſus eſt, ſe magiſtros ſuos hac de re interrogaſſe, nec quemquam rationem reddere ſciviſſe. Addit etiam maledictionem legis (*b*) univerſalem illam ſignificare maledictionem, cui omne humanum genus obnoxium reperitur, necnon perſecutiones in Chriſtianos excitatas. (*c*) Affert deinde explanationem Pſal. 21. in quo Crux Salvatoris clare prænuntiatur & exprimitur.

(*d*) Evangelii dilatationem exponit dicens: „ Nullum omnino „ genus eſt ſive Græcorum, ſive Barbarorum, ſive quolibet nomi- „ ne appellentur, vel Hamaxobiorum qui in plauſtris degunt, vel „ Nomadum qui domibus carent, vel Scenitarum qui pecora pa- „ ſcentes in tentoriis habitant, nullum, inquam, ejuſmodi genus „ eſt, in quo non per nomen crucifixi Jeſu preces & gratiarum a- „ ctiones Patri & Creatori univerſorum fiant ". Chriſtianorum conſtantiam commendat ſcribens: „ (*e*) Neminem autem eſſe, qui „ nos in Jeſum per totum orbem terrarum credentes, exter- „ reat, & in ſervitutem redigat, in promptu eſt. Dum enim gla- „ dio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur, & vin- „ culis, & igni, & omnibus aliis tormentis, a confeſſione, ut „ manifeſtum eſt, non diſcedimus. Sed quanto magis magiſque ta- „ lia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Jeſu fideles & „ pii fiunt . . . (*f*) Solem quidem Deus dederat prius ad adoran- „ dum ... nec quiſquam umquam extitit, qui mortem propter fi- „ dem in Solem optarit. At ex omni genere hominum videre eſt, „ qui propter nomen Jeſu quælibet ſupplicia & pertulerint & per- „ ferant, ne illum negent ". (*g*) In ſuo Dialogo S. Juſtinus pluribus in locis prædicat dona ſupernaturalia prophetiæ, ſanitatum, gratiarum, aliaque miracula inter fideles fuiſſe communia, (*h*) & præſertim poteſtatem Dæmones fugandi invocato Jeſu crucifixi ſub Pontio Pilato nomine.

At opponebat Tripho: „ (*i*) Ex his tamen, qui Jeſum ſeſe „ confiteri dicunt, & Chriſtiani appellantur, multos eſſe audio, qui „ ſimulacris immolata manducant ". Cui Juſtinus: „ Ejuſmodi „ homines, qui ſe Chriſtianos profitentur ... non tamen illius do- „ ctrinam tenent, ſed eam, quæ eſt a Spiritibus erroris; nos qui „ veræ ac puræ Jeſu doctrinæ diſcipuli ſumus, firmiores in fide & „ conſtantiores faciunt in ſpe, ab eo enuntiata. Quæ autem in „ ſuo nomine eventura prædixit, ea oculis, & effectu ad exitum „ perducta cernimus ... Sunt igitur & fuerunt permulti, qui im- „ pia & neſanda dicere ac facere docerent in nomine Jeſu pro- „ deun-

(a) *n.* 94. (b) *n.* 95. (c) *n.* 97.
(d) *n.* 117. (e) *n.* 110. (f) *n.* 121.
(g) *n.* 11. 39. 82. (h) *n.* 30. 85. (i) *n.* 35.

„ deuntes; ſuntque a nobis appellati ex eorum nomine, a quibus ſe- S. JUSTINUS.
„ cta quæque, & opinio ortum habuit. Alii enim alio modo in
„ Deum univerſorum, & in eum quem venturum prædixerat Chri-
„ ſtum, & in Deum Abrahæ, & Iſaac, & Jacob blaſphemias
„ docent. Cum horum nemine communicamus, cum illos atheos
„ & impios eſſe & injuſtos & exleges ſciamus, ac Jeſum mini-
„ me colere, ſed verbis tantum confiteri; atque illi quidem, non
„ ſecus ac qui in gentibus nomen Dei operibus manufactis inſcri-
„ bunt, ita Chriſtianos ſe eſſe dicunt, & nefandorum ac impio-
„ rum ſacrificiorum participes fiunt. Nonnulli vocantur Marcionitæ,
„ alii Valentiniani, alii Baſilidiani, alii Saturneliani, alii aliud
„ vocabulum habent ex ſuæ quiſque ſectæ Principe, ſicut Philoſo-
„ phi". Hoc eſt quod de hæreticis idem exhibet Juſtinus.

Pluribus modis Judæis ſuam exprobrat cæcitatem. Nam allatis pluribus Scripturæ teſtimoniis de ſpirituali circumciſione, & de Gentium vocatione ſubdit: (*a*) „ Videor mihi hæc ediſſerens iis et-
„ iam, qui parum intelligentia præditi ſunt, perſuaſurus. Neque
„ enim hæc verba a me compoſita ſunt, aut humana arte exorna-
„ ta, ſed ea David pſallendo cecinit, Iſaias evangelizavit, Zacha-
„ rias promulgavit, Moyſes ſcripſit. Agnoſcis ea, Tripho? Con-
„ ſignata ſunt litteris veſtris, vel potius noſtris. Nos enim iis ad-
„ hæremus; vos autem legendo ſententiam non perſpicitis".

Notat etiam futiles Rabbinorum ſubtilitates, dum inquirunt „ (*b*)
„ quam ob cauſſam Cameli feminæ in hoc vel illo loco non di-
„ cantur; aut quid ſunt Cameli quæ feminæ dicuntur; aut cur
„ tot ſimilæ, tot olei menſuræ in donis offerri ſolitæ, & hæc ex-
„ ponunt humiliter & demiſſiſſime". Eos accuſat „ (*c*) tam in-
„ ſipienter Scripturæ verba interpretari, ut Deum arbitrentur ma-
„ nus & pedes & digitos & animam habere inſtar animalis, & id-
„ circo viſum eſſe Abrahamo & Jacobo", Præterea addit: „ (*d*)
„ Si quis ſexcenta præclare dicat, unum autem quodlibet minu-
„ tum vobis non placeat, aut a vobis non intelligatur, aut minus
„ accuratum ſit, de plurimis præclare dictis parum laboratis, &
„ verbulum ſtatim arripitis, illudque in piaculi aut ſceleris loco
„ ſtatuere conamini, & inſtar muſcarum ad vulnera accurritis &
„ advolatis". (*e*) Veſtri Magiſtri (exprobrat Juſtinus) „ etiam-
„ num quatuor aut quinque uxores habere unicuique permittunt,
„ & ſi quis venuſtam inſpiciens concupierit, Jacobi & aliorum
„ Patriarcharum facta commemorantes, negant peccare ſi quis ſi-
„ milia faciat, miſeri hac etiam in re, & inſipientes. Nam diſ-
„ penſationes magnorum myſteriorum in unaquaque hujuſmodi a-
„ ctionum peragebantur"; & poſtea explicatis hiſce myſteriis ad-
dit: „ (*f*) Illud Davidis in Uriæ conjugem peccatum argumento
„ eſt, Patriarchas non ut mœcharentur, plures uxores habuiſſe,

C 4 „ ſed

(a) *n.* 29. (b) *n.* 112. (c) *n.* 114.
(d) *n.* 115. (e) *n.* 134. (f) *n.* 141.

S. JUSTINUS.

„ ſed diſpenſationem quamdam, & myſteria omnia per eos fuiſſe „ peracta... Nam ſi liceret quam quiſque voluerit, & quo volue- „ rit modo, & quot voluerit uxores aſſumere (quale eſt quod fa- „ ciunt veſtri generis homines, qui in toto orbe terrarum, quo- „ cumque venerint, aut mittantur, mulieres ducunt nomine matri- „ monii) quanto magis id Davidi facere liceret “ ? Quod hic S. Juſtinus de Davide dicit, eo in ſenſu intelligendum eſt, ſcilicet, ſi David putaſſet, ſibi permiſſum juxta concupiſcentiam ſuam divortii, & polygamiæ licentia uti, nihil habuiſſet quod metueret, & ſine Uriæ cæde ipſum ad propriam repudiandam uxorem poteſtate regia compellere potuiſſet, eo modo, quo Auguſtus Druſum ad Luciam repudiandam adſtrinxit; at hæc matrimonia palliata ſunt dicenda adulteria.

ARTICULUS TERTIUS.

Selectiora S. Juſtini teſtimonia ad Dogmata, mores, & diſciplinam ſpectantia.

Doctrina S. Juſtini

INTER antiquos Patres nullus, Juſtino melius, aut fidei Catholicæ dogmata novit, aut accuratius myſteria explicavit. Quæ inſigniora viſa ſunt in ſuis operibus hic proferimus. Docet,

De Sacra Scriptura.

Chriſtianæ Religionis ſcientiam (*a*) a Prophetis eſſe addiſcendam, quia delapſus in eos Spiritus Sanctus his, qui veram Religionem ediſcere cupiunt, per eos tradere voluit: (*b*) oracula enim, & futurorum, quæ protulerant, vaticinia, non ex ipſis ſunt, ſed ex Verbo Dei, qui eos ſuo Spiritu afflaverat: (*c*) Scripturam neminem intelligere poſſe, niſi cui Deus intellectum dederit, & Chriſtus ejus: habere terribilem quamdam majeſtatem, & ad eos permovendos idoneam eſſe, qui de recta via deflexerunt; his autem, qui eam meditantur, ſuaviſſimam eſſe requiem. (*d*) Si quæ in ea reperiuntur in ſpeciem contraria, cum certum ſit, nullam in illa eſſe contradictionem, fatendum potius quæ dicuntur non intelligi, & idem aliis ſuadendum: (*e*) ideo Deum voluiſſe, Hebræos Scripturam ſervare, ne Gentes crederent a Chriſtianis fuiſſe confictam.

De Divinitate, & Incarnatione.

Obſervat: „ (*f*) Nomen univerſorum Parenti, eo quod ingenitus „ ſit, & formam & gloriam inenarrabilem habeat, nullum prorſus „ inditum eſſe. (*g*) Illi, qui Filium Patrem eſſe dicunt, ſi „ arguuntur, quod nec Patrem ſciant, nec Filium eſſe univerſo- „ rum Patris cognoſcunt. (*h*) Qui cum Verbum ſit primogenitum „ Dei, Deus etiam eſt; antequam Mundus crearetur, cum eo ad-

„ erat,

(a) *Cohort. ad Græc. n.* 35. (b) *Apolog.* 1. *n.* 51.
(c) *Dialog. cum Triph. n.*7. (d) *Ibid. n.*65.
(e) *Orat.* 1. *ad Græc, n.* 10. (f) *Apolog.* 1. *n.*9. ; 2. *n.* 6.
(g) *Apolog.* 1. *n.*63. (h) *Apolog.* 2. *n.* 6.

„ erat, per illud Deus omnia ornavit; (*a*) ac prius quidem Moyſi „ & cæteris Prophetis in ſpecie ignis, & imagine incorporea viſus „ eſt, nunc autem Auguſti temporibus ex Virgine homo factus ſe- „ cundum Patris voluntatem pro eorum ſalute, qui illi credunt, „ & pro nihilo haberi & pati ſuſtinuit, ut mortuus ac reſurgens „ mortem vinceret “.

S. Justinus.

De Trinitate Perſonarum in Deo: De Finali Judicio: De ſupernaturalibus donis.

Luculenter tres in Deo diſtinguit Perſonas cultu & adoratione dignas, & ſuæ fidei puritatem de Filii, & Spiritus Sancti divinitate clariſſime prodit, dicens: „ (*b*) Confitemur veriſſimum juſti- „ tiæ ac temperantiæ, ac cæterarum virtutum Patrem, nulla ad- „ mixtum vitioſitate Deum; ſed & Filium, qui ab eo venit, & „ nos iſta docuit, & cæterorum, qui illum aſſectantur, eique aſ- „ ſimilati ſunt, bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum Pro- „ pheticum colimus & adoramus, ratione & veritate venerantes, „ & ut quiſque diſcere voluerit, citra invidiam, ut edocti ſumus, „ impertientes “. (*c*) Addit a Chriſtianis expectari domicilium cum Deo univerſorum Patre & opifice, nec non & poſtremum judicium, non quidem, ut Plato dixit, apud Minoem & Rhadamanthum habendum, ſed a Chriſto perficiendum, idque exiſtentibus in iiſdem corporibus cum ſuis animabus, ut improbi pœna æterna puniantur. (*d*) Narrat ſuo tempore conceſſa fidelibus ſupernaturalia dona; aliis ſcilicet Spiritum ſapientiæ, aliis fortitudinis, nonnullis orationis, quibuſdam doctrinæ ac timoris Dei, (*e*) & plurimos Dæmoniis agitatos per nomen Chriſti adjuratos, fuiſſe liberatos.

De natura Animæ: quid ejus a corpore ſejunctionem ſequatur: De Regno millenario.

Quamvis S. Juſtini de animæ natura mens & doctrina ſubobſcura videri poſſit; certum tamen eſt, eam immortalem agnoviſſe, & dixiſſe; clare enim ſcribit, (*f*) bonos præmiis cum Deo, malos autem æternis pœnis afficiendos, & licet aliquando ejuſdem immortalitatem inficiari videatur, id in ſenſum & mentem Platonis dicit, (*g*) qui illud ſolum immortale dicendum putabat, quod careret principio. Opinionem illorum rejicit, qui dicunt, ſtatim poſt mortem animas in cælum conſcendere ad fruendum Deo, (*h*) cum arbitretur, piorum quidem animas in meliori loco manere, iniquorum autem in deteriori diem judicii expectantes detineri, & poſt ſecundum Chriſti adventum futuram peculiarem juſtorum reſurrectionem, qui in terris ſimul cum Chriſto regnabunt. Dum tamen cum Papia Chiliaſtarum amplectitur opinionem, ingenue tamen confitetur (*i*), *multos ex illo Chriſtianorum genere, qui piam & puram ſequuntur ſententiam, Regnum iſtud non agnoſcere*, cum quibus communicare non renuebat, ſuam quidem opinionem propugnans, quin tamen fidei Catholicæ abrumperet unitatem; ex quo patet, a S. Juſtino millenarium Regnum tamquam fidei dogma minime habitum,

(a) *Apolog. 1. n. 63.* (b) *Apolog. 1. n. 6.*
(c) *Ibid. n. 8.* (d) *Dialog. cum Tryph. n. 39.*
(e) *Apolog. 2. n. 6. & Dialog. cum Tryph. n. 83.*
(f) *Apolog. 1. n. 8.* (g) *Dialog. cum Tryph. n. 5.*
(h) *Ibid. n. 5.* (i) *Ibid. n. 80.*

S. JUSTINUS.

bitum, ſed ut meram opinionem, quæ ne temporibus quidem S. Hieronymi damnata erat, quippe qui licet eam rejiciat tamquam falſam, hæreticam tamen dicere non audet, ejus judicium divino Jeſu Chriſti judicio reſervans, quin hac de cauſſa ullum damnare velit (*a*).

De Reſurrectione corporum: De libero arbitrio, & gratiæ neceſſitate.

„ Præter animarum immortalitatem etiam corporum reſurrectionem futuram credimus (ait S. Juſtinus (*b*)) adeo ut diſſoluta hominum corpora, & inſtar ſeminum in terram reſoluta, Dei juſſu certo tempore reſurgent, & incorruptionem induent “: hujuſce autem reſurrectionis ſpem in eo collocat, quod omnia ſint Deo omnipotenti poſſibilia. (*c*) Illorum refellit errorem, qui putabant *fati neceſſitate omnia fieri*, & oſtendit libera animi inductione hominem vel bene agere, vel male; (*d*) ſimul tamen docet & tuetur, tum ad fidem, tum ad bona opera, neceſſariam eſſe gratiam Dei, quam ille gratis impertitur.

Illud tamen in primis notandum in Juſtino, quam accurate videlicet de Sacramentis Baptiſmi & Euchariſtiæ loquatur, & quam exacte cæremonias in eorum adminiſtratione adhibitas deſcribat, ut videre eſt in prima ſua Apologia.

ARTICULUS QUARTUS.

Sententiæ S. Juſtini ad Spiritualem Vitam ſpectantes.

Qui contraria in Scripturis reperit, eas non intelligit.

I. SI quæ ſcriptura proponatur in ſpeciem, quæ videatur eſſe alteri contraria, cum perſuaſum habeam nullam his ineſſe contradictionem mutuam, citus fatebor me quæ dicuntur non intelligere, & ut de ſcripturis idem ſentiant perſuadere conabor adverſariis. (*Dialog. cum Tryph. n.* 65.)

Modus diligendi proximi.

II. Quicumque proximum ut ſeipſum diligit, quidquid boni ſibimet cupit, & illi cupit pariter: nemo autem ſibi ipſi male vult; eadem igitur quæ ſibi, proximo quoque optabit & faciet, quiſquis proximum ut ſeipſum diligit. (*Ibid.*)

Mundus Chriſtianis Regio extranea.

III. Credendum eſt hunc Mundum alienum eſſe, & in eo nihil proprium, niſi Fidem & Religionem. (*Ep. ad Zen. & Ser.*)

C A-

(a) *S. Hieron. in Jerem.* 19. *& in Ezech.* 38.
(b) *Apolog.* 1. *n.* 19. (c) *Ibid. n.* 43.
(d) *Dial. cum Tryph. n.* 55.

CAPUT TERTIUM.

S. IRENÆUS

Epiſcopus Lugdunenſis, Eccleſiæ Doctor, & Martyr.

ARTICULUS PRIMUS.

Ejus Vitæ Breviarium.

S. IRENÆUS in Græcia natus circa annum 120. a Chriſti natali, diſcipulus fuit Papiæ, & S. Polycarpi, qui S. Joannis Evangeliſtæ fuerunt auditores. Inſtitutionum & doctrinarum, quas in ſua prima ætate a Polycarpo acceperat, obliviſci numquam potuit: „ (*a*) Vitæ modum, inquit, & corporis ſpe- „ ciem, ſermones quos habebat... tunc temporis per Dei clemen- „ tiam, quæ mihi obtigit, ſtudioſe audiebam, non in charta ſed „ in corde meo ea conſignans, & ſemper per Dei gratiam exacte „ ea in mente revolvo ". In Gallias a S. Polycarpo miſſus creditur circa annum 157. & Lugduni ſedem fixit, ubi Sacerdotis munia obivit uſque dum pro pace Eccleſiarum quaſi legatione fungens, ad Eleutherium Pontificem Romam venit anno 178. ibique cum Valentino, & duobus ejus diſcipulis Florino & Blaſto diſputavit, eorumque errores ſcripto confutavit. Roma Lugdunum reverſus, S. Pothino in illius Urbis Epiſcopatu ſucceſſit, factuſque eſt omnium Gallicanarum Eccleſiarum veluti Princeps & Primas, cum eos omnes ſummo ſtudio eximiaque pietate rexerit. Nihil antiquius habuit poſt fundatam Lugduni frequentiſſimam Eccleſiam, quam & proximiores Civitates excolere & curare. Miſit itaque Presbyterum Ferreolum, & Ferruntium Diaconum Veſontium, & Felicem Presbyterum, cum Diaconibus Fortunato, & Achilleo Valentiam, ut per ea loca divini cultus fundamenta jacerent. Hi fuerunt primi illarum Eccleſiarum Apoſtoli, quæ ſuæ fundationis initia & incrementa ſtudio, & paſtorali ſollicitudini S. Irenæi accepta referunt.

S. Iren.

Ortus S. Irenæi circa an. 120.

In Gallias miſſus a S. Polycarpo an. 157.

Eccleſias Veſontii, & Valentiæ fundat.

Poſt S. Eleutherii Pontificis obitum magna inter Victorem ejus ſucceſſorem, & Aſiæ Epiſcopos efferbuit controverſia de Paſchatis celebrandæ diſciplina. Aſiæ Minoris Eccleſiæ agendum Paſchatis & Reſurrectionis Dominicæ diem feſtum ipſa decima quarta luna poſt

(a) *Epiſt. ad Florin. pag.* 340. E. V.

S. IREN.

poſt æquinoctium vernum, in quamcumque hebdomadæ feriam incideret, arbitrabantur. Victor vero, ſecum ſentientibus omnibus Occidentis Epiſcopis, aliiſque Eccleſiis, Alexandrina, Phœnicis, Ponti, Achajæ, Oſrhoenæ, celebrandum eſſe cenſebat die Dominica, quæ decimam quartam lunam proxime ſequeretur. Scripto hac de re S. Irenæus (nomini ſuo reſpondens, quod pacis ſtudioſum græce ſignificat) Victorem convenit, eoque Pontificem eſt hortatus, ut more prædeceſſorum ſuorum, quos enumerat, pacem cum Aſiaticis tueretur, nec gravate ferret, eos antiquis conſuetudinibus adhærere, nec quæſtionem tanti eſſe momenti, ut propter eam miſcendus Eccleſiæ ſtatus videretur. Tantumque apud Victorem valuit hæc Irenæi Epiſtola, ut Eccleſiis Orientalibus pacem reſtituerit & unitatem, quæ perduravit uſque ad Nicænum Concilium, in quo mos & conſuetudo Eccleſiarum Aſiæ abolitus omnino fuit, & rejectus, & ſancita Romanæ Eccleſiæ conſuetudo. Præclaro huic facinori ſuperſtes non fuit S. Irenæus; Martyrii enim coronam accepit pro Fide Chriſti anno 202. imperante Severo.

Scribit Victori Papæ de Paſchatis celebratione.

Martyrium ſubit an. 202.

Plurima quidem conſcripſit opera. Verum non alia ſuperſunt præter latinam verſionem, & quidem barbaro ſermone conſcriptam quinque librorum contra hæreſes: nonnulla fragmenta Græca a diverſis Scriptoribus recitata; & Epiſtola Papæ Victori data, quam nobis ſervavit Euſebius. Ejus operum Editiones celebriores ſunt Eraſmi anni 1526. Grabbe 1702. & P. Maſſuet 1710. (1). Scriptionis ſtylus conciſus, clarus, nervoſus, ſed ſimplex & humilis, plurima abundat Eruditione. Hinc jure meritoque dictus a Tertulliano: *Irenæus omnium doctrinarum curioſus explorator*. Sex exaravit Dodwellus diſſertationes eruditiſſimas & ad S. Irenæi intelligentiam accommodatiſſimas ac utillimas.

ARTICULUS SECUNDUS.

Analyſis Operum S. Irenæi.

Analyſis Operum S. Irenæi.

IMPURÆ Valentini, Marcionis, Cerdonis, aliorumque Gnoſticorum (2) Sectæ novitatis, voluptatiſque illicio eos conabantur

(1) Alia eſt Editio longe præſtantior Veneta in folio apud Franciſcum Pitterium anno 1734. in qua extant fragmenta Græca a Pſaphio e Bibliotheca Taurinenſi eruta, unde orta maxima inter Pſaphium, & Clariſſimum Virum Scipionem Maffejum de illorum authentia concertatio, & utriuſque diſſertationes, Epiſtolæ, & reſponſa in ſecunda Parte laudatæ Editionis collecta leguntur.

(2) Gnoſtici nomen non alicujus Sectæ nomen eſt, ſed aſſumptum a primis hæreticis, qui ſe ſapientia, & ſublimiore doctrina præditos jactabant. Gnoſis enim ſapientiam, intelligentiam, ſeu perfectionem græce ſignificat.

tur ſeducere, quos tormenta & mors ipſa a veritate dimovere nequiverant. Hæreſes in Aſia exortæ jam & Italiam occupaverant, & ad Gallias pervenerant cujuſdam Marci diſcipulorum fraudibus & doctrinis. S. Iren.

Scriptionis cauſſa.

Hic impoſtor album vinum aqua mixtum in calicem infundebat, (*a*) „ & fingens ſe gratias agere, & in multum extendens „ ſermonem invocationis, purpureum & rubicundum apparere fa„ ciebat, ut putaretur, ea gratia, ſuum ſanguinem ſtillare in il„ lius calicem per invocationem ejus, & valde concupiebat præ„ ſentes ex illo guſtare poculo ", ut ſic ceu Divinus Propheta haberetur. Hujuſce ſeductoris præſtigia, ſacra Altaris Myſteria imitari conantis, evidenter oſtendunt Fidem Eccleſiæ de vini tranſubſtantiatione in Sanguinem Chriſti, & ſic aliquando ipſi hæretici ad alios refutandos refellendoſque conducunt & proſunt.

Ut mulierculis quoque blandiretur Impoſtor, & ipſis eam tribuebat poteſtatem, quam ſolis Sacerdotibus conceſſam agnoſcit Eccleſia. „ Ipſis ſiquidem pocula mixta porrigens ipſas, adſtante ſe, „ conſecrare jubet. Quod cum factum fuerit, ipſe aliud poculum „ longe majus eo, quod a muliercula ſeducta conſecratum eſt, „ proferens, atque ex minore illo a muliere conſecrato, in id „ quod a ſe allatum eſt transfundens, ac ſimul hæc verba ſubjun„ gens: *Gratia ea, quæ ſupra omnia eſt.... adimpleat tuum in„ tus hominem*... admirabilia faciens apparuit, quando major ca„ lix adimpletus eſt de minori calice, ut ſuperfunderetur ex „ eo ". Mulieres autem, præſertim purpuratas & ditiſſimas, ſeducere conabatur, quæ eum poſtea facultatum ſuarum largitione ditabant, in favorem ſectæ quam amplexæ fuerant. Has conveniens ore blando ſic alloquebatur: „ (*b*) Participare te volo ex mea „ gratia.... Sume a me & per me gratiam. Adapta te ut Spon„ ſa ſuſtinens Sponſum ſuum, ut ſis quod ego, & ego quod tu... „ Ecce gratia deſcendit in te, aperi os tuum, & propheta. Quum „ autem mulier reſponderit; *Numquam prophetavi, & neſcio pro„ phetare*, dicit ei; aperi os & loquere quodcumque, & propheta„ bis. Illa autem ſeducta, & elata ab iis, quæ prædicta ſunt „ calefaciens animam audet, & loquitur deliroſa ". Inſanus hic phanatiſmus in fœdiſſimas degenerabat turpitudines. At S. Irenæus vigilantiſſimus Præſul periculum gregi ſuo imminens ſtatim agnovit, ſuiſque & ſermonibus & ſcriptis procul amovere ſategit.

Analyſis Tractatus S. Irenæi adverſus hæreſes.

Præſtantius hujus Sanctiſſimi Præſulis opus, aliorum quam deflemus omiſſionem aliquo modo compenſans, illud eſt, quod adverſus hæreſes conſcripſit. Ab eo exaratum creditur, Eleutherio Pontifice, ideſt circa annum 186. & græco idiomate illud conſcripſit, ac in quinque libros partitus eſt. Cum primum ſit Opus dogmaticum Eccleſiæ Gallicanæ ex iis, quæ ad nos uſque pervenere, ejus ideam accurate hic exhibebimus.

Sta-

(a) *Ir. lib.* 1. *cap.* 13. *al.* 8.
(b) *Eodem cap. n.* 3.

Digitized by Google

S. Iren. Analyſis primi libri.

Statim itaque S. Irenæus in ſua præfatione hæreticorum detegit artes, queis errores ſuos occultare, & verbis catholicis fucare ſtuſtent, ut facilius incautos fallant. Quocirca addit, ne culpa noſtra nonnulli tamquam oves a lupis abripiantur, & ut ovinæ pellis integumentum ab eis detraheretur, eorum ſcripta accurato ſtudio percurrere ſtatuiſſe. Suum opus cuidam, cujus nomen reticet, dirigit, eumque ſic alloquitur: „ (*a*) Nec vero facias, ut a nobis, „ qui inter Gallos degimus, atque in barbara lingua, ut plurimum, operam ponimus, verborum artificium, quod non didicimus, expoſcas.... nec dictionum ornamenta, nec perſuadendi „ facultatem, cujus expertes & ignari ſumus. Verum ea, quæ ſimpliciter ac vere ac vulgari ſermone, benevolo tamen animo, ad „ te ſcripta ſunt, tu quoque pari animi benevolentia accipies.... „ & efficaciter tu reliquis miniſtrabis ſecundum gratiam, quæ tibi „ a Domino data eſt, ut homines non jam amplius eorum oratione ad perſuadendum comparata diſtrahantur ". Quæ poſtrema verba indicant, S. Irenæum aliquem alloqui Epiſcopum. Poſt procemium, primum exorditur librum, in quo Valentinianorum deliras exponit doctrinas, quibus Evangelium S. Joannis, quod unum admittebant, cum Platonicorum ideis miſcentes, abſurdiſſimum ſimul & monſtruoſum conflarunt ſyſtema divinitatis *Æonum*, ideſt ſæculorum ficta quadam propagatione. Fingebant ſiquidem Æonas, ſeu ſæcula eſſe veluti perſonas quaſdam, quibus utrumque ſexum tribuebant. Et primum quidem Æonem *Proarchem* appellatum, ſeu *Bythos* in Sigem, ideſt ſilentium, quæ una cum eo erat, non ſecus atque in vulvam demiſiſſe. Hoc vero ſuſcepto ſemine prægnans effectum, *Num*, ideſt *Intelligentiam*, & *Alitheam*, Veritatem ſcilicet, peperiſſe. Nus vero & Alithea Logum, & Zoen, Verbum ſcilicet & Vitam emiſere, ex quibus Homo & Eccleſia prodiere. Hæc autem eſt primigena Octoades, ſeu priores octo Æones. Logos vero, & Zoe decem alios emiſerunt Æonas, atque ex Homine, & Eccleſia duodecim alii prodiere. Hinc triginta enumerabant Valentiniani Æonas, ex quibus omnibus ſuum Pleroma ſeu plenitudo conſurgebat. Sophia inter Æonas noviſſima a Pleromate longe præſiluit, miſereque periiſſet, niſi Horos, in quo Pleroma completur, eam repreſſiſſet, atque eſſet auxiliatus. Peperit tamen Achamoth, quod a Pleromate velut abortivum informe rejectum fuit, cujus tamen Chriſtus a Nu genitus miſertus eſt, eique per ſuam Crucem naturalem formam acquiſivit. Achamoth ei adhæſit, qui ſibi eſſe donaverat, & ex hac adhæſione, tamquam ex materia prodiit Mundus. Plorabat Achamoth ſuam a Pleromate excluſionem, ex ejuſque lacrymis Mare, & flumina effecta, ſicut ex ejus timore elementa profluxere. At Chriſtus, Salvatorem miſit, qui Achamoth a ſuis eripuit afflictionibus; deinde concepit & peperit Demiurgon, Auctorem & Deum Mundi, cæterorumque omnium, quæ extra Ple-

(a) *In Præfat. n.* 3.

Pleroma exiſtunt. Hoc eſt ſpecimen Theologiæ Valentinianorum ſatis ſufficiens ad dignoſcendum in quæ abſurda & monſtra labi poſſit mens humana, dum fidei lumine abjecto, ſibi unice fidit, & innititur. S. Iren.

Expoſitis a S. Irenæo hiſce ſomniis & phanaticis viſionibus, aliiſque pluribus ex eis, ceu legitimis conſectariis, manantibus, fidei Dogmata, & Veritates exponit, per diſcipulos Domini Eccleſiæ tradita. Tradit itaque Symbolum Apoſtolorum, & dicit: „ (*a*) Acceptam hanc prædicationem & fidem Eccleſia, tametſi per totum „ terrarum orbem ſparſa, ſummo ſtudio & cura ... conſervat, ac „ veluti animam unam, atque unum idemque cor habens, his „ æque fidem accommodat, & miro conſenſu prædicat, docet, ac „ tradit". Et poſt pauca ſubdit: „ Ac neque hæ, quæ in Germania ſitæ ſunt, Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, nec „ quæ in Hiſpaniis aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut „ in Africa, aut in Mediterraneis orbis regionibus ſedem habent. „ Verum ut Sol hic a Deo conditus, in univerſo Mundo unus at- „ que idem eſt, ita etiam veritatis prædicatio paſſim lucet, omneſ- „ que homines, qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illu- „ ſtrat". Exponit poſtea errores, & hæreſes, quæ a Simone Mago ad ſua uſque tempora in Eccleſia inſurrexere, oſtenditque morum corruptionem, univerſalem eſſe cauſſam errorum, & fructum ſponte ſua ex hæreſibus profluentem.

In ſecundo libro, falſa, quæ in primo expoſuerat, Valentinianorum dogmata argumentis validiſſimis evellit radicitus, & funditus evertit. Cum autem Hæretici Evangelicis præſertim parabolis ad ſua adſtruenda ſomnia abuterentur, eas temere, & ex cerebro ſuo fictis interpretationibus explicando, nonnulla tradit præcepta & regulas ad rectam Scripturarum intelligentiam, & ſic ſtatuit: „ (*b*) Omnis quæſtio non per aliud, quod quæritur, habebit re- „ ſolutionem, nec ambiguitas per aliam ambiguitatem ſolvetur „ apud eos, qui ſenſum habent.... ſed ea, quæ ſunt talia, ex „ manifeſtis, & conſonantibus, & claris accipiunt abſolutionem". Abſurditatem eis objicit myſteriorum, quæ in numeris ac græcis litteris illa ſignantibus ſe reperire ſomniabant, quippe ſigna ſunt ad placitum plane, & arbitraria (*c*). Libenter concedit nihil temere factum a Deo, & omnia, quæ in Scripturis habentur, *magna ſapientia, ac diligentia ad liquidum apta & ornata omnia a Deo facta eſſe* nec ſine ſumma ſapientia, quam tamen ſcrutari ac penetrare non eſt datum hominibus, nec de Deo inquiſitionem ex numeris & ſyllabis eſſe accipiendam, *non enim regula ex numeris, ſed numeri ex regula, nec Deus ex factis, ſed ea quæ facta ſunt ex Deo dijudicanda, & homines per quæſtionem*, ſubtilitates, & multiloquium in impietatem cadere; modus proinde inveſtigationi po-

(a) *Cap.* 10. *n.* 2. (b) *Cap.* 10. *n.* 1.
(c) *Cap.* 25. *n.* 1.

S. IREN. ponendus. (*a*) Stultum ſiquidem eſſe oſtendit, ſi ex eo, quod Dominus dixerit, *capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*, *curioſe inquirere quis voluerit numerum uniuſcujuſque capitis capillorum, & cauſſam exquirere, per quam hic quidem tantos, ille autem tantos capillos habeat, non omnibus ex æquo habentibus, ſed multis millibus ſuper millia aliis atque aliis numeris inventis.... & hi qui putant ſe numerum inveniſſe capillorum, tentent referre ad teſtimonium ſuæ ſectæ quam excogitarunt... Similiter ſi pergat ad hoc, ut arenam enumeret, & calculos terræ, ſed & fluctus maris, & ſtellas cæli, & cauſas excogitare numeri, qui putatur inventus, nonne in vanum laborans, & delirans hic talis, & irrationabilis ab omnibus, qui ſenſum habent, juſte diceretur?*

Fallacibus ſignis, & vanis hæreticorum præſtigiis vera opponit ſigna, & miracula tunc temporis in Eccleſia frequentiora. „ (*b*) Non enim, inquit, cæcis poſſunt donare viſum, neque ſurdis auditum, neque omnes Dæmones effugare, præter eos qui ab „ ipſis immittuntur.... tantum autem abſunt ab eo ut mortuum „ excitent (quemadmodum Dominus excitavit, & Apoſtoli per orationem, & in fraternitate ſæpiſſime propter aliquid neceſſarium, „ Eccleſia univerſa poſtulante per jejunium, & ſupplicationem „ multam reverſus eſt ſpiritus mortui, & donatus eſt homo orationibus Sanctorum) ut ne quidem credant hoc totum poſſe fieri; „ eſſe autem reſurrectionem a mortuis agnitionem ejus, quæ ab „ eis dicitur, veritatis". Hæc autem ſubdit in Eccleſia non ſolum „ ſine mercede, & gratis fieri, ſed & nobis ipſis quæ ſunt noſtra erogantibus... Et ea, quibus hi, qui curantur, indigent, ſæpiſſime „ non habentes, a nobis accipiunt". De hæreticis vero loquens ſcribit (*c*): „ Si aliquid faciunt, per magiam operati, fraudulenter „ ſeducere nituntur inſenſatos..... adducentes autem pueros, „ & oculos deludentes, & phantaſmata oſtendentes ſtatim ceſſantia, & ne quidem ſtillicidio temporis perſeverantia, non Jeſu „ Domino noſtro, ſed Simoni Mago ſimiles oſtenduntur". Dein de Chriſto ſic ſubdit: „ Quapropter & in illius nomine, qui vere illius ſunt, diſcipuli ab ipſo accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unuſquiſque accepit „ donum ab eo. Alii enim Dæmones excludunt firmiſſime & vere, „ ut etiam ſæpiſſime credant ipſi, qui emundati ſunt a nequiſſimis „ ſpiritibus, & ſunt in Eccleſia. Alii autem & præſcientiam habent „ futurorum, & viſiones, & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impoſitionem curant, & „ ſanos reſtituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, & mortui „ reſurrexerunt, & perſeveraverunt nobiſcum annis multis. Et „ quid autem? Non eſt numerum dicere gratiarum, quas per univerſum Mundum Eccleſia a Deo accipiens, in nomine Chriſti

„ Jeſu

(a) *Cap.* 26. *n.* 2. (b) *Cap.* 31. *n.* 2.
(c) *Cap.* 32. *n.* 3.

„ Jeſu, crucifixi ſub Pontio Pilato, per ſingulos dies in opitulatio-
„ nem gentium perficit, neque ſeducens aliquem, nec pecuniam ei S. Iren.
„ auferens; quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis & mi-
„ niſtrat. Nec invocationibus Angelicis facit aliquid (ſuperſtitioſas
„ nimirum hæreticorum excludit), nec incantationibus, nec reli-
„ qua prava curioſitate, ſed pure, munde, & manifeſte orationes
„ dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini Jeſu
„ Chriſti invocans, virtutes ad utilitates hominum, ſed non ad ſe-
„ ductionem perficit.... Si itaque & nunc nomen Domini Jeſu
„ Chriſti beneficia præſtat.... non Simonis, neque Menandri, ne-
„ que Carpocratis, nec alterius cujuſcumque; manifeſtum eſt: quo-
„ niam homo factus vere omnia fecit ex virtute Dei... (*a*) Mul-
„ tos audimus fratres in Eccleſia prophetica habentes chariſmata,
„ & per Spiritum univerſis linguis loquentes, & abſconſa homi-
„ num in manifeſtum producentes ad utilitatem, & myſteria Dei
„ enarrantes “.

Eccleſiæ Catholicæ doctrinam Scriptura & traditione confir- Analyſis lib. 3.
mandam tertio libro aggreditur S. Irenæus. Scribit propterea:
„ (*b*) Apoſtoli non ante prædicaverunt, quam perfectam haberent
„ agnitionem.... Matthæus in Hebræis, ipſorum lingua, Scriptu-
„ ram edidit Evangelii, quum Petrus & Paulus Romæ evangeliza-
„ rent, & fundarent Ecceſiam. Poſt vero horum exceſſum, Mar-
„ cus diſcipulus & interpres Petri, & ipſe quæ a Petro enuntiata
„ erant, per ſcripta nobis tradidit. Et Lucas autem ſectator Pauli,
„ quod ab illo prædicabatur Evangelium in libro condidit. Poſtea
„ & Joannes diſcipulus Domini, qui & ſupra pectus ejus recum-
„ bebat, & ipſe edidit Evangelium, Epheſi Aſiæ commorans. “
Addit, Joannem Evangelium ſuum exaraſſe adverſus Cerinthi, & Nicolaitarum errores; Evangeliſtas nec plures eſſe, nec pauciores quam quatuor, eiſque myſterium quatuor animalium, quod in Apocalypſi legitur, applicat. Dolos & aſtus Hæreticorum detegit, qui cum ex Scripturis arguuntur, ad Traditionem confugiunt: cum vero ad eam Traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, provocentur, Traditioni adverſantur, dicentes ſe ſinceram inveniſſe veritatem, redarguentes Apoſtolos, quaſi admiſcuerint quæ ſunt legalia Salvatoris verbis, & doctrinam Chriſti corruperint, ut ſuorum Auditorum captui ſe accommodarent.

Traditionem vero probat perpetua Epiſcoporum ſucceſſione. „ (*c*)
„ Habemus, ſcribit, annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti
„ ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, Epiſcoporum ſucceſſione Traditio Apoſtolica in Eccleſia ſervata eſt.
„ qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deli-
„ ratur. Etenim ſi recondita Myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeor-
„ ſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime tra-
„ derent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valde
„ enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe,

(a) *Lib.* 5. *cap.* 6. (b) *Cap.* 1.
(c) *Cap.* 3.

S. IREN.

„ quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterii
„ tradentes, quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, la-
„ pſis autem ſumma calamitas. Sed quoniam valde longum eſt in
„ tali volumine omnium Eccleſiarum numerare ſucceſſiones; maxi-
„ mæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, a glorioſiſſimis duo-
„ bus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & inſtitutæ Ec-
„ cleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis, traditionem & annuntia-
„ tam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem
„ uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo
„ vel per ſibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem,
„ & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc
„ enim Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt o-
„ mnes convenire Eccleſias, hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles,
„ in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ
„ eſt ab Apoſtolis traditio.

„ Fundantes igitur & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam Lino
„ Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt. Hujus Lini
„ Paulus in his quæ ſunt ad Timotheum Epiſtolis meminit. Suc-
„ cedit ei Anacletus; poſt eum, tertio loco ab Apoſtolis Epiſco-
„ patum ſortitur Clemens, qui & vidit ipſos Apoſtolos, & contu-
„ lit cum eis; & cum adhuc inſonantem prædicationem Apo-
„ ſtolorum, & traditionem ante oculos haberet, non ſolus; adhuc
„ enim multi ſupererant tunc ab Apoſtolis docti. Sub hoc igitur
„ Clemente, diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi eſſent,
„ fratres facta, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litte-
„ ras Corinthiis ad pacem eos congregans, & reparans fidem eo-
„ rum, & annuntians quam in recenti ab Apoſtolis acceperat tra-
„ ditionem.... Huic autem Clementi ſuccedit Evariſtus, ac Eva-
„ riſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſtolis conſtitutus eſt
„ Sixtus, & ab hoc Teleſphorus, qui etiam glorioſiſſime marty-
„ rium fecit; ac deinceps Hyginus, poſtea Pius, poſt quem Ani-
„ cetus. Quum autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo
„ loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius. Hac ordina-
„ tione & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia tradi-
„ tio, & veritatis prædicatio pervenit uſque ad nos.... Et Poly-
„ carpus autem non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus
„ cum multis ex eis, qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam
„ ab Apoſtolis in Aſia, in ea, quæ eſt Smyrnis, Eccleſia conſtitu-
„ tus Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate
„ (multum enim perſeveravit, & valde ſenex glorioſiſſime, & no-
„ biliſſime martyrium faciens exivit de hac vita), hæc docuit
„ ſemper, quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit,
„ & ſola ſunt vera. Teſtimonium his perhibent quæ ſunt in Aſia
„ Eccleſiæ omnes, & qui uſque adhuc ſucceſſerunt Polycarpo; qui
„ vir multo majoris auctoritatis, & fidelior veritatis eſt teſtis, quam
„ Valentinus & Marcion, & reliqui, qui ſunt perverſæ ſententiæ.
„ Is enim eſt, qui ſub Aniceto cum adveniſſet in urbem, multos
„ ex his, quos prædiximus, hæreticos convertit in Eccleſiam Dei,

„ unam

„ unam & ſolam hanc veritatem annuntians ab Apoſtolis percepiſ-
„ ſe ſe, quam & Eccleſiæ tradidit “. — S. Iren.

Deinde paulo poſt ſubdit: „ (a) Quid enim? Et ſi de aliqua mo-
„ dica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas
„ recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab
„ eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum, & re liquidum
„ eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent
„ nobis, nonne oporteret ordinem ſequi traditionis, quam tradide-
„ runt iis, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſen-
„ tiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Chriſto credunt,
„ ſine charta & atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cor-
„ dibus ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes, in
„ unum Deum credentes fabricatorem Cœli & Terræ.... per Je-
„ ſum Chriſtum Dei Filium..... Hanc fidem qui ſine litteris cre-
„ diderunt, quantum ad ſermonem noſtrum barbari ſunt; quan-
„ tum autem ad ſententiam, conſuetudinem, & converſatio-
„ nem, propter fidem, ſapientiſſimi ſunt, & placent Deo,
„ converſantes in omni juſtitia, & caſtitate, & ſapientia. Qui-
„ bus ſi aliquis annuntiaverit ea, quæ ab hæreticis adinventa
„ ſunt, proprio ſermone eorum alloquens, ſtatim concluden-
„ tes aures longe longius fugient, ne audire quidem ſuſtinentes
„ blaſphemum colloquium. Sic per illam veterem Apoſtolorum
„ traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittunt
„ quodcumque eorum portentiloquium eſt, nequedum enim congre-
„ gatio fuit apud eos, neque doctrina inſtituta. Ante Valentinum
„ enim non fuerunt, qui ſunt a Valentino, neque ante Marcionem
„ erant, qui ſunt a Marcione, neque omnino erant reliqui ſenſu
„ maligni.... antequam initiatores & inventores perverſitatis eo-
„ rum fierent. Valentinus enim venit Romam ſub Hygino, incre-
„ vit autem ſub Pio, & prorogavit tempus uſque ad Anicetum.
„ Cerdon autem, qui ante Marcionem, & hic ſub Hygino, qui
„ fuit octavus Epiſcopus, ſæpe in Eccleſiam veniens & exhomolo-
„ geſim faciens, ſic conſummavit, modo quidem latenter docens,
„ modo vero exhomologeſim faciens, modo vero ab aliquibus tra-
„ ductus in his quæ docebat male, & abſtentus eſt a religioſorum
„ hominum conventu. Marcion autem illi ſuccedens invaluit ſub
„ Aniceto decimum locum Epiſcopatus continente.

Artes Valentinianorum ſic enarrat: „ (b) Hi ad multitudinem,
„ propter eos, qui ſunt ab Eccleſia, quos communes Eccleſiaſticos
„ ipſi dicunt, inferunt ſermones, per quos capiunt ſimpliciores, &
„ alliciunt eos, ſimulantes noſtrum tractatum, ut ſæpius audiant;
„ qui etiam queruntur de nobis, quod cum ſimilia nobiſcum ſen-
„ tiant, ſine cauſſa abſtineamus nos a communicatione eorum, &
„ cum eadem dicant, & eamdem habeant doctrinam, vocemus il-
„ los hæreticos. Et cum dejecerint aliquos a fide per quæſtiones,
„ quæ fiunt ab eis, & non contradicentes auditores ſuos fecerint,

Obortis controverſiis conſulenda, & ſequenda Traditio.

Multæ Gentes barbaræ veteri Traditioni inhærentes veram fidem habent.

Hæreſes novæ Apoſtolis recentiores.

Valentinianorum doli, ſimulatio, & ſuperbia.

(a) *Cap.* 4. (b) *Cap.* 15.

S. IREN.

„ his ſeparatim inenarrabile Plenitudinis ſuæ enarrant Myſte-
„ rium.... Et ſi aliquis quidem ex his, qui audiunt eos, quærat
„ ſolutiones, vel contradicat eis, hunc quaſi non capientem verita-
„ tem, & non habentem de ſuperioribus a Matre ſua ſemen affir-
„ mantes, in totum nihil dicunt ei, mediarum partium dicentes
„ eſſe illum, hoc eſt, Pſychicorum. Si autem aliquis, quaſi par-
„ vam ovem, deditum ſemetipſum ipſis præbeat imitatione illo-
„ rum, & redemptionem illorum conſecutus eſt, inflatus iſte talis,
„ neque in cælo, neque in terra putat ſe eſſe, ſed intra Pleroma
„ introiſſe, & complexum jam Angelum ſuum, cum inſtitorio, &
„ ſupercilio incedit gallinacei electionem habens. Sunt autem apud
„ eos, qui dicunt, oportere bonam converſationem aſſequi eum ho-
„ minem, qui ſit deſuper adveniens; propter hoc & fingunt quo-
„ dam ſupercilio gravitatem. Plurimi autem & contemptores fa-
„ cti, quaſi jam perfecti, ſine reverentia & in contemptu viven-
„ tes, ſemetipſos ſpiritales vocant, & ſe noſſe jam dicunt eum,
„ qui ſit intra Pleroma, ipſorum refrigerii locum “.

Analyſis libri 4.

Quarto libro catholicam confirmat doctrinam præſertim ex Chriſti Domini verbis. De Euchariſtia autem hæc habet. Poſtquam oſtendit, Sacrificia & typicas obſervantias ſine juſtitia & dilectione nihil prodeſſe, de Chriſto loquens dicit: „ (*a*) ſuis diſcipulis de-
„ diſſe conſilium primitias offerre Deo ex ſuis creaturis, non quaſi
„ indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint; & eum
„ qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens: *Hoc eſt*
„ *meum corpus*. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ
„ eſt ſecundum nos, ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & novi Te-
„ ſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſto-
„ lis accipiens, in univerſo Mundo offert ei, qui alimenta nobis
„ præſtat, primitias ſuorum munerum in novo Teſtamento, de quo
„ in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignificavit, (*b*) *ab or-*
„ *tu Solis uſque ad occaſum nomen meum clarificatur inter gen-*
„ *tes, & in omni loco offertur nomini meo ſacrificium purum*....
„ (*c*) Oblationes enim & illic, oblationes autem & hic, ſacrifi-
„ cia in populo, ſacrificia in Eccleſia, ſed ſpecies commutata eſt
„ tantum, quippe cum jam non a ſervis, ſed a liberis offeratur...
„ Et hanc oblationem Eccleſia ſola puram offert fabricatori, offe-
„ rens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judæi autem
„ non offerunt “. Et de hæreticis loquens ſubdit: „ Quomodo au-
„ tem conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe
„ Domini ſui, & Calicem ſanguinis ipſius, ſi non ipſum fabricatoris
„ mundi Filium dicant?.. Quomodo autem rurſus dicunt, carnem in
„ corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ corpore &
„ ſanguine Domini alitur?.. Ergo aut ſententiam mutent, aut abſti-
„ neant offerendo quæ prædicta ſunt.... Quemadmodum enim qui

„ eſt

(a) *Cap.* 17. *n.* 5. (b) *Malach.* 1. 11.
(c) *Cap.* 18. *n.* 2.

„ eſt a terra panis, percipiens invocationem Dei jam non commu„ nis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans ter„ rena & cæleſti, ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam „ jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia". Duæ illæ res, ex quibus conſtat Euchariſtia, ſunt juxta Irenæum caro Chriſti, quæ terreſtris eſt, noſtræque conſubſtantialis, & Spiritus ejus, ſeu anima, & ejus Divinitas, quæ de Cælo deſcendit, & cæleſtis eſt. Et adverſus Marcionitas diſputans ait: „ (*a*) Quo„ modo autem juſte Dominus, ſi alterius Patris exiſtit, hujus con„ ditionis, quæ eſt ſecundum nos, accipiens panem, ſuum corpus „ eſſe confitebatur, & temperamentum Calicis ſuum ſanguinem „ confirmavit"? Et adverſus illos, qui carnem incorruptibilem fieri poſſe inficiabantur, ſic diſſerit: „ (*b*) Si autem non ſalvatur hæc „ (caro videlicet), nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos, ne„ que Calix Euchariſtiæ communicatio Sanguinis ejus eſt, neque „ panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus eſt".

S. Iren.

Fideles Eccleſiæ ſubditos eſſe hortatur & jubet, ſic ſcribens: „ (*c*) „ Eis, qui in Eccleſia ſunt, Presbyteris obedire oportet his, qui „ ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus; qui cum Epiſco„ patus ſucceſſione charisma veritatis certum ſecundum placitum „ Patris acceperunt: reliquos vero, qui abſiſtunt a principali ſuc„ ceſſione, & quocumque loco colligunt, ſuſpectos habere vel quaſi „ hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, „ & ſibi placentes, aut rurſus ut hypocritas, & quæſtus gratia & „ vanæ gloriæ hoc operantes.... Ubi igitur chariſmata Domini „ poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ „ eſt ab Apoſtolis, Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum & ir„ reprobabile converſationis, & inadulteratum, & incorruptibile „ ſermonis conſtat". Et poſtquam oſtenderat, hominem vere ſpiritualem judicare cujuſcumque generis hæreticos, ſubdit: „ (*d*) Ju„ dicabit autem & pſeudoprophetas, qui non accepta a Deo prophe„ tica gratia, nec Deum timentes, ſed aut propter vanam glo„ riam, aut ad quæſtum aliquem, aut aliter ſecundum operationem „ mali ſpiritus fingunt ſe prophetare mentientes adverſum Deum. „ Judicabit autem & eos, qui ſchiſmata operantur, qui ſunt inanes, „ non habentes Dei dilectionem, ſuamque utilitatem potius conſideran„ tes, quam unitatem Eccleſiæ, & propter modicas & quaslibet cauſſas „ magnum & glorioſum Chriſti corpus conſcindunt, & dividunt, & „ quantum in ipſis eſt, interficiunt: pacem loquentes & bellum ope„ rentes, vere liquantes culicem, & camelum tranſglutientes. Nulla „ enim ab eis tanta fieri poteſt correctio, quanta eſt Schiſmatis per„ nicies. Judicabit autem & omnes eos, qui ſunt extra veritatem, „ ideſt qui ſunt extra Eccleſiam.... (*e*) Agnitio vera eſt Apoſto„ lorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in univerſo Mundo,

D 3 „ & cha-

(a) *Lib. 4. c. 33. al. 57.* (b) *Lib. 5. cap. 2.*
(c) *Lib. 4. cap. 26.* (d) *Cap. 33. al. 61.*
(e) *Ibid. al. 63.*

S. IREN.

„ & character Corporis Chriſti ſecundum ſucceſſiones Epiſcoporum, „ quibus illi eam, quæ in unoquoque loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ pervenit uſque ad nos cuſtoditione ſine fictione Scripturarum.... Et præcipuum dilectionis munus, quod eſt pretioſius, quam agnitio, glorioſius autem quam prophetia, omnibus „ autem aliis chariſmatibus ſupereminentius. Quapropter Eccleſia „ omni in loco propter eam, quam habet dilectionem erga Deum, „ multitudinem Martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem; „ reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem „ oſtendere apud ſe, ſed nec quidem neceſſarium eſſe dicentibus tale martyrium.... niſi unus aut duo... cum Martyribus noſtris „ opprobrium ſimul bajulavit nominis, & cum eis ductus eſt ".

Qui ab Eccleſia alieni ſunt, Spiritus Sancti, & operationum ejus participes non ſunt.

Addit etiam: „ (a) In Eccleſia poſuit Deus Apoſtolos, Prophetas, Doctores, & univerſam reliquam operationem ſpiritus; „ cujus non ſunt participes omnes, qui non currunt ad Eccleſiam, „ ſed ſemetipſos fraudant a vita per ſententiam malam, & operationem peſſimam. Ubi enim Eccleſia, ibi Spiritus Dei, & ubi „ Spiritus Dei, illic Eccleſia & omnis gratia; Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mammillis „ matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de Corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem ".

Pluribus in locis docet (b), homines & Angelos libero donatos fuiſſe arbitrio, & hoc eorum caſus, & perditionis cauſſam fuiſſe, & etiam nunc eſſe, (c) & ob liberum arbitrium, data hominibus præcepta, locum habere exhortationes, reprehenſiones, laudes, & pollicitationes ſive præmii, ſive pœnæ. (d) Mali originem & cauſſam non a Deo, ſed a Creatura repetendam, quæ ex nihilo cum ſit, imperfecta eſt & ſuo Creatore inferior; nec Deum culpare poſſumus, quia mala non impedierit, unde dicit: „ Secundum enim „ benignitatem ſuam bene dedit bonum, & ſimiles ſibi ſuæ poteſtatis homines fecit; ſecundum autem providentiam ſcivit hominum „ infirmitatem, & quæ ventura eſſent ex ea; ſecundum autem dilectionem, & virtutem vincet factæ naturæ ſubſtantiam. Oportuerat enim primo naturam apparere, poſt deinde vinci, & abſorberi mortale ab immortalitate, & corruptibile ab incorruptibilitate, & fieri hominem ſecundum imaginem & ſimilitudinem „ Dei ".

Omnes naturæ conditione filii Dei ſunt; non autem per fidem & obedientiam.

Supplicium, quod ob ſcelera hominibus infligit, bonum dicit eſſe, quia juſtum Dei judicium oſtendit. Secundum naturam eſſe nos Dei filios affirmat: „ (e) Propter quod a Deo omnes facti „ ſumus. Secundum autem dicto audientiam, & doctrinam, non „ omnes Filii Dei ſunt, ſed qui credunt ei, & faciunt ejus voluntatem. Qui autem non credunt, & non faciunt ejus voluntatem,

(a) *Lib. 3. cap. 24. al. 40.* (b) *Lib. 4. cap. 37. al. 21.*
(c) *Cap. 15. al. 29. cap. 27. al. 71. & 72.*
(d) *Cap. 38. al. 73. & 74.* (e) *Cap. 41. al. 79.*

„ tem, Filii, & Angeli ſunt Diaboli “. Peccati originalis exiſtentiam clare docet, dicens: „ (*a*) Non aliter ſalvari homines ab „ antiqua ſerpentis plaga, niſi credant in eum, qui ſecundum ſimi„ litudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a Terra, & „ omnia trahit ad ſe, & vivificat mortuos “. Et alibi dicit, primi hominis peccatum per primogenitum, qui eſt Chriſtus, ſublatum.

S. Iren.

Peccatum originale.

Quinto libro S. Irenæus hæreticos oppugnat verbis Chriſti Domini & Apoſtolorum, quæ nondum adduxerat. Primo itaque loco adverſus Valentinianos evincit, (*b*) Chriſtum Sanguine ſuo nos redemiſſe, & dediſſe ſemetipſum redemptionem pro nobis; ideoque veram carnem, noſtræ per omnia ſimilem, ex Virgine ſumpſiſſe, quod ea potiſſimum confirmat ratione, quia ſi vere carnem non ſumpiſſet, „ nec Dominus Sanguine ſuo redemit nos, neque Calix „ Euchariſtiæ communicatio Sanguinis ejus eſt, neque panis, quem „ frangimus, communicatio corporis ejus eſt. Sanguis enim non „ eſt, niſi a venis & carnibus, & a reliqua quæ eſt ſecundum ho„ minem ſubſtantia. Quomodo ergo & mixtus Calix, & factus „ panis percipit verbum Dei, & fit Euchariſtia Sanguinis & Cor„ poris Chriſti, ex quibus augetur, & conſiſtit carnis noſtræ ſub„ ſtantia, ſi caro Chriſti vera non eſt, ſed phantaſtica “?

Analyſis libri 5.

Eadem prorſus utitur ratione ad probandum, corporum reſurrectionem non eſſe impoſſibilem, quemadmodum enim (ſcribit) quæ in uſum hominum veniunt, & percipientia Verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt Corpus & Sanguis Chriſti; ſic & noſtra corpora ex ea nutrita, & repoſita in terram, & reſoluta in ea, reſurgunt in ſuo tempore. Cui & aliam addit non minoris ponderis rationem, videlicet: ſi potuit Deus carni nullo modo exiſtenti vitam tribuere, quanto magis vivificare poterit eam carnem, quæ jam meditata & aſſueta ſit portare vitam? Si quidem poteſt quia omnipotens, vult quia bonus & benignus. „ (*c*) Et quomodo „ Chriſtus in carnis ſubſtantia ſurrexit, & oſtendit diſcipulis figu„ ras clavorum, ita & corpora noſtra vivificabuntur. Spes enim „ Reſurrectionis, qua nos confortat Apoſtolus, non ad animas per„ tinet, quæ immortales ſunt, ſed ad corpora quæ mortem ſub„ eunt “. Poſtea brevi compendio omnes exhibet hæreſes, quas in toto Opere refutaverat, & oſtendit, „ (*d*) omnes hæreticos valde „ poſteriores fuiſſe, quam Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt „ Eccleſias “: unde colligit neceſſe eſſe „ confugere ad Eccleſiam, & „ in ejus ſinu educari, & Dominicis Scripturis enutriri. Eccleſiæ „ enim Dei concreditum eſt lumen; ubique enim Eccleſia prædi„ cat veritatem, & hæc eſt lucerna Chriſti bajulans lumen “. At ab hæreticis fugiendum, „ qui relinquunt præconium Eccleſiæ, „ imperitiam ſanctorum Presbyterorum arguunt, & qui ſe plus

Reſurrectio corporum.

 „ ali-

(a) *Lib. 4. cap. 2. al. 5.* (b) *Cap. 2.*
(c) *Cap. 7.* (d) *Cap. 20.*

S. IREN. „ aliquid præter veritatem invenire putant, quos qui ſequuntur, „ ſunt veluti cæci, qui a cæcis circumducuntur, unde juſte cadent „ in ſublatentem ignorantiæ foveam ſemper quærentes, & numquam verum invenientes „.

Alia S. Irenæi Opera. Ex aliis S. Irenæi Operibus nonniſi aliqua ſuperſunt fragmenta apud Euſebium ſervata in ſua hiſtoria, videlicet, Epiſtola ad Victorem Pontificem, & ſcriptum adverſus Blaſtum & Florinum. Hi duo erant Eccleſiæ Romanæ Presbyteri, a gradu ſuo ob pernicioſam, quam ſpargebant, doctrinam dejecti. Blaſtus Valentini hæreſibus errorem adjecerat Quartodecimanorum, quippe qui clanculum Judaiſmum in Eccleſiam invehere tentabat; ideoque ſchiſma moliebatur, ut narrat Tertullianus. Adverſus vero Florinum duos conſcripſerat S. Irenæus tractatus. Priori titulum fecerat *de Monarchia*, in quo propugnabat, Deum non eſſe mali auctorem, licet nonniſi unum ſit rerum omnium admittendum principium. Florinum autem ſic alloquitur ad mentem ei revocans tempus, quo ſub diſciplina S. Polycarpi fuerat: „ (a) Hæc tua dogmata, ut parciſſime, ac leviſſime dicam, Florine, non ſunt ſanæ doctrinæ; „ hæc dogmata Eccleſiæ non ſunt conſona, & in maximam impietatem eos conjiciunt, qui illis aſſentiuntur: hæc dogmata „ nequidem hæretici extra Eccleſiam poſiti proferre umquam auſi „ ſunt. Hæc dogmata hi qui ante nos extitere Presbyteri, quique „ Apoſtolorum diſcipuli fuere, minime tibi tradiderunt. Vidi enim „ te, cum adhuc puer eſſem, in inferiore Aſia apud Polycarpum, „ cum in Imperatoris aula ſplendide ageres, & illi te probare „ conareris. Nam ea, quæ tunc geſta ſunt, melius memoria teneo, quam quæ nuper acciderunt (quippe quæ pueri diſcimus, „ ſimul cum animo ipſo coaleſcunt, eique penitus inhærent) adeo „ ut & locum dicere paſſim, in quo ſedens beatus Polycarpus diſſerebat, proceſſus quoque ejus & ingreſſus, vitæque modum, & „ corporis ſpeciem, ſermones denique, quos ad multitudinem habebat, & familiarem conſuetudinem, quæ illi cum Joanne ac „ reliquis, qui Dominum viderant, interceſſit, ut narrabat, & „ qualiter dicta eorum commemorabat, quæque de Domino ex „ ipſis audierat, de miraculis etiam ejus, ac de doctrina, quæ ab „ iis, qui Verbum vitæ ipſi conſpexerant, acceperat Polycarpus, „ qualiter referebat, cuncta Scripturis conſona. Hæc jam tunc „ temporis per Dei clementiam, quæ mihi obtigit, ſtudioſe audiebam, non in charta, ſed in corde meo ea conſignans, & ſemper per Dei gratiam exacte ea mente revolvo. Atque in conſpectu Dei conteſtari poſſum, beatum illum, & Apoſtolicum „ Presbyterum, ſi tale quid audiiſſet, exclamaturum ſane, ac obturatis auribus ſuis pro more dicturum fuiſſe, *Deus bone, quæ me in tempora reſervaſtis, ut hæc ſuſtinerem* „! En quomodo S. Irenæus

(a) *In Fragm. pag.* 339. *E. V.*

næus Traditione utebatur ad hæreticos confutandos. Temporis progreſſus majorem vim attulit argumentis ex illa deſumptis. S. Iren.

Tractatus alter ad Florinum conſcriptus de *Ogdoade* inſcribebatur, ideſt de prioribus illis octo Æonibus, quorum ſuperius meminimus. In ejus calce exſcriptores exorat, & obteſtatur verbis quæ oſtendunt, quantum cordi eſſet antiquis Patribus, ut eorum dogmatica opera ſumma cura & diligentia exſcriberentur, ut intactus ſervaretur & purus Traditionis fons. Sic itaque illos precatur: „ (*a*) Adjuro te, qui tranſcripſeris hunc librum, per Dominum „ noſtrum Jeſum Chriſtum, & per glorioſum ejus adventum, quo „ veniet ad judicandum vivos & mortuos, ut conferas quod tran„ ſcripſeris, & diligenter illud emendes ad exemplar, ex quo tran„ ſcripſiſti, utque adjurationem iſtam ſimiliter deſcribas, & exem„ plari tuo inſeras “.

ARTICULUS TERTIUS.

Præſtantiora S. Irenæi teſtimonia ad Dogmata, Mores, & Diſciplinam ſpectantia.

Doctrina S. Irenæi de Sacra Scriptura.

DOCET S. Irenæus (*b*), Verbum eſſe Deum, & Spiritum ejus Sacras dictaſſe Scripturas; Prophetas Verbo afflatos ejus in carne adventum prænuntiaſſe, eorum vaticinia (*c*) *cum venerit tempus, & evenerit quod prophetatum eſt, tunc liquidam & certam habere prophetiæ expoſitionem, veram eorum intelligentiam ibi dicere oportere, apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio.* Narrat, Septuaginta Interpretes juſſu Ptolomæi Lagi (*d*) *ab invicem ſeparatos* eandem juſſos *interpretari Scripturam. Convenientibus autem ipſis in unum apud Ptolomæum, & comparantibus ſuas interpretationes, Deus glorificatus eſt, & Scripturæ vere Divinæ creditæ ſunt, omnibus eadem, & iiſdem verbis, & iiſdem nominibus recitantibus ab initio uſque in finem.* Quod ut confirmaret, addit: (*e*) *Non eſſe mirabile hoc Deum in eis operatum, quando in ea captivitate populi, quæ facta eſt a Nabucodonoſor, corruptis Scripturis, poſt ſeptuaginta annos... inſpiravit Heſdræ Sacerdoti præteritorum Prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere populo eam legem, quæ data eſt per Moyſem,* cujus fortaſſis pars aliqua deperdita erat. Licet S. Irenæus fateatur, Sacram Scripturam eſſe firmiſſimam, & immutabilem fidei regulam, addit tamen, nec omnia in ea contineri Dogmata, & in aliquibus locis obſcuram eſſe; proinde (*f*) *ejus veritatem non inveniri ab his,*

(a) *Ibid.* (b) *Lib. 4. cap. 20.*
(c) *Ibid. cap. 26.* (d) *Lib. 3. cap. 21.*
(e) *Ibidem.* (f) *Ibid. cap. 20.*

S. IREN. *his, qui neſciunt traditionem*, ideſt doctrinam *quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſionem Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur*. Doctrina hæc juxta S. Irenæum (*a*) communis eſt, & eadem in omnibus Eccleſiis, in quibus Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſere, ſed præſertim in Romana, in Smyrnenſi, & Epheſina, quæ omnes ſumma cura & ſtudio fidei depoſitum ab Apoſtolis ſive voce, ſive ſcripto acceptum cuſtodire ſategerunt.

De Eccleſia. Veræ Eccleſiæ notas in eo collocat, quia nimirum Catholica cum ſit, & per totum orbem diffuſa, eamdem ubique fidem docet & prædicat (*b*) *firmam habens ab Apoſtolis traditionem*, cuſtodiens ubique eadem præcepta, eamdem ſpem, & eamdem regiminis formam, atque unam eamdemque viam ſalutis omnibus manifeſtans, *& huic creditum eſt lumen Dei, & eſt lucerna Chriſti bajulans lumen. Quapropter*, ſubdit (*c*), *Presbyteris obedire oportet his, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, & cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum acceperunt: reliquos autem, qui abſiſtunt a principali ſucceſſione, & quocumque loco colligunt, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, vel quaſi ſcindentes & elatos.... vel rurſum ut hypocritas*, (*d*) *agnitio autem vera eſt Apoſtolica doctrina, quæ pervenit uſque ad nos cuſtoditione ſine fictione Scripturarum.... neque additamentum, neque ablationem recipiens.*

Eccleſiæ Romanæ Primatus. Juxta Irenæum Romana Eccleſia (*e*) *omnium maxima eſt, & antiquiſſima a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata, & conſtructa, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſionem Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos exacte cuſtodiens, & confundens omnes eos, qui quoquo modo, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt qui ſunt undique fideles.*

De Trinitatis myſterio. Pluribus in locis Dei unitatem prædicat in tribus Perſonis *Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*, (*f*) *Unum eſſe Deum Patrem ſuper omnes, & unum Verbum Dei quod per omnes, per quem omnia facta ſunt, & quoniam hic Mundus proprius ipſius, & per ipſum factus eſt voluntate Patris.* (*g*) Verbum Dei Sapientiam appellat, illudque cum Spiritu Sancto in Patre ab æterno extitiſſe, ejuſdemque eſſe ſubſtantiæ. Jeſum Chriſtum (*h*) *eſſe Filium* Dei & verum Deum, & ſimul verum hominem *ſecundum generationem ex Virgine*, ſolum Salvatorem eorum, qui credunt in eum; (*i*) ipſum eſſe, qui viſus eſt ab Adam, Noe, Abraham aliiſque Patriarchis, qui Moyſem allocutus eſt, miſſus a Patre propter noſtram ſalutem; (*k*) ex Virgine veram carnem aſſumpſit, quæ Virgo tamen ſemper permanſit,

Dilu-

(a) *Cap.* 3. (b) *Lib.* 5. *cap.* 30.
(c) *Lib.* 4. *cap.* 26. *al.* 43. (d) *Lib.* 4. *cap.* 33. *al.* 63.
(e) *Lib.* 3. *cap.* 3. (f) *Lib.* 5. *cap.* 18.
(g) *Lib.* 5. *cap.* 18. (h) *Lib.* 3. *cap.* 18.
(i) *Lib.* 4. *cap.* 20. (k) *Lib.* 3. *cap.* 22. *al.* 33.

Dilucide etiam S. Irenæus prædicat (*a*) neceſſitatem occultiora peccata Sacerdotibus confitendi; (*b*) & peccatum originale transfundi, quod *Serpentis antiqui plagam appellat*; (*c*) Baptiſmi neceſſitatem, (*d*) liberum hominis arbitrium, ex quo ejus perditionem exortam dicit, & quotidie exoriri: (*e*) Deum non eſſe malorum Auctorem, ſed creaturam, quæ (*f*) ſine auxilio gratiæ ſuam nequit ſalutem operari, ac gloriam Dei conſequi, ad quam Deus illos vocat nullis præcedentibus eorum meritis. (*g*) Exteriora Sacrificia, ſi ſint a Charitate ſejuncta, inutilia dicit. (*h*) Chriſtum novum oblationis genus antiquis Sacrificiis ſubſtituiſſe, in quo ejus Caro & Sanguis offeruntur, quod Sacrificium in Eccleſia offertur ab ortu Solis uſque ad occaſum, juxta Malachiæ Prophetiam: qui non credunt Jeſum eſſe *Filium fabricatoris Mundi*, nec credere poſſe *panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui, & calicem Sanguinis ejus; panem qui eſt a terra percipientem invocationem Dei, jam non communem panem eſſe, ſed Euchariſtiam ex duabus rebus conſtantem terrena, & cæleſti*, ideſt carne Chriſti noſtræ per omnia ſimili, quæ terrena eſt, & ſuo ſpiritu, Anima ſcilicet, & Divinitate, quæ de Cælo deſcendit, & cæleſtis eſt. (*i*) Alibi etiam fidem ſuam de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia prodit & manifeſtat.

S. Iren. De Baptiſmo, Pœnitentia, Euchariſtia, aliiſque doctrinis.

ARTICULUS QUARTUS.

Selectiora Vitæ ſpiritualis documenta.

I. JUSTIS & præcepta ejus ſervantibus, & in dilectione ejus perſeverantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam ex pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris confert, & claritatem æternam circumdat. (*Adv. hær. lib.* 1. *cap.* 10.)

Salus non concedenda, niſi innocentibus vel pœnitentibus, in charitate perſeverantibus.

II. Melius eſt nihil omnino ſcientem quempiam, ne quidem unam cauſam cujuslibet eorum quæ facta ſunt; cur factum; & credere Deo & perſeverare in ejus dilectione quæ hominem vivificat; nec aliud inquirere ad ſcientiam, niſi Jeſum Chriſtum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus eſt, quam per quæſtionum ſubtilitates, & multiloquium in impietatem evadere. (*Lib.* 2. *cap.* 26.)

Rejectis inani ſcientia, & futilibus diſputationibus, ſufficit in Jeſum fides, & ejus cognitio.

III. Tantæ igitur oſtenſiones cum ſint, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere; cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſime in ea contulerint

Vera fides ſolum in Eccleſia reperitur, traditione etiam ſolum orali cuſtodita.

(a) *Lib.* 1. *cap.* 6. (b) *Lib.* 4 *cap.* 2.
(c) *Lib.* 1. *cap.* 21. *al.* 28. (d) *Lib.* 4. *cap.* 34. *al.* 76.
(e) *Lib.* 4. *cap.* 18. *al.* 34. (f) *Lib.* 3. *cap.* 17.
(g) *Lib.* 4. *cap.* 18. *al.* 34. (h) *Ibid. cap.* 18. *al.* 34.
(i) *Lib.* 1. *cap.* 13. *al.* 18.

S. IREN.

lerint omnia, quæ ſint veritatis; uti omnis quicumque velit ſumat ex ea potum vitæ. (*Lib.* 3. *adver. hæreſ. cap.* 4.)

Munera Magorum quid ſignificent.

IV. Magi per ea, quæ obtulerunt munera, oſtenderunt, quid erat, qui adorabatur. Myrrha quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali genere moreretur, & ſepeliretur. Aurum vero, quoniam Rex, cujus regni finis non eſt. Thus vero, quoniam Deus, qui & *notus in Judæa factus eſt*, & *manifeſtus eis*, qui non quærebant eum. (*Lib.* 3. *cap.* 9.)

Euchariſtia eſt oblatio novi Teſtamenti, in veteri adumbrata & prænuntiata.

V. Eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens, *hoc eſt Corpus meum*. Et calicem ſimiliter ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo Mundo offert Deo, ei qui nobis alimenta præſtat, primitias ſuorum munerum in novo Teſtamento. (*Lib.* 4. *cap.* 17.)

CA-

CAPUT QUARTUM.

S. CLEMENS

Presbyter Alexandrinus, Eccleſiæ Doctor.

ARTICULUS PRIMUS.

Vitæ S. Clementis Breviarium.

S. Clemens.

Converſio S. Clementis: ejus itinera, & Magiſtri.

TITUS Flavius Clemens Athenis juxta nonnullos Scriptores natus, licet alii Alexandria oriundum dicant, unde & Alexandrinum appellatum cenſent, eruditus in politioribus litteris, & in Philoſophia, præſertim Platonica, evangelicæ veritatis luce perſpecta, chriſtianam amplexus eſt Religionem; in qua cooptatus ſtatim totum animum ſuum in Sacrarum Scripturarum meditatione, & ſalutis doctrina addiſcenda intendit. Ea de cauſa Græciam, Italiam, Aſſyriam, Palæſtinam peragravit, ut ſapientiores in Chriſtiana Religione magiſtros inviſeret, audiretque, & ab eis Eccleſiæ Dogmata, & Traditionis doctrinam addiſceret. „ (a) Ex his, ut ipſe ſcribit, unus quidem in Græcia Jonicus, „ alius vero in Magna Græcia, quorum alter erat ex Cæleſyria, alter „ ex Ægypto oriundus (1). Alii autem ex Oriente, & ejus alter qui- „ dem Aſſyrius, alter vero in Palæſtina Hebræus ex alto ducta „ origine. Cum autem in ultimum incidiſſem, erat autem hic pri- „ mus poteſtate, conquievi, cum ipſum in Ægypto latentem in- „ dagaſſem “. Nobilis hic Clementis magiſter, ſi Euſebio fides eſt habenda, fuit S. Pantenus, quem S. Clemens „ (b) api aſſimilat Pro- „ phetici, & Apoſtolici prati flores decerpenti, & ſinceram quan- „ dam, & incorruptam cognitionem eorum, qui audiebant, ani- „ mis ingeneranti “.

Presbyter eligitur, & Catechiſta Eccleſiæ Alexandrinæ.

His igitur uſus magiſtris S. Clemens veram addidicit ſinceræ traditionem doctrinæ, per illos a Sanctis Apoſtolis Petro, Jacobo, Joan-

(a) *Stromat.* 1. *n.* 1.
(1) Ex duobus viris a Clemente memoratis male interpretes hoc in loco quatuor fecerunt. Noſter autem Gallicus Auctor poſt Boichetum tres facit. Duos enim ſacrarum litterarum doctores a ſe auditos memorat Clemens, alterum in Achaja, qui Jonicus dicebatur, alterum vero in Italia, & horum quidem alterum ex Cæleſyria oriundum fuiſſe, alterum autem Egyptium.
(b) *Ibid. n.* 16.

S. CLEMENS.

Joanne, & Paulo, ceu filii a parentibus, immediata ſucceſſione perceptæ; hinc in Eccleſia excelluit, factuſque eſt Chriſtianæ Philoſophiæ peritiſſimus Præceptor. Miſſo autem ad Indos per Demetrium Alexandrinum Epiſcopum S. Panteno, ejus ſucceſſor deſignatus eſt in Schola Catechiſtica illius Urbis, in qua Gentiles, qui Chriſtianam amplecti Religionem cupiebant, de Fidei doctrina edocebantur. Contigit hoc circa annum decimum Commodi Impratoris, æræ Chriſtianæ 189. & tunc etiam Clementem ad dignitatem Presbyteri Eccleſiæ Alexandrinæ evectum fuiſſe ſumma probabilitate cenſemus.

Ejus diſcipuli, & doctrinæ norma.

In magna auditorum frequentia, quam ad illum ſuæ doctrinæ celebritas trahebat, duo præcipui celebrantur, Origenes ejuſdem Scholæ poſtea Caput, & Rector, & S. Alexander Hieroſolymitanus Epiſcopus, & Martyr, & hoc ex epiſtola patet a magno hocce Epiſcopo ad Origenem data, in qua S. Clementem Patrem, & Dominum ſuum appellat, ab eoque præſens auxilium, ut in veritatis tramite incederet, habuiſſe ſcribit, & per eum Origenem agnoviſſe narrat. In ſuis inſtitutionibus eam prudentem cuſtodivit œconomiam, quæ in omnibus ejus ſcriptis, & Operibus elucet, multa videlicet cauto obvolvens ſilentio, ne illis obeſſent, qui ea non caperent, ac, ut ipſe ait, *gladium puero daret, quo bene uti ignoraret.*

Alexandria diſcedit anno Chriſti 202. & in Cappadociam pergit.

Ingruente autem perſecutione, quam Severus Imperii ſui anno decimo in Eccleſiam excitaverat, publicam Catecheſeon Scholam deſerere coactus fuit, immo, ut prudenter præſumitur, & Alexandria recedere neceſſe habuit, quippe quia ea in Urbe & notus erat omnibus, & a pluribus etiam ob publicas de Religione Chriſtiana lectiones odio habitus. Quo ſe receperit, ignoratur; in Cappadocia tamen circa annum 210. fuiſſe liquet, in Urbe Flevida dicta, ubi S. Alexander, qui ex ejus diſcipulis fuerat, & ob Jeſu Chriſti fidem in carcere detinebatur, Epiſcopus erat. Ex eo, quod Alexander exhibuit, teſtimonio compertum fit, peculiari divinæ providentiæ conſilio factum, ut ſe Clemens in Cappadociam reciperet, ubi Eccleſiam ſuo Paſtore deſtitutam confirmavit, adeoque amplificavit, ut ejus proinde ad Fidei propagationem ſuſceptorum laborum, atque inſtitutionum fructus cumulatiſſime ſeceſſum excuſaverit, ſapienterque initum oſtenderit.

Ejus elogium.

Cum autem anno Chriſti 211. S. Aſclepiades Chriſti Confeſſor in Antiochena Sede S. Serapioni ſuffectus eſſet, S. Alexander, qui adhuc in carcere jacebat, hanc de ejus electione gratulatoriam ſcripſit epiſtolam, eamque per S. Clementem miſit, in qua ejuſdem laudes non neglexit, illum beatum, & ſolidæ perſpectæque virtutis Presbyterum appellans, addens ſe haud plura apud eos dicere, qui ejus merita probe noſſent, luculentius etiam perſpecturi, ubi ipſis ejus præſentia frui licuiſſet. Ac de Clemente quidem ex hiſtoria nihil præterea. Severi, & Caracallæ temporibus floruit; ſui

Obitus annus incertus.

obitus annus latet, non ultra tamen annum 217. protrahendus, quo Caracalla interfectus eſt; & revera S. Alexander in quadam

ſua

ſua ad Origenem epiſtola de S. Clemente loquitur, ceu de viro jam ab aliquibus annis fato functo.

S. Clementis Scripta.

Euſebius, & S. Hieronymus catalogum Operum S. Clementis contexunt: ea plurima erant, ſed quæ adhuc ſuperſunt, ſunt Pædagogi libri tres, Stromateon libri octo, *tapetes* ſcilicet, cui quidem nomini cauſam præbet ea, qua in ipſis uſus eſt, varietas rerum, atque permixtio; Pſeudognoſticos oppugnat, veros illis opponens Gnoſticos, quales eſſe veros Chriſtianos dicit. Superſunt etiam exhortatio ad Gentiles, & Tractatus, cui titulus: *Quiſnam ille dives, qui ſalvetur*, ſeu *Homilia de divitum ſalute*. Hæc opera habentur in Bibliotheca Patrum. In Euſebio lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 1. 9. & 15. nec non lib. 6. cap. 4. plura Hypotypoſeon, ſeu Inſtitutionum fragmenta ſervata leguntur.

Verſiones, & Editiones.

Hervetus Opera S. Clementis in latinum ſermonem tranſtulit, & typis Florentinis edidit anno 1551. iterumque recuſa Pariſiis anno 1566. Heinſius Editionem græco-latinam dedit Pariſienſibus typis impreſſam anno 1611. (1).

Gallico ſermone leguntur Pædagogus, & Tractatus de divitum ſalute pluribus opuſculis Patrum Græcorum inſerti, & Pariſiis impreſſi apud Pralardum anno 1696. in 8. Couſinus Præſes Magiſtratus Numiſmatum in Gallicum ſermonem vertit S. Clementis exhortationem ad Gentiles typis editam Pariſiis anno 1684. (2).

Inter antiquorum ſcripta nullum reperire eſt, ubi tanta habeatur eruditionis copia, ut in operibus S. Clementis. Referta ſunt teſtimoniis Scriptorum tum ſacræ, tum prophanæ eruditionis; in eis quidquid arcanum habetur in ſacris litteris, mirifice explicat, & omnia humanarum ſcientiarum illuſtriora dogmata refert, & ſcopo ſuo adaptat. Habitus propterea in Eccleſia ceu peritiſſimus Philoſophiæ Chriſtianæ Magiſter, omnium Eccleſiaſticorum Scriptorum doctiſſimus, & vir plane mirabilis, qui omnes & copia, & ſublimitate cognitionum ſuperavit, & vicit. Pædagogi liber abſolutiſſimum exhibet compendium Chriſtianæ Moralis. Nihil autem ſublimius, nihil elegantius ſua ad Gentes cohortatione. Horum operum dictio ipſa, teſte Photio (a), *floridior ad temperatam quandam gravitatem non ſine jucunditate adſurgit, & varia illa, quæ in illis eſt, cognitio, nihil habet minus conveniens*. Stromateon autem libri minori arte elaborati ſunt, & non videntur niſi veluti memoriæ, & monumenta quædam ſparſim, & ſine ordine congeſta, queis non ſer-

(1) Omiſſam miramur ab Auctore noſtro celeberrimam Editionem a Potero in Anglia curatam, & typis impreſſam Oxonii 1715. ſumptibus Georgii Mortlock Bibliopolæ Londinenſis duobus Tomis in folio. Iterum recuſa Venetiis typis Antonii Zattæ anno 1757. duobus Tomis in folio.

(2) Italico Idiomate ex operibus S. Clementis non aliud legitur, niſi libellus, cui titulus: Effectus miri eleemoſynæ ex operibus S. Clementis deſumpti, & ex Græco in Italicum ſermonem verſi a Julio Folco; editus anno 1558. Romæ.

(a) *Phot. Cod.* 109. 150. 111.

S. CLEMENS. ſermonis elegantiam, ordinemque quæſivit, ſed potius veritates noſtræ Religionis occultandas indignis curavit (1).

AR-

(1) Silet etiam Auctor noſter errores S. Clementi a Photio tributos, qui Codice 109. ita eum accuſat: „ Hypotyposeos quidem diſceptationem „ continet locorum aliquot veteris, novique Teſtamenti, quæ etiam ſummatim explicat & interpretatur. Etſi autem recte in quibuſdam ſentire „ viſus eſt, in aliis tamen impie omnino fabuloſeque diſſerit. Aſſerit „ enim, materiam eſſe æternam, & ideas veluti certis decretis induci „ fingit: Filium quoque in rebus creatis numerat. Ad hæc animarum mi„ grationes, multoſque ante Adamum Mundos prodigioſe comminiſcitur. „ Evam præterea ex Adamo, non ut ſacri libri tradunt, ſed obſcœne, at„ que impie educit. Angelos quoque cum fœminis congreſſos, liberos in„ de ſuſtuliſſe ſomniat. Quin & Verbum carnem non eſſe factum, ſed ita „ viſum dumtaxat. Duo ad hæc Patris Verba finxiſſe deprehenditur, quo„ rum minus mortalibus ſit viſum..... Quin etiam & alia id genus ſex„ centa blaſphema voce nugatur ſeu ipſe, ſive quis alius ejus perſonam „ indutus ". Ita quidem Photius, de quo tamen ſuſpicari merito poſſumus, ab eo lectos Hypotyposeon non fuiſſe genuinos S. Clementis libros, & quidem fraus & impoſtura & ipſi Photio ſuboluit, quæ magis inde apparet, quia S. Clemens in genuino ſuo Opere brevem exhibebat omnium librorum tum Veteris, tum novi Teſtamenti interpretationem, ut teſtatur Euſebius (*a*): at libri a Photio lecti ad ſolam Geneſim, Exodum, Eccleſiaſticum, & Epiſtolas Apoſtolorum coarctabantur. Præterea in libris, qui extant, videlicet exhortatione ad Græcos, in tribus Pædagogi, & in octo Stromateon, non ſolum recenſitorum a Photio monſtroſorum dogmatum nullum apparet veſtigium, verum ex oppoſito doctrinæ traduntur toto cælo diſſitæ ac diverſæ de Creatione unius Mundi a ſolo Deo facti, de Verbi Sapientiæ Patris vera incarnatione, & apparitione hominibus facta in carne viſibili, nec ullus ex antiquioribus Patribus luculentius, & clarius Divinitatem, & æqualitatem trium divinarum Perſonarum expoſuit, & prædicavit. His addendæ laudes, & encomia, queis illum ornarunt antiqui Patres; illum ſiquidem (*b*) S. Hieronymus *omnium* Eccleſiaſticorum Scriptorum *eruditiſſimum* compellavit, (*c*) Theodoretus *virum ſanctum, qui abundantia doctrinæ omnibus antecelluit*, (*d*) S. Cyrillus Alex. dicit illum *Sanctos Apoſtolos ubique ſequi*, & appellat *virum in primis doctum & eruditum, qui Græcarum litterarum altitudinem, quantum fortiter ante ipſum pauci, perſcrutatus eſt*. S. Maximus Martyr *Philoſophum Philoſophorum* appellat, cujus volumina *inſignia* dicit. (*e*) S. Hieronymus plena eruditionis, & eloquentiæ tam de Scripturis Divinis, quam de ſæculari litteratura inſtrumenta, eique hocce contexit elogium: *Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, meo judicio omnium eruditiſſimus, octo ſcripſit Stromateon libros, & totidem Hypotyposeon, & alium contra gentes. Pædagogi quoque tria volumina. Quid in illis libris indoctum? Immo quid non e media philoſophia eſt?* Indigna profecto ea laude fuiſſent Opera S. Clementis, & maxime vituperandus Divus Hieronymus; qui ea tam egregie celebravit, ſi tot tantiſque blaſphemiis, quas Photius in ſua Bibliotheca recenſet, attaminata fuiſſent, & conſpurcata. Vide Hiſt. Eccleſ. Cardinal. Orſi lib. 5.

Quod ad ſanctitatem Clementis Alexandrini ſpectat, legenda omnino Bulla Sapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. data anno 1748. & quæ Martyrologio noviſſimæ editionis præfigitur.

(a) *Lib. 6. Hiſtor. cap. 14.* (b) *Epiſt. 84. ad Magnum.*
(c) *Hær. Fab. lib. 1. cap. 6.* (d) *Contr. Jul. lib. 6. & 7.*
(e) *De Script. Eccl. & epiſt. 84. ad Magn.*

ARTICULUS SECUNDUS.

S. Clemens.

Analyſis Operum S. Clementis.

Analyſis exhortationis ad Gentes.

SCOPUS, quem ſibi præfigit S. Clemens in exhortatione ad Græcos, eo collineat, ut ipſis oſtendat deſerendam falſorum Numinum ſuperſtitionem, verique Dei fidem eſſe amplectendam & Religionem. (*a*) Exorditur itaque ab irriſione Fabularum Amphionis, Arionis, Orphei, Bacchi, quas tamen & carminibus celebrabant, & in ſcenis publico ſpectaculo, ceu Religionis partem, Gentiles exhibebant. (*b*) Poſtquam vero deridenda propinavit geſta, fabulas, & monſtroſa portenta Deorum, ac Heroum a Poetis Gentilium decantata, illos hortatur, (*c*) *ut veritatem, cum ſapientia late ſplendentem, e Cælo deductam ad homines in tenebris volutatos clariſſima ſua luce illuſtrandos*, intueri non recuſent, & amplecti, atque *ita ejus opitulatrice dextera ex erroribus in ſalutem vindicentur*.

Primum, quod Chriſtianæ Religioni objiciebant Gentiles, ejus novitas erat; at illos refellit S. Clemens oſtendens, nihil eſſe veritate antiquius, (*d*) & Chriſtianos Phrygiis vetuſtiſſimos, & Arcades, quos Poetæ ante Lunam fuiſſe fabulati ſunt, præceſſiſſe, quippe qui *ante Mundi* conſtitutionem fuerunt ratione (*e*) *futuræ ſuæ productionis in ipſo Deo, cujus divini Verbi ſive rationis, creaturæ rationales ſunt, & per eum primi eſſe dicuntur, quoniam in principio erat Verbum, quod licet nuper apparuerit hominibus, non nunc tamen primum erroris noſtri miſertus eſt, ſed olim a principio Mundi*; ipſum ſiquidem eſt, quod per Moyſen & Prophetas primum locutum, ut nos eriperet, ſemitamque veritatis edoceret, *tandem apparens perituros ex faucibus* exitii liberavit.

Protrita hoc pacto priori Gentilium objectione, ad idololatriæ cultus vanitatem oſtendendam regreditur, oſtenditque, jactata Deorum oracula (*f*) nonniſi præſtigia fuiſſe, & monſtra, & jamdiu ad ſilentium coacta conticuiſſe, & infamem illam Deorum turbam, Bacchum, Cererem, Jovem, ceteroſque, nonniſi ſannis ludibrioque dignandam. Quod ut evincat, Numinum fabuloſas recenſet origines, quæ adeo effræni Poetarum licentia, & ſtupida populorum ignorantia aucta ſunt, & multiplicata, ut *Contumeliæ & Impudentiæ Altaria Athenis conſtituta cernerentur*. (*g*) Dein vero graphice vividis pictam coloribus ob oculos ponit, quam in terris geſſerunt eorum Numina, vitam, ſcelera enarrat & flagitia, queis oſtendit, quod nihil cultu & veneratione indignius deligi poterat. Ex eorum Templis, & Imaginibus anſam arripit eorum errores dete-

(a) *Pag.* 1. (b) *Pag.* 2. (c) *Pag.* 3.
(d) *Pag.* 6. (e) *Pag.* 7.
(f) *Pag.* 10. (g) *Pag.* 22.

S. CLEMENS.

gendi; ſiquidem oſtendit, (*a*) *aliud nihil fuiſſe, quam ſepulchra, quibus deinceps Templorum appellationem indidere*; unde ſubdit: *Nunc ſaltem dediſcite vel hac tumulorum cultus indignitate revocati*. (*b*) Statuas vero, & imagines nonniſi vaniſſima eſſe hominum artificia, quæ ſenſu carent, ab ipſis Gentibus quandoque ſannis excepta, & ludibrio habita. Præterea Paganis obiicit (*c*) varias, diſſitaſque Philoſophorum ſuorum de Divinitate, ejuſque cultu ſententias; nonnulli ſiquidem Idolorum vanitate perſpecta nec ea abjicere, nec veritatem amplecti auſi ſunt; alii vero communi ſe abripi errore ſivere, dum alii indignum cernentes ſtatuas ligneas, lapideaſque, ceu Numina colere, Terram, Aquam, Ignem, & omnium rerum principia adorare maluerunt. (*d*) Fatetur tamen non defuiſſe Philoſophos, qui unum Deum agnoverunt immortalem rerum omnium Conditorem, inter quos enumerat Platonem, Ariſtonem, Cleanthem, Pythagoram, Heſiodum, Euripidem, & Orpheum: at illos veram hanc doctrinam ab Hebræis hauſiſſe arbitratur; quod confirmat teſtimoniis Moyſis, Davidis, Salomonis, Iſaiæ, Hieremiæ, Amos, & D. Pauli, (*e*) quos omnes Spiritu Sancto afflatos ſcripſiſſe dicit. Objicit dein ſibi Paganorum nomine, vetuſtiſſimum morem, & antiquiſſimas falſa illa Numina colendi conſuetudines a majoribus traditas evertere, minime eſſe rationi conſentaneum. At reponit, & mores, & conſuetudines nedum honeſte, ſed & neceſſario eſſe non ſemel mutandas, præſertim ſi pernicioſæ fiant, ſi exitiales, ut ſunt Idolorum cultus, & veneratio, quæ ad æterna rapiunt ſupplicia. (*f*) Claudit denique exhortationem ſuam Clemens manſuete quidem, ſed fortiter Gentiles hortando, ut *pœnitentiam agentes tranſire vellent ab ignoratione ad ſcientiam, ab imprudentia ad prudentiam, ab intemperantia ad temperantiam, ab injuſtitia ad juſtitiam, ab impietate ad Deum*, (*g*) *ut rationabilem* (Baptiſmi) *aquam accipiant, laventur polluti, & veris guttis a ſua ſe conſuetudine purgent*, ut in Deum credant, ejus amplectantur doctrinam, præceptis obtemperent, conſilia ſequantur. Exemplum illis Ninivitarum proponit, qui pœnitentia urbis ſuæ imminentem ſubverſionem amovere. (*h*) Chriſtianæ Religionis veritatem oſtendit ex celeritate, qua Evangelium extremos Orbis terminos occupavit, ex doctrinarum Chriſti excellentia & ſublimitate, ex miraculis ab ipſo patratis, ex ejus paſſione, & denique ex æterna illa & immarceſcibili corona, quam fidelibus ſuis ſe daturum pollicitus eſt.

Pædagogi libri ſcripti circa annum 194.

Poſtquam S. Clemens, exhortatione, quam mox breviavimus, homines ad veri Dei cognitionem adduxit, aliud elucubravit Opus, quo eis vivendi normam, & morum regulas præſtitueret; ideo huic ſecun-

(a) *Pag.* 39. (b) *Pag.* 40.
(c) *Pag.* 55. *& ſeq.* (d) *Pag.* 59.
(e) *Pag.* 66. *& ſeq.* (f) *Pag.* 75.
(g) *Pag.* 79. (h) *Pag.* 89. *& ſeq.*

ſecundo Operi Pædagogi nomen indidit, ſeu Præceptoris, & Magiſtri. Tres complectitur libros in plura capita diviſos. S. Clemens.

Priori itaque libro in initio, quid ſibi velit Pædagogi nomen, exponit, ſcribens: „ (*a*) Pædagogus in actione, non in tradenda diſci- Analyſis libri 1.
„ plinæ ratione verſatur, ejuſque finis eſt animum meliorem reddere,
„ & in vita honeſta, & prudenti inſtituere “. Pædagogum hunc in ſuo libro propoſitum (*b*) Jeſum Chriſtum eſſe dicit, ejus diſcipuli ſunt, qui Baptiſmate tincti novitatem vitæ amplectuntur. Divinus hic Pædagogus, ut Deus, præterita peccata condonat, ut homo, præceptis, monitiſque ſuis a futuris peccatis avertit, neminem a ſua doctrina excludit; (*c*) eſt enim tam viri, quam mulieris pædagogus: utriuſque enim unus Deus eſt, una Eccleſia, una moderatio, ac temperantia, una ſpes, obedientia, caritas, omnia ſimilia. Diſcipulos ſuos ad felicem revocat infantiam ſitam in fidei puritate, cordis ſimplicitate, immunitate a peccato, innocentia vitæ, morum candore, ac temporalium bonorum contemptu. (*d*) Licet in Neophytis Eccleſia ſublimium exempla virtutum exquireret, Catholicis tamen objiciebatur, ideo Neophytos puros & infantes appellari, quod puerilis, & contemnenda foret, quæ illi tradebatur, doctrina. Hoc pacto Chriſtianos accuſabant Gnoſtici quidam, qui ſcientia inflati, & ſuperbia tumidi, ſe perfectos dicebant, quaſi Apoſtolos ſanctitate ſuperarent. Hiſce oſtendit S. Clemens, Infantis nomen juxta Eccleſiæ ſenſum & mentem nil contemnendum præſeferre; Prophetæ ſiquidem Chriſtum Jeſum hoc nomine donarunt, & S. Paulus licet ſe, dum ſub lege viveret, parvulum appellarit & infantem, tamen ita etiam compellat illos, qui a peccatorum captivitate ſoluti, hæredes Dei per Jeſum Chriſtum facti ſunt; & denique S. Joannes illos, ad quos ſcribit, infantes, & filiolos vocat. Ex hoc diverticulo ad ſemitam regrediens S. Clemens, iterum probat, (*e*) Pædagogum noſtrum eſſe Jeſum Chriſtum, qui nos pueros ducit ad ſalutem, qui & Iſraelitarum Dux fuit, de quo dictum fuerat Moyſi: *Præcedet vos Angelus meus*. At veterem populum in veteri Teſtamento cum metu per legem erudiebat; ſed novo & recenti populo novum ac recens Teſtamentum dedit, & metum in dilectionem convertit. (*f*) At ſi Deus vos diligit quia bonus (objiciebant aliqui), cur iraſcitur, minatur, punit? Reponit autem S. Clemens (*g*), non ea ratione Deum ſive iraſci, ſive minari, ſive punire, quaſi odio nos habeat, quos cum perdere poſſet, ut ſalvaret, factus eſt homo; ſed ſapiens hic Pædagogus nihil intentatum relinquit, quo nos in viam ſalutis revocet, ſed ſi „ (*h*) minatur, aperte oſtendit, ſe
„ nihil mali velle facere, ſed incuſſo timore impetum ad peccata

E 2 „ re-

(a) *Cap.* 1. (b) *Cap.* 2.
(c) *Cap.* 3. (d) *Cap.* 6.
(e) *Cap.* 7. (f) *Cap.* 8.
(g) *Cap.* 9. (h) *Cap.* 11. & 12.

S. Clemens. „ reprimit, & ſuam in homines benevolentiam oſtendit, adhuc dif-
„ ferens, & oſtendens, qualia ſint paſſuri, ſi peccatores perma-
„ neant, non autem ſicut ſerpens ſtatim infixus mordet, quia bo-
„ nus eſt, longe ante minas præmittit, prius quam ad flagella de-
„ veniat. Deus autem non ex ira irrogat ſupplicium, ſed quod
„ juſtum eſt conſiderat, nempe quod propter nos non expediat præ-
„ termitti, quod juſtum eſt. Unuſquiſque autem noſtrum ſuppli-
„ cium eligit, cum ſponte peccat“. Hæc autem omnia innumeris tum veteris, tum novi Teſtamenti documentis corroborat; immo addit, poſſe etiam Philoſophorum auctoritate confirmari, qui docent, homines virtute præditos laude dignandos, ſceleſtos autem vituperatione plectendos. (*a*) At ne ea, quæ cæteroqui certiſſima ſunt, & evidentiſſima, inutiliter prophanis comprobet auctoritatibus, huic primo libro coronidem imponit, oſtendendo a Chriſtianis vitam in fide, & divinorum mandatorum caſta cuſtodia eſſe tranſigendam; & pietati, ac Religioni æternam requiem in poſſeſſione, & fruitione Dei ſitam reſervari.

Analyſis ſecundi libri Pædagogi. In altero libro regulas peculiares ad mores in praxi dirigendos tradit. Docet itaque S. Clemens, ea ſeligenda alimenta corporis, ex quibus (*b*) *incrementum, ſanitas, & juſtæ vires obveniunt, non quæ in noxias voluptates dilabuntur, deligendi cibi ſimplices, non quos corruptus, & conſtupratus guſtus miſera, & infauſta quadam condiendi arte, & inani in faciendis bellariis artificio excogitavit. Antiphanes enim Medicus vel unam hanc dixit eſſe morborum cauſam, ciborum varietatem.* Illos vituperat, qui tranſmarinas epulas requirunt, & menſas piſcibus, leguminibus, avibus a diſſitis regionibus magnis ſumptibus evectis onerant, quin & ipſum *facilem cibum, nempe panem, effœminant id, quod in frumento maxime nutrit, excribrantes, adeo ut alimentum maxime neceſſarium fiat probrum voluptatis. Aſſa carne, vel elixa, ſi opus fuerit, conceditur Chriſtianis uti, & ii cibi ſunt aptiſſimi, quibus ſtatim uti licet abſque igne, quoniam ſunt paratiores,* cujuſmodi ſunt *bulbi, olivæ, quædam olera, caſeus, fructus, & quæcunque abſque jure coquuntur, tamen nec bellariorum quidem, nempe favorum expertes eſſe conceditur iis, qui ſecundum rationem, ſeu Verbum cœnant.* (*c*) Semel tantum in die veſpere comedendum, (*d*) & bis ad ſummum, videlicet præter cœnam, jentaculum *pane ſolo guſtato* abſque potu. Ab idolothytis præcipit abſtinendum, *non quod ea pertimeſcemus (non eſt enim in eis aliqua potentia) ſed quod propter noſtram conſcientiam, quæ ſancta eſt, & propter dæmonum odium, quibus illa ſunt dedicata, averſemur, & propter eorum, qui multa procliviter, & lubrice ſuſpicantur, imbecillitatem*; & ſubdit Apoſtoli monitum: ſi quis nos invitat infidelium, *quidquid apponitur, licebit comedere nihil interrogantes propter conſcientiam, ſimiliter & ea,*

(a) *Cap.* 13. (b) *Cap.* 1.
(c) *Cap.* 2. (d) *Cap.* 1.

ea, *quæ ſunt in macello*, *citra ullum ſcrupulum*, *ullamque curioſam indagationem emere*. Reprehendit Chriſtianos, qui prophano abuſu ſacras agapes in convivia vertebant & epulas, eoſque falli dicit, ut *qui potu*, *deliciis*, *& fumo illud nomen probro afficientes*, *Dei promiſſum prandiolis ſe poſſe emere expectaverint*. S. Clemens.

Quoad potum ex verbis Apoſtoli ad Timoth. *utere modico vino propter ſtomachum*, *& frequentes tuas infirmitates*, (*a*) deducit, *naturalem*, *& ſobrium ſitientibus potum neceſſarium*, *aquam eſſe*. Vini tamen uſum licitum prædicat, & late probat adverſus Encratitas, quia Chriſtus in noviſſima cœna vino benedixit, & alibi ſatis aperte ſe quoque vinum guſtare indicat: modice adhibendum præſcribit, & ſolum *veſpere tempore cœnæ*, *quando ſobriis*, *ac ſeriis lectionibus non amplius operam damus*; pueros & puellas ab eo abſtinere præcipit, *non enim ferventi ætate*, *quod eſt omnium humidorum calidiſſimum*, *vinum infundere convenit*: *iis autem*, *qui jam ſunt provectioris ætatis*, Hilarius *potu uti permittendum* cenſet, ut *frigidam ætatem*, *quæ tempore quodammodo emarcuit*, *vitis medicamento citra noxam ſuſcitent*. Ebrietatem definit S. Clemens *immodicum vini uſum*, cujus effectus graphice, & nativis coloribus pingit, ut illius faſtidium inducat, & horrorem. Prohibet etiam (*b*) *argenteorum*, *aureorum*, *gemmeorumque vaſorum ſupellectilem ceu irritam*, *& inutilem*, utpote *raram ad acquirendum*, *difficilem ad cuſtodiendum*, *& non aptam ad utendum*. Harum etiam rerum *modus eſt uſus*, *non ſumptus magnificentia*. *Quid enim*, ſubdit, *dic quæſo*, *qui in menſa ponitur gladiolus*, *ſi clavos non habuerit argenteos*, *vel non fuerit factus ex ebore capulus*, *non ſcindit? . . . . neque vero lumen lucerna miniſtrabit*, *quod ſit figuli opus*, *non aurificis? . . . . Chriſtus a Samaritana potum petiit*, *quæ aquam vaſe fictili hauriebat e puteo*, *aurum regale non requirens*, *ſitim autem facile docens reſtinguere*. *Scopum enim conſtituebat uſum*, *non inutilem magnificentiam*.

(*c*) A convivio rationali, & ſobrio procul amandandæ prophanæ cantiones, ac tibiarum, aliorumque inſtrumentorum concentus, & ſoni; ſpirituale tamen canticum in gratiarum Deo actionem, nec non modeſtum lyræ, vel citharæ ſonum in chriſtianis conviviis haud reprehendendum pronunciat. (*d*) Immodeſtum, & inconcinnum riſum, & nimium præſertim, compeſcit, urbanum tamen, & modeſtum concedit, dicens: *Riſus*, *ſi quomodo oporteat*, *proferatur*, *præſefert decorem & honeſtatem*; *ſin aliter prodeat*, *indicat intemperantiam*. *Scurras vero*, *& qui riſum movent*, *a chriſtiana republica exterminandos* indicit; non vult tamen chriſtianos *triſtes eſſe*, *ſed graves*, (*e*) & aliquando ad *exhilarandum urbane aliquid*, *& lepide dicere non prohibet*. *A turpiloquio* chriſtia-

(a) *Cap.* 2. (b) *Cap.* 3. (c) *Cap.* 4.
(d) *Cap.* 5. (e) *Cap.* 6.

S. Clemens.

ſtianos *omnino abſtinere oportet*, *& eis*, *qui illo utuntur*, *os obſtruere & aſpectu ſeveriore*, *& vultus averſione*, *& ea*, *quæ vocatur*, *ſubſannatione*, *& ſæpe etiam aſperiori oratione*. *Ineptos etiam*, *ac futiles ſermones vitandos monet*, quia ex Scriptura habetur: (*a*) *Ex multiloquio non effugies peccatum*.

Sequenti capite (*b*) plura congerit præcepta, & monita humanitatis, & urbanitatis in convictu, & ſocietate cuſtodienda, quænam ſit modeſtia in conviviis ſervanda oſtendit, contumelias, & proximi irriſiones fugjendas, ſtudioſe a contubernio, & in ſocietatibus ab illis cavendum verbis, in quibus caſtitas, & pudicitia periclitatur, clamores quoque, contentiones, & vociferationes in colloquiis comprimendas monet; *ſed prudentis*, dicit, *& modeſti eſt in voce moderatio*, *qui a magnitudine ſimul*, *& prolixitate*, *celeritateque*, *& multitudine orationem temperabit*. (*c*) Unguentorum, & odorum uſum (niſi forte ad munditiam) periculoſum appellat: *ad libidines enim*, *& voluptates impellit*; ſimiliter *roſarum* baccis, vel violis, vel liliis, vel aliis hujuſmodi floribus laſcivientem comam tegere non convenire docet. Fatetur mulierem *unguenti alabaſtrum ad ſanctam cœnam* attuliſſe, & pedes Domini unxiſſe, *ſed mulier* (ſubdit) *quidem*, *quæ Verbi nondum fuerat particeps* (*erat enim adhuc peccatrix*) *eo*, *quod apud ſe pulcherrimum exiſtimabat*, *nempe unguento*, *honoravit Dominum*, & ſuo unguento odorifero doctrinam divinam, quæ cum inſigni gloria orbem terræ pervadit, præſignificavit. Addit, & Chriſtum Pontificem magnum ſuavis odoris ſuffitum Deo offerre; ſed hunc ſuffitum gratam, & acceptam caritatem ſignare dicit. Olei autem ſimplicis unctionem concedit, quod *proſit hominibus ad ſuperficiem cutis irrigandam*, *nervoſque relaxandos*, *& ad corporis graviorem reprimendum odorem*, Quod *loco medicamenti curationis gratia*, *& nonnunquam etiam moderatæ recreationis cauſa non ſit rejicienda*, *quæ a floribus ſentitur oblectatio*, & quæ ex unguentis, & ſuffitibus accipitur utilitas, oſtendit.

Regulas tranſigendæ noctis hoc pacto exhibet: (*d*) „ Poſtquam, „ finito convivio, Deo benedixerimus, quod ea participavimus, quæ „ ſuppeditaverit, & ut eum diem feliciter tranſmitteremus, conceſ„ ſerit, ad ſomnum convolare poſſumus: ſed... pallia, veſteſque ſu„ perne molles, ac delicatas, & cubilia ipſo ſomno molliora va„ lere jubeamus, contenti cubili ſimplici, & frugali, quod habeat „ id, quod nos juvet, moderatum & conveniens, ſi æſtus ſit, „ quod protegat, ſi ſit frigus, quod foveat". Parce indulgendum ſomno, „ ut majori parte temporis per vigiliam ſimus vitæ parti„ cipes. Somnus enim non ſecus ac publicanus dimidium vitæ tem„ pus nobiſcum dividit... Noctu autem (ſequitur) expergiſcendum „ eſt, præcipue quando dies deſunt; & viris quidem aut danda eſt „ ope-

(a) *Proverb.* 10. *c.* 9. (b) *Cap.* 7.
(c) *Cap.* 8. (d) *Cap.* 9.

„ opera litteris, vel ars ſua inchoanda ; fœminas autem oportet „ lanificium aggredi.... Longe autem abeſt, ut permittatur inter- S.Clemens.
„ diu dormire, cum maximam noctis partem vigiliis impertiamur.
„ Tædia autem, & dormitationes, pandiculationes, & oſcitatio-
„ nes ſunt inſtabilia animæ faſtidia. Poſtremo autem hoc ſciendum
„ eſt, non eſſe animæ id, quod ſomno indiget; ipſa enim ſemper
„ movetur, ſed corpus, quod quieti traditur, remittitur, dum in-
„ terea anima non amplius corporaliter operatur, ſed per ſe ipſa
„ operatur, & cogitat, quo fit, ut quæ ſunt vera ſomnia, recte
„ reputanti ſint ſobriæ animæ cogitationes ".

Dein ſequenti capite de pudicitia, & caſtitate accurate pertractat. Unicum dicit matrimonii (*a*) „ ſcopum, & inſtitutum liberorum ſuſceptionem; finem autem, ut boni ſint liberi. Sola „ enim voluptas, ſi quis ea etiam utatur in conjugio, eſt præter „ leges, & injuſta, & a ratione aliena ". Sicut nec ab uſu matrimonii abſtinendum timore, ne filiis gravemur. Ad Matrimonium ſpectanda temporis opportunitas; ſenectus enim, & puerilis ætas inepta eſt. „ His enim natura nondum conceſſit, illos autem non „ vult amplius uxores ducere ", Quibus autem matrimonii uſus conceditur, præcipit, ut Deum præ oculis habeant, & lumen illud attendant, quod denſiores tenebras diradiat. Modeſte itaque ſe gerant, ut ſua corpora immaculata cuſtodiant, quæ Chriſti ſunt membra, ab aſpectibus, tactibuſque impudicis omnino abhorrentes. Digreditur poſtea ad veſtes, quas ſimplices eſſe, non ſumptuoſas, nec ſinuoſas multoque colore tinctas præſcribit; non enim alia de cauſa dicit „ hominem opus habere veſtimentis, quam ut tegatur corpus „ ad maxima frigora, & vehementes æſtus propulſandos, ne nos „ lædat ambientis aeris immoderatio. Quod ſi (ſubdit) hic eſt „ veſtis ſcopus, vide ne non alia quidem viris, alia fœminis veſtis „ tribuenda ſit,... cum uſus itaque ſit communis, conſtructionem „ ſimilem comprobamus ". Mulieribus propter imbecillitatem, veſtibus paulo mollioribus uti concedendum putat, non tamen mollis, & delicata ſit veſtis, ut quæ nudam figuram non poſſit occultare; ita enim indutas jubet eſſe mulieres, ut nullam ſui corporis partem detegant, nec manus, nec pedes, quos propterea calceis contectos præſcribit: „ (*b*) ſandalia vero turpia non ſint, nec aureis „ ornamentis, & argenteis clavibus micantia. Viris autem pulchre „ convenit nullos habere calceos, præter quam ſi militent, vel iti„ nera aggrediantur: (*c*) Gemmas fuſcas, & virides, & quæ pe„ regrini maris æſtu expelluntur, & quæ ex terra deteruntur, ad„ mirari, & ſtupere " puerile dicit, earum uſum ut ſupervacaneum rejicit, quemadmodum & fucos, & capillorum cincinnos & picturam. Mundum muliebrem fœminarum ſalſe deridet, & fœminas auri ornamentis inhiantes ſevere corripit, hortaturque hoc modo: „ Sit in veſtrarum manuum carpis ſanctus ornatus, nempe facilis

E 4 „ ad

(a) *Cap.* 10. (b) *Cap.* 11. (c) *Cap.* 12.

S. CLEMENS. „ ad largiendum communicatio, & familiæ adminiſtrandæ opera. „ In pedibus appareat impigra alacritas ad benefaciendum, & in- „ greſſus ad juſtitiam. Torques autem, & collaria ſunt pudor, „ & modeſtia: talia fundit Deus monilia. Eis autem ne perforen- „ tur aures præter naturam, ut aureæ ab eis inaures pendeant; „ neque enim fas eſt vim inferre naturæ præter id, quod voluit. „ Nec alius fuerit melior aurium ornatus deſcendens per meatus, „ qui ſunt ſecundum naturam, quam vera catecheſis, hoc eſt, quæ „ per auditum ſuſcipitur inſtitutio “.

Analyſis libri tertii Pædagogi. In tertio libro, in quo vera ſit collocanda pulchritudo, inquirit, & non aliam eſſe poſſe dicit præter interiorem animi, quam bifariam partitur; (*a*) aliam quidem in ratiocinandi facultate, qua pollet homo, conſtituit, alteram vero in Caritate collocat. In animæ itaque pulchritudine procuranda omnis eſt adhibendus conatus, eamque virtutum monilibus ornandam dicit: indignum chriſtiana fœmina cenſet, multoque magis chriſtiano, in corpore ornando ſummam artem adhibere: mulierum ſtudium acriter reprehendit, quæ (*b*) „ in criſpandis crinibus exercentur, & in genis ungendis, oculiſ- „ que pingendis, & pilis tingendis verſantur “, dum interim ſervandæ, adminiſtrandæque familiæ curam gerunt exiguam; atque ut eas a criminoſo hocce ſtudio avocet, malorum Angelorum infortunium, ac perditionem ob oculos ponit; qui „ Dei (inquit) reliquerunt „ pulchritudinem propter pulchritudinem, quæ flacceſcit; atque „ adeo e cælis in terram ceciderunt “. (*c*) Deinde ad viros digrediens in illos vehementer invehitur, qui ad mollitiem declinantes plane effœminantur, illiberali quidem tonſu ac meretricio ſe tondentes, pilis infeſti glabri florem virilem abhorrentes, comas non ſecus ac mulieres ornantes, canos atro colore celantes, & fictitia coma, alieniſque capillis propriorum inopiam ſupplentes, *mortuis pilis cranium induunt*, quod *omnino rejiciendum*, *& maxime impium* dicit. (*d*) Servorum nimiam frequentiam, qualis in aliquibus domibus viſitur, vituperat, (*e*) ac præſertim *Eunuchos Therſitas*, & qui *acuto capite monſtra potius videntur*, *quam homines*: rejiciendos etiam dicit *Melliſæos catellos*, *pſittacos caradios*, *luſcinias*, ſimileſque ſive aves, ſive beſtias, quas fœminæ non exiguo ære emunt, & non levi cura nutriunt, cum oporteret illa pecunia ſenes, orphanos, ac pauperes alere. (*f*) Vituperat etiam in mulieribus lecticarum uſum, in quibus a ſervis circumferri volunt, balneorum tum immodicam magnificentiam, tum frequentiorem uſum, & maxime impudentiam illam, qua & coram hominibus veſtes, dum lavantur, exuere non erubeſcunt.

Oſtendit deinde, (*g*) illos vere divites dicendos, non qui magnas poſſident divitias, ſed qui ſe magnificum præbens ſcienter eis uti-

(a) *Cap.* 1. (b) *Cap.* 2. (c) *Cap.* 3.
(d) *Cap.* 11. (e) *Cap.* 4.
(f) *Cap.* 5. (g) *Cap. 6. & 7.*

utitur, & pauperibus diſtribuens in Cælo recondit theſaurum pecuniæ. Veras autem divitias vocat non gemmas, non argentum, non veſtes pretioſas, ſed virtutes, juſtitiam, rationem, æquitatem, temperantiamque; & concludit, ſolos Chriſtianos poſſe vere divites dici, cum ipſi ſoli veras haſce divitias conſequi valeant, & poſſidere. (*a*) Corporis exercitationes commendat S. Clemens, ceu quæ „ conferunt ad ſanitatem, ſtudiumque ac laudis cupiditatem afferunt, ut non ſolum bonæ corporis habitudinis, ſed etiam animi „ hilaritatis curam gerant “. Quæ autem hominibus congruunt corporalia exercitia, enumerat S. Clemens; nimirum luctam, curſum, deambulationem, pilæ luſum, piſcationem, nec non aquam haurire, ligna ſcindere, & alta voce legere; fœminis autem conveniens dicit in lana, & lino operari, piſtrici adeſſe, ſi opus ſit ad piſtrinum accedere, in coquendo obſonio verſari, veſtes excutere, marito inſervire, & denique, quæ cujuſque familiæ neceſſaria ſunt, miniſtrare: (*b*) Honeſtum, dicit, „ ut viri uxoribus ſuis „ fidem habentes eis domus cuſtodiam permittant, ut quæ eis ad „ id opitulatrices datæ ſunt. Anulum aureum viris indulget, non „ quidem ad ornatum, ſed ut ea obſignet, quæ digna ſunt, quæ „ cuſtodiantur; alii autem ſunt abjiciendi anuli. Non ferendus a„ nulus a viris in articulo, hoc enim eſt muliebre, ſed in parvo „ digito. Sint autem in ipſis ſculpta columba, vel piſcis, vel na„ vis, quæ celeri curſu a vento fertur, vel lyra muſica, non ta„ men idolorum imprimendæ facies, quibus etiam adhærere prohi„ bitum eſt; multo magis improbandus perverſus laſcivorum mos; „ qui ſculptos geſtant nudatos vel amaſios, vel amicos, per quos li„ bido eis perpetuo in mente revocetur. Prohibet teſſerarum lu„ dum, & ex talorum ludo lucri ſtudium, unde oriuntur deſidies, „ otioſa oblectamenta, neglectus rei familiaris. Fugienda ſpectacu„ la, ſtadia, theatra, quæ non inconcinne peſtium cathedram quis vo„ caverit: a jurejurando abſtinere omnes debent, ac præſertim „ negotiatores, & caupones jusjurandum cauſa eorum, quæ ven„ duntur, non ſuſcipiant. In Eccleſia venire oportet virum, & „ mulierem honeſte indutos, ſimplici inceſſu, ſilentium amplecten„ tes, charitatem non fictam poſſidentes, caſtos corpore, caſtos „ corde, ad Deum rogandum aptos.... Hoc amplius habeat mu„ lier; ſemper tecta ſit, niſi domi fuerit... dicunt autem, Æneæ „ uxorem per inſignem honeſtatem cum Troja quidem capere„ tur perterritam ſe detexiſſe, ſed etiam dum ab incendio fuge„ ret, manſiſſe coopertam “. Cum autem tum mos vigeret inter chriſtianos, ut ſe invicem oſculo ſalutarent, S. Clemens fideles hortatur, ne pio ac caſto more abutantur; oſculum enim ſanctum appellavit Apoſtolus, & myſticum eſt. Salutationes denique, quæ in via fiunt & ſtulta libertate plenæ ſunt, ac ab iis, qui volunt per res externas ſe oſtentare, minimam habere gratiam dicit. Poſtre-

S. CLEMENS.

(a) *Cap.* 10. (b) *Cap.* 11.

ſtremum caput teſtimoniis contexitur ex Sacra Scriptura depromptis, S. Clemens. queis officia, & munia Chriſtianæ vitæ juxta varios ſtatus hominum complectitur. Addit, & alia plura in ſacris litteris contineri documenta, & præcepta, quæ ad certas perſonas pertinent, hæc quidem Presbyteris, alia vero Epiſcopis, alia Diaconis, alia autem Viduis, quæ tamen non adducit, ſed ſubdit, *de quibus fuerit aliud dicendi tempus*. Denique librum claudit oratione ad Divinum Logon, cujus gratiæ auxilia depoſcit; & fidem ſuam de Trinitate Divinarum Perſonarum ſic exponit: (*a*) „ Sis tuis propitius, o Pædagoge, pueris. Da nobis, ut placidi cum Sancto „ Spiritu feramur, & ineffabili ſapientia laudantes gratias agamus, „ & gratias agendo laudemus unum filium, & Patrem, Pædagogum, & Magiſtrum Filium una cum Sancto Spiritu, qui unus eſt o- „ mnia, in quo omnia, per quem omnia ſunt unum, cujus mem- „ bra ſumus omnes, cujus ſunt gloria, & ſæcula, qui eſt undique „ bonus, undequaque pulcher, undequaque ſapiens, undequaque „ juſtus, cui gloria nunc, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Stromatum libri. Opus S. Clementis, quod Stromata inſcripſit, ſeu Tapetes, contexitur totum doctrinis Chriſtianæ Philoſophiæ, in quo Auctor de una re ad aliam, nullo ſervato ordine, vel delectu digreditur, & frequenter doctrinam abrumpit aliarum rerum varietate, & permixtione. Unde & ipſe hocce ſuum opus ſeminario ſimile dicit, in quo frugiferæ plantæ inter ſylveſtres verſantur arbores, quibus ad fures decipiendos conteguntur, quin tamen timendum ſit, ne olitores acutum cernentes utrumque plantarum genus dignoſcere valeant; ſic veritatem etiam, ipſe ait, potius tegere celareque, quam exponere, ac in bono lumine collocare, ne indigni eam perciperent, & non agnoſcentes irriderent & aſpernarentur. (*b*) „ Horum „ meorum commentariorum ſcriptura, ſcio, quam ſit imbecilla, ſi „ conferatur cum illo Spiritu gratia pleno, quem ut audiremus, di- „ gni ſumus habiti: ſit autem imago, archetypum in memoriam „ revocans ei, qui thyrſo ictus fuerit.... Unde memoriæ meæ „ imbecillitatem ſublevans expoſitionem certis capitibus conſtan- „ tem, ſalutare memoriæ monumentum mihi comparans, hac ne- „ ceſſario uſus ſum inſtitutione ", Non defuere, qui hanc ſcribendi rationem improbarent; at eam tuetur S. Clemens, nec ſine fructu, cum ipſum poſtea Origenes imitatus ſit in quodam opere, cui ſimiliter Stromateon titulum fecit. Aulus Gellius clarus ſcriptor, qui floruit, regnante Antonino Pio, aliique ante ipſum eo titulo ornaverant eorum miſcellanea Opera, in quibus plura varii generis argumenta explicabant, ordine de induſtria confuſo, & perturbato.

Octo ſunt Stromateon libri, & ab ipſo auctore partitionem hanc inſtitutam pronum eſt colligere, quod vetuſtiſſima ſit. Verum ſatis prudenter creditur octavus liber fragmentum potius alterius operis, quam

(a) *Cap.* 12. *in fin.* (b) *Lib.* 1. *n.* 1.

quam idem ipſe ab Auctore exaratus, quique etiam Photii temporibus deperditus erat.

S. Clemens.

Analyſis libri 1. Stromateon.

Priori Stromateon libro eo tendit S. Clemens, ut Chriſtiano oſtendat, quam ſit Philoſophiæ utile ſtudium, ſaltem eo nomine, ut non ſine ratione, & cauſa Philoſophia rejiciatur. (*a*) Dicit itaque, datam Gentibus Philoſophiam, ſicut Hebræis legem, ut eos præpararet, & viam ſterneret ad Chriſtum. (*b*) Dein ſcientiarum, & artium origines narrat, & Philoſophiæ apud Græcos, cæteroſque populos contexit hiſtoriam, oſtenditque Hebræorum Philoſophiam omnium antiquiſſimam juxta Tatiani methodum, quem citat. Exactiſſimam ſupputat chronologiam, & a Chriſti natali uſque ad Commodi Imperatoris obitum annos numerat 194. & menſem, ideſt juxta æram vulgarem annos 192. cum Alexandrini Chriſti nativitatem biennio ſerius collocarent. Varias quoque recenſet de die nativitatis, & Paſſionis Chriſti opiniones.

Analyſis ſecundi libri.

Altero libro dicit: (*c*) „ Fides, quam Græci calumniantur, „ exiſtimantes inanem, & barbaram, eſt voluntaria anticipa„ tio; pietatis aſſenſio “. (*d*) Dein adverſus Baſilidis, & Valentini Sectatores propugnat, fidem nequaquam hominibus eſſe naturalem, ſed voluntariæ, ac liberæ electionis: (*e*) Hinc infidelem definit falſitatis amatorem; & rurſum pœnitentiam non ſemper quidem præcedere, ſed & aliquando fidem ſubſequi; duplicem ſiquidem pœnitentiam diſtinguit, priorem illorum, (*f*) *qui fuerunt in gentili, & prima vita, quæ proinde fuit in ignorantia*, alteram illorum, *qui in fide in aliquod peccatum inciderunt*. Addit vero: „ Continuæ & ſe viciſſim excipientes propter peccata pœnitentiæ „ nihil differunt ab iis, qui omnino non crediderunt, præter quam „ in eo ſolo, quod ſe peccare ſenſerunt ..... apparet ergo, ſed „ non eſt pœnitentia, ſæpe petere veniam de iis, quæ ſæpe pec„ camus “.

(*g*) Ad diſputationem de Matrimonio progrediens varias recenſet Philoſophorum ſententias, Democriti primum, & Epicuri, qui *Matrimonium repudiabant propter multas, quæ ex ipſo oriuntur, moleſtias:* deinde Stoicorum, qui inter indifferentia Matrimonium collocabant, & Peripateticorum, qui bonum dicebant, qui tamen ſubdit: „ Ut ſemel dicam, illi lingua tenus ſua deducentes dogma„ ta, voluptatibus ſervierunt, alii quidem pellicibus, alii vero „ meretricibus, plurimi autem utentes adoleſcentulis “. Poſtea rationes profert & argumenta, quæ matrimonii probant honeſtatem, deſumpta „ ex compoſitione corporum maſculorum, & fœmina„ rum, ex Creatoris voluntate dicentis: *Creſcite & multiplicami„ ni*, & ex perfectione, quæ eſt ſecundum naturam, ut quis ſuum „ ſucceſſorem in ſuum locum ſubſtituat: perfectus enim eſt, qui „ ex

(a) *Lib.* 1. *n.* 5. (b) *n.* 14. 16. 21.
(c) *n.* 2. (d) *n.* 3. (e) *n.* 22.
(f) *n.* 13. (g) *n.* 23.

S. CLEMENS. „ ex ſe ipſo fecit ſimilem “; denique ex neceſſitate: „ fert enim, inquit, opem quoque Matrimonium iis, qui ætate proceſſerunt, ut „ quod exhibeat uxorem curam gerentem, & alat, qui ex ea ſuſcepti ſunt, liberos, ut in ſenectute parentes ſuos nutriant “.

Analyſis libri tertii. Eamdem verſat tertio libro materiam, hæreticoſque refellit, qui oppoſitis erroribus Matrimonium improbabant. Nicolaitæ ſiquidem, nec non Carpocratis, & Epiphanis filii ejus diſcipuli cenſebant (*a*), *oportere uxores eſſe communes*, ſicut & alia fortunæ bona. (*b*) Dum e contra Marcioniſtæ malam *exiſtimantes eſſe generationem longe abſuerunt, ut communem ipſi ponerent uxorem, nolentes ſiquidem implere Mundum, qui factus eſt a Creatore, volunt abſtinere a nuptiis reſiſtentes ſuo Creatori, unde non ſunt ex deſtinato animi propoſito continentes, ſed propter odium conceptum adverſus eum, qui creavit, nolentes iis uti, quæ ab ipſo creata ſunt*, dum interea tamen etiam inviti, & nolentes *& cibis utuntur creatis, & aerem reſpirant Creatoris*. Tatianus quoque Matrimonium damnabat, quod ab oratione avocaret, & duobus Dominis ſervire cogeret. Julius quoque Caſſianus Valentini diſcipulus idem ſentiebat, & ne liberorum procreationem admitteret, docebat Chriſtum, nonniſi phantaſticum corpus aſſumpſiſſe. Prioris generis hæreticos, dicentes licitum indiſcrete vivere, & evangelica uti libertate, refellebat S. Clemens reſpondendo: (*c*) „ Si quodlibet „ vitæ genus licet eligere, tum eam ſcilicet etiam licet, quæ eſt „ continens, & ſi electus tute poterit quodlibet vitæ genus ſectari, „ manifeſtum eſt, eam, quæ temperanter, & ſecundum virtutem „ agitur, tutiſſimam eſſe “. Addebat: „ Aut cupiditatibus eſt omnino parendum, & ſi hoc ita eſt, facienda ſunt quævis impudiciſſima, & maxime nefaria, eos ſequendo, qui nobis perſuadent: „ aut ſunt aliquæ declinandæ cupiditates, & non eſt amplius vivendum indifferenter, neque eſt impudenter ſerviendum viliſſimis, „ & abjectiſſimis noſtri partibus, ventri, & pudendis, dum cupiditate ducti noſtro blandimur cadaveri. Nutritur enim, & vivificatur cupiditas, dum ei voluptates miniſtrantur, quemadmodum „ rurſus, ſi impediatur, & interturbetur, flacceſcit “. Hinc colligit miſerum eſſe, qui voluptatibus indulget: „ omnis enim (dicit) voluptatis principium eſt cupiditas; cupiditas autem eſt moleſtia, & „ ſollicitudo, quæ propter egeſtatem aliquid appetit “.

Alterum autem genus hæreticorum, (*d*) qui ſub ſpecie continentiæ impie ſe gerebant dicentes non eſſe admittendum Matrimonium, & liberorum procreationem, utpote malam, & glorioſi jactatores ſe Dominum imitari gloriabantur, qui uxorem non duxit, refellit S. Clemens dicens: „ Neſciunt cauſam, cur Dominus „ uxorem non duxerit. Primum quidem, propriam Sponſam habuit Eccleſiam: deinde vero nec homo erat communis, ut opus „ haberet etiam adjutore aliquo ſecundum carnem, neque ei erat „ ne-

(a) *n.* 2. (b) *n.* 3. (c) *n.* 5. (d) *n.* 6.

„ neceſſe procreare filios, qui manet in æternum, & natus eſt
„ ſolus Dei filius “. Illis hæreticis prophetiam applicat Apoſtoli S. CLEMENS.
dicentis: (*a*) *In noviſſimis diebus deficient quidem a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum prohibentium nubere;* & eos refellit etiam exemplis Apoſtolorum Petri, & Philippi, qui & uxores habuerunt, & filios procrearunt. Diſcrimen vero aſſignat inter continentiam Chriſtianorum, & Philoſophorum, dicens: (*b*) „ Humana continentia, quæ eſt ex ſententia Philo-
„ ſophorum Græcorum, profitetur pugnare cum cupiditate, & in
„ factis ei non inſervire; quæ eſt autem ex noſtra ſententia conti-
„ nentia, non concupiſcere; non ut quis concupiſcens ſe fortiter
„ gerat, ſed ut etiam a concupiſcendo ſe contineat. Non poteſt
„ autem ea aliter comparari continentia, niſi gratia Dei “. Laudat vero continentiam illorum, qui voluntate, non corpore ſe caſtraverunt propter Regnum Cælorum, & uberius de Matrimonii honeſtate, & utilitate ad Hæreticorum ora obſtruenda diſſerit.

De martyrio diſputat libro quarto. Et primo quidem docet, mortem eſſe ſolutionem vinculorum animæ a corpore, eamque minime eſſe timendam; dein oſtendit, (*c*) verum martyrem libenter vitam dare non metu gehennæ æternæ, *neque propter ſpem donorum paratorum, ſed propter ſuam in Dominum dilectionem, habens etiam gratiam tum ei, qui cauſam præbuit exeundi, tum ei, qui ipſi molitus eſt inſidias*. Deinde binas hæreticorum ſectas oppugnat, illorum videlicet, qui dicebant „ verum eſſe martyrium veri Dei co-
„ gnitionem... eum autem eſſe ſui occiſorem, & ſibi mortem conſci-
„ ſcere, qui per mortem fuerit Deum confeſſus “: aliorum vero, qui ſe ipſos magno ſtudio contendunt tradere, & propter odium in Creatorem miſeri mortem cupiunt. Plura narrat Gentilium exempla, qui tormenta & mortem fortiter tolerarunt; deinde ſubdit: (*d*) „ Plena
„ eſt tota Eccleſia iis, qui per omnem vitam ſuam meditati mor-
„ tem. quæ excitat ad Chriſtum, ſicut virorum, ita & mulierum
„ temperantium. Licet ei, qui ex more noſtro vitam inſtituit, et-
„ iam abſque litteris philoſophari, ſeu ſit Barbarus, ſeu Græcus,
„ ſeu ſervus, ſeu ſenex, ſeu puellus, ſeu mulier. Eſt enim tempe-
„ rantia communis omnium hominum, qui eam delegerint “.

Analyſis libri 4. Stromateon.

Objiciebant Gentiles Chriſtianis: (*e*) „ Si Deus veſtri curam
„ gerit, cur patimini perſecutionem, & morte afficimini? An ipſe
„ vos eis tradit “? At reponebat S. Clemens: „ Nos autem non
„ ſic exiſtimamus, velle Dominum, ut in calamitates incidamus,
„ ſed prophetice prædixiſſe ea, quæ eſſent eventura, fore ſcilicet,
„ ut propter nomen ejus pateremur perſecutionem, ut occidere-
„ mur, & ut ſuſpenderemur . . . . nos exercens ad tolerantiam,
„ cui promiſit hæreditatem: quamquam non ſoli, ſed cum multis
„ ſupplicio afficimur. At illi, inquiunt, cum ſint malefici, jure
„ luunt

(a) 1. *ad Timot.* 4. (b) *n.* 7. (c) *n.* 4.
(d) *n.* 8. (e) *n.* 11.

S. CLEMENS.

„ luunt pœnas: ergo vel inviti nobis juſtitiam ſuo teſtimonio tri„ buunt, qui injuſte propter juſtitiam punimur. Sed neque injuſti„ tia Judicis attingit Dei providentiam: oportet enim Judicem in „ ſua poteſtate habere ſuam ſententiam, nec, velut organa inani„ ma, nervis quodammodo trahi, & ab externa ſolum cauſa vim „ agendi capere. Unde & ille, perinde ac nos, in quæſtionem „ venit de ſuo judicio, deque electione rerum eligibilium, & pa„ tientia. Quamvis autem non faciamus injuriam, tanquam ta„ men injuriam facientes nos intuetur judex. Neque enim noſtra „ novit, neque vult ſcire; ſed quodam inani præoccupatus abri„ pitur præjudicio, unde etiam ipſe judicio fit obnoxius“. Poſtea eoſdem Gentiles ſic urgentes inducit: „ Cur autem, cùm vos per„ ſequuntur, nihil vobis affertur (a Deo veſtro) auxilii“? At reſpondet Clemens: „ Quid enim nobis fit injuriæ, cum morte „ ſoluti tendimus ad Dominum, nec aliter vitæ mutatione affici„ mur, quam qui ex una ætate in aliam tranſeunt? Si autem ſa„ piamus, iis gratias habebimus, qui nobis præbuerint occaſionem „ celeris migrationis, ſi propter dilectionem martyres fiamus... ſi ipſi „ quoque noviſſent veritatem, omnes quidem in viam inſiliiſſent“. Addit & appoſite Socratis effatum: *me quidem* (hoſtes mei) *interficient, nullo autem modo me lædent*. Errorem poſtea refutat Baſilidis, qui, ut Divinam Providentiam tueretur, docebat: „ (*a*) animam, quæ prius peccaverat in alia vita, hic pati ſup„ plicium; electam quidem, ut puniatur honorifice per marty„ rium; aliam autem, ut debito purgetur ſupplicio“. Oſtendit autem S. Clemens adverſus eumdem, hoc verum eſſe non poſſe: „ cum, inquit, in noſtra poteſtate ſitum ſit confiteri & puniri, aut „ non. Nam ſi quis negaverit, quoad eum perit ea, quæ eſt ex „ Baſilidis ſententia, providentia“. Quoad inimicorum dilectionem ſic dicit: „ (*b*) Cum Deus jubet diligere inimicos, non dili„ gere quidem malum jubemur, neque impietatem, neque adulte„ rium, nec furtum; ſed furem & impium, & adulterum, non qui„ dem quatenus peccat, ſed quatenus eſt homo, & opus Dei. Pec„ care certe inter actiones ponitur, non inter ſubſtantias; quamob„ rem nec Dei eſt opus“. (*c*) De caritate loquens epiſtolam citat S. Clementis ad Corinthios, quem & Apoſtolum nominat. Explicans Salvatoris verba dicentis: (*d*) *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo*, ſubdit: „ (*e*) Si quis corporis reſpexerit pulchritudinem, & „ ei ex libidine caro pulchra viſa fuerit, cum carnaliter, & ani„ mo peccandi viderit, propterea quod eam ſit admiratus, conde„ mnabitur. Contra autem qui per caſtam aſpicit dilectionem, non „ carnem, ſed animam pulchram eſſe exiſtimat, corpus, mea ſen„ tentia, admirans tanquam ſtatuam, per quam pulchritudinem ipſe „ quo-

(a) *n.* 12. (b) *n.* 13. (c) *n.* 17.
(d) *Matth.* 5. 28. (e) *n.* 18.

„ quoque ſeipſum tranſmittit ad artificem “. (*a*) Probat perfe- S. Clemens.
ctionis & virtutis & viros & mulieres æque eſſe participes, & u-
xorum officia explicat præſertim circa maritos infideles, & docet:
„ virtutem non in aliis, ſed in nobis maxime ſitam eſſe.... eſt
„ enim donum datum divinitus, & quod non alii cuipiam ſubji-
„ citur “. Quibus verbis clare concordiam liberi arbitrii cum gra-
tia indicat.

De veri Chriſtiani, quem Gnoſticum appellat, perfectione diſſe-
rens dicit, ejus opus non ſolum eſſe a malis abſtinentiam, ſed
nec aliquid boni facere vel propter metum, vel propter ſpem pro-
miſſi honoris, ſed propter caritatem, & propter ipſum honeſtum.
Addit: „ (*b*) Si quis per hypotheſim Gnoſtico propoſuerit, utrum
„ malit Dei cognitionem, an ſalutem æternam: ſint autem ea ſe-
„ parata, cum ſint omnino conjuncta; nihil penitus dubitans ele-
„ gerit Dei cognitionem, propter ſe judicans eſſe expetendam
„ eam, quæ fidem tranſcendit per caritatem ad cognitionem, pro-
„ prietatem. Immo, ſi per hypotheſim a Deo acceperit poteſta-
„ tem faciendi ea, quæ ſunt prohibita, citra ullam pœnam, ne-
„ que ſi propterea, beatorum bona accepturum eum eſſe, ei pro-
„ miſſum fuerit; ſed nec ſi perſuaſum habuerit fore, ut Deum la-
„ teant ea, quæ gerit.... in animum unquam eſt inducturus, ut
„ aliquid agat præter rectam rationem.... Qui propter pœnam
„ abſtinet a faciendo aliquid ex iis, quæ ſunt injuſta, non eſt ſua
„ ſponte, ſed metu bonus.... Si autem a malo faciendo abſti-
„ nuerit propter ſpem remunerationis a Deo conſequendæ ob ea,
„ quæ juſte fecerit, nec ſic quidem ſua ſponte eſt bonus. Sicut
„ enim illum metus, ſic hunc quoque merces juſtum facit, vel po-
„ tius efficit, ut videatur juſtus... (*c*) Bonus Deus caſtigat pro-
„ pter has tres cauſas, primum quidem, ut is, qui caſtigatur, ſe ipſo
„ melior evadat, deinde ut ii, qui poſſunt ſalvi fieri, per exempla
„ præparentur admoniti: & tertio, ne is, qui injuria afficitur,
„ contemptui habeatur, & aptus ſit ad injuriam accipiendam “.

In quinto Stromateon libro totus eſt S. Clemens, ut oſtendat, Analyſis 5. libri.
Græcos a Barbaris, & præſertim ab Hebræis eorum Sapientiam,
modumque eam tradendi eſſe mutuatos. Antiquitatem ænigmatum,
& ſymbolicarum imaginum, & uſum earum oſtendit, quem inve-
ctum dicit plurimis de cauſis, nimirum (*d*) *juvandæ memoriæ gra-
tia ob brevitatem, & ut ſe homines ad veritatem intenderent, &
iis ſolis, qui ſæpe ad Magiſtrum accedunt, & dant ſui experien-
tiam in fide, & in vita univerſa communicetur, quæ revera eſt
Philoſophia, & vera Theologia, & ut opus ſit aliquo interprete,
& duce, ut majus in eos ſtudium conſeratur, & minime decipian-
tur, & denique quia quæ oſtenduntur per aliquod velamentum, ma-
jorem, & auguſtiorem exhibent veritatem*.

Di-

(a) *n. 19.* (b) *n. 22.* (c) *n. 24.*
(d) *Lib. 5. n. 9. pag. 679. Ed. Ven.*

S. CLEMENS.

Dicit: „ (*a*) de Deo diſputationem eſſe tractatu difficillimam. „ Cum enim cujuſque rei principium inventu longe ſit difficillimum, „ eſt certe omnium primum & antiquiſſimum principium difficile ad „ demonſtrandum... Quemadmodum enim dici poterit, quod neque „ eſt genus, neque differentia, neque ſpecies, neque individuum, „ neque numerus, ſed neque accidens aliquod, neque tale cui ali- „ quid accidit? Neque vero *Totum* recte eum dixerit quiſpiam; „ nam de magnitudine totum dicitur, quin etiam totius univerſita- „ tis pater aliquis eſt. Sed neque dicendum eſſe aliquas ejus partes; „ in unum enim non cadit diviſio. Quin etiam ideo eſt infinitum, „ non quod ejuſmodi concipiatur, ut pervadi non poſſit, ſed qua- „ tenus nullam ſuſcipit dimenſionem, & finem non habet, & ideo „ eſt figuræ expers, & quod nominari non poteſt. Et ſi aliquando „ eum minus proprie nominemus, vocantes *Unum*, aut *Bonum*, „ aut *Mentem*, aut ipſum *id*, *quod eſt*, aut *Patrem*, aut *Deum*, „ aut *Creatorem*, aut *Dominum*, non id dicimus tanquam nomen „ ejus proferentes, ſed propter veri nominis defectum pulchris uti- „ mur nominibus, ut in aliis non aberrans his inniti poſſit cogi- „ tatio.... quæ enim dicuntur ex iis, quæ ipſis adſunt, aut ex „ ea, quæ eſt inter ſe invicem, habitudine, ac relatione dicuntur; „ horum autem nihil poteſt de Deo accipi. Sed neque ſcientia ac- „ cipitur demonſtrativa; ea enim ex prioribus conſtat & ex notio- „ ribus; nihil eſt autem ante ingenitum. Reſtat utique, ut divina „ gratia, & ſolo, qui apud ipſum eſt, Logo, ignotum intelliga- „ mus “.

Analyſis libri 6.

Sextum exorditur Librum ab idea veri Gnoſtici, ideſt Sapientis, & veræ Chriſtianæ virtutis, cujus dicit, ſuo Pædagogi libro non niſi prima exhibuiſſe elementa. Dicit itaque: (*b*) Verum Gnoſticum, cujuſmodi fuere „ Jacobus, Petrus, Joannes, Paulus, aliique „ Apoſtoli, eum omnia ſcire, & firma comprehenſione comprehen- „ dere ea etiam, quæ ſunt nobis dubia, & inexplieabilia. Eſt „ enim Prophetia cognitione plena, ut quæ data ſit a Domino, „ & rurſum per Dominum declarata Apoſtolis.... Gnoſticus (*c*) „ autem ille, de quo loquor, ea comprehendit, quæ videntur aliis „ non poſſe comprehendi, ut qui credat Dei Filio nihil eſſe in- „ comprehenſibile, unde nec eſſe hujuſmodi, ut doceri non poſſit. „ (*d*) Fides eſt brevis, & compendioſa eorum, quæ neceſſaria „ ſunt, cognitio. Scientia eſt ſtabilis comprehenſio per veras & ſta- „ biles rationes deducens ad cauſæ cognitionem. Philoſophia ve- „ luti perpurgat, & præparat animam ad fidem accipiendam, ſu- „ per quam veritas ædificat cognitionem “.

(*e*) „ Talis Gnoſticus eſt, ut in eum ex ſolæ cadant affectio- „ nes, quæ ſunt ad conſervationem corporis neceſſariæ, nempe fa- „ mes,

(a) *Ib. n.* 12. *p.* 695. (b) *n.* 8. *p.* 774.
(c) *pag. ſeq.* (d) *Lib.* 6. *n.* 18. *p.* 825.
(e) *Lib.* 6. *n.* 9. *p.* 775.

S. Clemens.

„ mes, ſitis, & ſimilia ... nam iram, metum, & cupiditatem ſupe-
„ ravit, nec ea quidem, quæ videntur bona ex iis, quæ paſſio-
„ nem inferunt, motionibus, ut audaciam, æmulationem, gau-
„ dium, cupiditatem ſuſcipit. Firmum quemdam, & ſtabilem ſta-
„ tum mentis adipiſcitur, ut nihil penitus mutetur. Neque eget
„ audacia, cum ex iis, quæ ſunt in vita, nihil grave, moleſtum-
„ que exiſtimet, neque eum poteſt aliquid hujuſmodi abducere a
„ Dei caritate... neque tranquillitate animi opus habet, neque e-
„ nim in dolorem incidit, animive angorem, cum perſuaſum ha-
„ beat, omnia recte fieri: neque iraſcitur, neque enim eſt, quod
„ eum ad iram moveat, cum ſemper Deum diligat, & ad hoc ſo-
„ lum totus ſit converſus; & ideo ex Dei creaturis nullam odio
„ habet; ſed neque æmulatur, nihil enim ei deeſt.... ſed neque
„ amat aliquem communi amicitia, ſed Creatorem diligit per
„ creaturam: neque ergo in cupiditatem aliquam incidit, neque
„ quoad animam alterius cujuſvis rei indiget; cum jam per cari-
„ tatem verſetur cum dilecto ... Neque eſt caritas ejus, qui di-
„ ligit, appetitio, ſed eſt benevola conjunctio in unitatem fidei,
„ reſtituens eum, qui eſt Gnoſticus, loco & tempore minime in-
„ digentem. Qui autem per caritatem jam verſatur in iis, in
„ quibus eſt futurus, nihil expetit, ut qui, quod fieri poteſt, ha-
„ bet quod eſt expetendum ".

(*a*) „ Ejuſmodi autem conſtitutio efficit, ut Gnoſticus ſit paſ-
„ ſionibus immunis, non ſolum ut iis modum imponat... Qui e-
„ nim ſemel conſummatus eſt per Caritatem, & inexplebilem con-
„ templationis delectationem æterne, & inſatiabiliter percipit, eaque
„ fruitur, minime parvis, & humilibus quibuſdam, & abjectis de-
„ lectatur. Quæ enim juſta ei amplius reſtat cauſa, cur ad bona
„ mundana revertatur, qui eam acceperit lucem, ad quam non
„ patet aditus? .. Peregrinus apud Dominum per ſuam in eum
„ caritatem, etiamſi in terra cernatur ejus tabernaculum, ſeipſum
„ quidem e vita non educit (non eſt enim ei permiſſum) ſed ani-
„ mam abducit a paſſionibus ... & corpore non amplius utitur,
„ ſed ſolum ei permittit uti neceſſariis, ne ei præbeat cauſam
„ diſſolutionis ... Omnia gravia & moleſta ſolitus deſpicere ...
„ minime flectitur voluptatibus tam iis, quæ vigilanti, quam iis,
„ quæ ſomnianti accidunt. Tenui etiam diætæ, & frugalitati aſ-
„ ſuefactus, paucis ad vitam neceſſariis indigens, nihil quærens,
„ quod ſit ſupervacaneum: ſed neque hæc per ſe & tanquam res
„ præcipuas ... ſed ut peregrinationi carnis neceſſaria, quantum
„ neceſſe eſt, admittat ". Quod nutriendo corpori indulſerit, de-
trimentum putabit. Dein oſtendit S. Clemens, quomodo humanis
ſcientiis Gnoſticus uti poterit, videlicet: (*b*) *Si quando eſt ei o-
tium, & tempus relaxandi animi ab iis, quæ ſunt præcipua, loco
alterius recreationis, veluti bellarium aliquod ad cœnam allatu-
rus...*

(a) *p.* 777. (b) *n.* 18. *pag.* 824.

S. CLEMENS.

rus ... Dicit (*a*), *multos*, *non ſecus ac pueros*, *larvas timere*, *Philoſophiam dum verentur ne eos abducat*. *Sed ſi talis eſt apud eos fides* ... *ut probabilitate orationis per eos diſſolvatur*, *fateantur ſe non eſſe habituros veritatem; veritas enim eſt inſuperabilis*, *diſſolvitur autem falſa opinio*. (*b*) Muſicen etiam commendat *ad mores ornandos*, & *componendos*, unde ſubdit: „ Certe etiam in „ convivio nobis invicem pſallendo propinamus noſtram lenientes „ cupiditatem, & Deum glorificantes propter copioſam donatio„ nem eorum, quibus fruuntur homines “. Gnoſticus „ non vive„ re, ſed bene vivere faciet plurimi. Uxor autem ei eſt ſoror poſt „ liberorum ſuſceptionem, ut quæ ſit revera futura ſoror poſt car„ nis depoſitionem. (*c*) Orat etiam cogitatione omni hora. Et „ primum quidem petit remiſſionem peccatorum, poſtea non am„ plius peccare: deinde poſſe benefacere ... ut mundo corde effe„ ctus per agnitionem *facie ad faciem* in beati ſpectaculi myſterio „ initietur ... (*d*) Hic eſt revera Presbyter Eccleſiæ, & verus „ Diaconus, ideſt miniſter Dei voluntatis, ſi faciet, & doceat, „ quæ ſunt Domini, non quia ordinatur ab hominibus, nec quod „ ſit Presbyter, juſtus cenſeatur, ſed quod ſit juſtus, referatur in „ Presbyteratum. Hic quoque in Eccleſia progreſſiones Epiſcopo„ rum, Presbyterorum, Diaconorum, ut arbitror, imitatione glo„ riæ Angelicæ ... (*e*) Philoſophi Græcis ſolis, neque iis omni„ bus placuere, qui ſuos ſolos perſuaſerunt aſſeclas. Magiſtri au„ tem noſtri verbum non manſit in ſola Judæa, ſed diffuſum eſt „ per totum orbem terræ, Græcorum ſimul & barbarorum genti„ bus, & vicis, & totis urbibus, perſuadens totas domos, & „ ſeorſum unumquemque ex iis, qui auſcultaverunt, & ex ipſis „ etiam Philoſophis non paucos jam traducens ad veritatem. Et „ Philoſophiam quidem ſi quivis Magiſtratus probibuerit, ea ſta„ tim perit, noſtram autem doctrinam a prima uſque prædicatio„ ne prohibent ſimul Reges & Tyranni, & ſinguli Duces & Ma„ giſtratus, & cum innumerabilibus etiam hominibus in nos bel„ ligerantes, noſque pro viribus exſcindere conantes; illa autem „ magis etiam floret (*f*).

Analyſis lib. 7. Stromateon.

Septimo libro Clemens oſtendere aggreditur, (*g*) ſolum Gnoſticum eſſe vere pium, & religioſum; &, ut Gentilium Atheiſmi Chriſtianos poſtulantium calumniam refellat, unde & eos perſequendi anſam arripiebant, ſcribit: (*h*) „ Dei cultus, quem præ„ ſtat Gnoſticus, conſiſtit in continua animæ ſuæ cura & occupa„ tione circa Deum per indeſinentem caritatem. Cultus enim, „ qui verſatur circa homines, unus quidem eſt, qui reddit melio„ res: alius vero qui in Miniſterio occupatur ... In Eccleſia i„ ſtius cultus, qui facit meliores, Presbyteri ſervant imaginem, „ ejus

(a) *n.* 10. *p.* 780. (b) *n.* 11. *p.* 785. (c) *n.* 12. *p.* 790.
(d) *Ibid. p.* 791. (e) *n.* 13. *p.* 793. (f) *p.* 827.
(g) *n.* 1. *p.* 829. (h) *Ibid. p.* 829.

„ eius autem qui ſervit, Diaconi, & ipſe etiam Gnoſticus, qui „ Deo quidem inſervit, hominibus autem oſtendit eam, qua fiunt „ meliores, contemplationem, quomodocumque ad erudiendum fue- „ rit conſtitutus... (*a*) Eo reſpectu in terra quidem res eſt præ- „ ſtantiſſima homo, qui eſt maxima in Deum pietate. In Cælo „ autem eſt res præſtantiſſima Angelus, qui eſt æternæ & beatæ „ vitæ particeps. Perfectiſſima autem, & ſanctiſſima, & maxime „ principalis, & quæ maxime imperat, & eſt maxime regia, & „ longe beneficentiſſima, eſt natura Filii, quæ eſt ſoli omnipoten- „ ti propinquiſſima". Hæc Clementis verba in ſpeciem indicare viderentur, illum Filii naturam a Patris natura diſtinguere, niſi alibi diceret: „ (*b*) Pædagogus noſter Sanctus Deus Jeſus, qui eſt „ dux omnis humani generis, Verbum; ipſe benignus, & clemens „ Deus, eſt Pædagogus... (*c*) Nihil odio habet Deus, ſed neque „ Verbum: utrumque enim unum eſt, nempe Deus... qui eſt u- „ niverſorum Deus unus, ſolus eſt, bonus, juſtus, opifex Filius in „ Patre". Et in calce Pædagogi: „ Laudemus Filium, & Patrem, „ Pædagogum, & Magiſtrum Filium una cum Sancto Spiritu, „ quia unus eſt omnia, in quo omnia, per quem omnia". (*d*) Et 5. Stromateon: „ Iſta non niſi de Sancta Trinitate accipio, & „ tertii quidem nomine Spiritum Sanctum, ſecundi vero Filium „ intelligo.

S. Clemens.

„ (*e*) Operatio Gnoſtici, qui eſt conſummatus in cognitione, „ ut cum Deo habeat conſuetudinem per magnum pontificem, pro „ viribus Domino aſſimilatus per univerſam in Deum pietatem... „ Has ego dico virtutes eſſe ſacrificium Deo gratum, & acce- „ ptum, cor a faſtu alienum cum recta ſcientia... ſe ipſos redi- „ gere in captivitatem, ſe ipſos interimere, veteri homine interfe- „ cto depoſitis cum peccato perturbationibus animi... (*f*) Nul- „ lius indiget Deus, nec capitur voluptate, nec eſt aut lucri, aut „ pecuniæ cupidus... ſed nec ſacrificiis, neque donariis, neque „ rurſus gloria & honore, neque aliis hujuſmodi allicitur". In hocce autem exteriori cultu tota Gentilium Religio ſiſtebat: „ (*g*) „ Imago valde divina, & Deo ſimilis eſt viri juſti anima, in „ qua... unigenitus omnipotentis Patris gloriæ figura imprimit „ perfectam contemplationem ad ſui imaginem, ut ſit jam tertia „ divina imago". De his imaginibus loquitur S. Clemens, ut Idolis veram opponat Dei imaginem in Verbo, in anima, in homine elucentem. Proſequitur vero: (*h*) „ Gnoſticus neque in de- „ finito loco, nec in templo ſelecto, neque diebus aliquibus feſtis, „ & præſtitutis, ſed per totam vitam in omni loco, etiamſi ſit

F 2 „ per

(a) *n. 2. p.* 831.
(b) *Pædagog. lib.* 1. *cap.* 7. *p.* 131.
(c) *cap.* 8. (d) *pag.* 710.
(e) *pag.* 836. (f) *pag.* 836.
(g) *pag.* 837. (h) *pag.* 851.

S. CLEMENS.

„ per ſe ſolus, & ſecum habuerit alios, qui eamdem fidem amplexi ſunt, Deum honorat . . . Per totam vitam Dei feſtum agens, ubique ex omni parte Deum adeſſe perſuaſus, laudans agros colit, hymnos canens navigat, & in omni alio vitæ inſtituto ut decet ex arte verſatur “. Notat tamen, & ſtatutis horis Deum laudari etiam tunc temporis conſueviſſe, nimirum hora tertia, ſexta, nona, ſicut & (*a*) *verſa ad Orientem facie, & caput ac manus in Cælum extendendo, & pedes excitando in ultima acclamatione orationis, ſed Gnoſticum per totam vitam orare, dum per preces ſuas cum Deo ſtudet verſari*.

Addit: „ (*b*) Gnoſticus divinum imitans inſtitutum benefacit „ pro viribus hominibus, qui voluerint, & ſi quando fuerit in Magiſtratu conſtitutus, non ſecus ac Moyſes, præibit ad ſalutem iis, in quos obtinebit imperium; omnes poſſidebit virtutes, fortitudinem, tolerantiam, mentis ſublimitatem, magnitudinem animi, liberalitatem, magnificentiam; propter quam cauſam nec reprehenſione, nec vulgi mala fama afficitur, neque opinionibus ſubjicitur, nec aſſentationibus; apparet omnibus quietus, temperatus, modeſtus; & dives eſt etiam ex eo quod nihil concupiſcat, ut qui paucis egeat: juſtus etiam eſt, fidelis, comes, & benefaciens . . . (*c*) cum excelſo quodam, quem precatio ſuppeditat, animo utitur, iiſque, quæ mente ſola concipiuntur, & ſpiritu, per cognitionem quaſi copulatur; quo fit, ut ſit ſemper benignus, manſuetus, aditu facilis, affabilis, patiens, gratus; idem eſt rigidus, & auſterus, idque non ſolum ut non corrumpatur, ſed etiam ad hoc, ut non tentetur; nunquam enim animum voluptati, aut dolori ſubmittit. . . (*d*) Eadem ratio eſt etiam temperantiæ; neque enim propter honoris cupiditatem, ſicut athletæ propter coronas, & gloriam, neque rurſus propter pecuniæ cupiditatem, neque propter corporis ſui amorem ſanitatis gratia, neque propter ruſticitatem eſt continens, & non guſtat voluptates . . . Horum ergo cauſa eſt ſanctiſſima, & omnium ſcientiarum præcipua caritas . . . Judex, ſi ad id vocat Logos, immobilis fit animi motibus, nihil penitus largiens, immutabiliter, qua juſtum jubet immutabiliter ingrediens “.

Gnoſticus precatur ut contemplatio augeatur, ſicut qui eſt homo vulgaris, ut ſit perpetuo ſanus . . . „ (*e*) atque ei quidem ſacrificia „ ſunt ipſæ preces & laudes, & quæ ante cibum fiunt, Scripturarum lectiones, pſalmi autem & hymni, dum cibus ſumitur, & antequam eat cubitum, ſed & noctu, rurſus orationes . . . ſed nec ea, quæ fit ore, utitur verboſa precatione, ut qui quæ petere oporteat, a Deo didicerit. In omni ergo loco orabit, ſed non ut aperte populo appareat. Quin ve-

„ ro &

(a) *pag.* 854. (b) *pag.* 837.
(c) *pag.* 858. (d) *pag.* 872.
(e) *n*, 7. *pag*, 860. *& ſeq*.

„ ro & inter ambulandum, & in ſermone, & quiete, & le- „ ctione, & operibus, quæ fiunt ex ratione, omni modo preca- „ tur. Hic tota die ac nocte dicens, & faciens juſſa Domini „ ſupra modum lætatur, non ſolum cum mane ſurgit, & meri- „ die, ſed etiam cum deambulat, & dormit, & veſtes induit, & „ exuit, Deo ſemper agens gratias, ſicut animalia glorificantia, „ quæ allegorice dicuntur per Iſaiam". Sed neque jurat, cum a- pud externos vitam habeat fide dignam, ut ne poſtuletur quidem ab eo jusjurandum. (*a*) Gnoſtici autem dignitatem maxime au- get & amplificat, qui aliorum docendorum ſuſcipit præfecturam, ut qui maximi quod eſt in terris boni diſpenſationem & verbo, & facto acceperit, per quam tanquam mediator homines cum Deo conjungit . . . „ (*b*) Hic perfectus Apoſtolorum imitator revera „ vir eſſe probatur, non in eo, quod vitam elegerit monaſticam; „ verum ille viros vincit, qui in matrimonio, & liberorum pro- „ creatione, & domus cura citra voluptatem & dolorem ſe exer- „ cet, indivulſus tamen eſt a Dei caritate, inſurgitque adverſus o- „ mnem tentationem, quæ affertur per filios, uxorem, & famu- „ los & poſſeſſiones. Qui ergo ſolummodo ſui curam gerit, vinci- „ tur ab eo". S. Clemens.

Dein S. Clemens reſpondet iis, quæ a Græcis, & Judæis obji- ciuntur ex diſſenſionibus hæreſum, & ex earum frequentia, & o- ſtendit, (*c*) has minime a fide amplectenda retardare poſſe, aut debere, cum & apud Judæos, & apud Græcos Philoſophos *fue- rint plurimæ hæreſes*, quin tamen dicant *dubitandum*, *quin ſit phi- loſophandum*, *aut Judaicæ hærendum diſciplinæ*, *immo propterea majori cura opus eſſe*, *& providentia*, *ut examinetur*, *quænam ſit vera pietas*, *& majori cura*, *& ſtudio perſcrutanda veritas*, *ut ab errore ſecernatur*. Nec deeſſe dicit regulas omnino certas ad ve- ritatem inveniendam, unde merito condemnandi, (*d*) *ſi non aſſen- tiamur iis*, *quibus oportet parere*, *nec diſcernamus id*, *quod repu- gnat*, *& indecorum*, *& præter naturam eſt*, *& falſum a vero*, *conſentaneo*, *& decoro*, *& eo quod eſt ſecundum naturam*. *In ſola & antiqua Eccleſia eſt perfectiſſima cognitio*, *& ea*, *quæ eſt reve- ra optima hæreſis*. . . Hæretici (*e*) „ id potius ſumunt, quod eis „ viſum fuerit eſſe evidentius, quam quod dictum eſt a Domino „ per Prophetas, & ab Evangelio, quodque Apoſtolorum teſtimo- „ nio comprobatum eſt". Admittunt quidem Scripturas, ſed ali- quas rejiciunt, alias male interpretantur, &, ſi qua proferunt te- ſtimonia hinc inde avulſa, cortici litteræ inſiſtentes ſpiritum non percipiunt; (*f*) *nonnunquam etiam cum convincuntur*, *ſua negant dog- mata*, *& omnem*, *ut ajunt*, *rudentem movent* ... *quam a ſectæ ſi- bi gra-*

(a) *n. 9. pag.* 862. (b) *n.* 12. *pag.* 874.
(c) *n.* 15. *pag.* 886. (d) *Ibid. pag.* 888.
(e) *n.* 16. *p.* 892. (f) *Ibid.*

S. CLEMENS.

bi grato honore traducantur, & a vulgo jactata in eorum Eccleſia prima ſede, propter quam illum quoque convivalem in illa, quæ falſo nomine Agape, primum accubitum amplectuntur... Gloriantur prædeceſſorum ſupereſſe ſapientiam, (*a*) ſed *bene cum eis actum eſſet, ſi diſcere potuiſſent ea, quæ prius ſunt tradita* .... Quod autem „ Catholica Eccleſia poſteriora ſua fecerint conciliabula, non eſt opus multis probare. Nam Domini, quæ fuit in „ adventu, doctrina cum cœpiſſet ab Auguſto, medio tempore Tiberii conſummatur. Apoſtolorum autem ejus doctrina uſque ad „ Pauli miniſterium Neronis tempore conſummatur. Inferius autem „ circa tempora Adriani Imperatoris fuerunt, qui hæreſes excogitarunt, & pervenerunt uſque ad ætatem Antonini natu majoris, „ ſicut Baſilides, etiamſi Glauciam ſibi adſcribat Magiſtrum, ut ipſi „ gloriantur, qui fuit Petri interpres. Similiter autem Valentinum „ quoque dicunt audiviſſe Theodadem; is autem fuit Pauli familiaris. Marcion autem natus eſt eadem, qua ipſi, ætate ... Quæ „ cum ita ſe habeant, clarum eſt, ex antiquiſſima, & veriſſima „ Eccleſia, has recentiores, & quæ ſunt his adhuc inferiores tempore, fuiſſe innovatas, adulterinæ notæ hæreſes. Ex iis, quæ „ dicta ſunt, manifeſtum eſſe exiſtimo, unam eſſe veram Eccleſiam „ eam, quæ vere eſt antiqua... Nam cum unus ſit Deus, & unus Dominus... Eccleſia quoque eſt una, quam conantur hæreſes in multas diſcindere „. (*b*) Baſilides *gloriabatur, ſe Mathiæ opinionem adducere*, ſed ſubdit Clemens, *fuit una omnium Apoſtolorum ſicut doctrina, ita & traditio*. Sui temporis ſectas enumerat, videlicet Valentinianos, Marcionitas, Baſilidianos, Peraticos, Phrygas, Encratitas, Docitas, Hæmatitas, Cainitas, Orphianos, & qui *ex Simonianis Entychitæ vocantur* (*c*). Illorum rejicit opinionem, qui dicebant, Virginem, ſicut cæteras fæminas, virginitatis jactura filium ſuum peperiſſe.

Octavo libro principia Dialecticæ, & Metaphyſicæ traduntur, ad oſtendendum adverſus Pyrrhoniſtas dari cognitiones certas & evidentes, quas homines certis regulis, & criterio aſſequi valeant. Hæc ſunt ſelectiora, quæ in Operibus S. Clementis Alexandrini leguntur, documenta.

A R-

(a) *n.* 17. *p.* 898.
(b) *Ib. p.* 900. (c) *n.* 16. *p.* 889.

ARTICULUS TERTIUS.

Præſtantiora S. Clementis documenta Dogmata, Moralem, & Diſciplinam reſpicientia.

S. CLEMENS docet (*a*), tum veteris, tum novi Teſtamenti Scriptores, divino afflante ſpiritu, tum quæ a Deo didicerant, tum quæ vel ex ſe ipſis noverant, vel omnibus comperta erant, ſcripſiſſe. De Sacra Scriptura.

Addit, duo Teſtamenta (*b*) per amorem, & timorem diſtingui: (*c*) Verſionem *Scripturæ legis & Prophetarum ex Hebræo ſermone in linguam Græcam tempore Ptolomæi* Lagi filii a Septuaginta Interpretibus concinnatam *ab inſpiratione Dei* eſſe profectam. (*d*) Quatuor tantum dicit eſſe Evangelia, nec plura, nec pauciora.

Præter Scripturam aliam docet eſſe viam, qua Chriſtiana propagata eſt doctrina, nimirum traditionem. Primi ſiquidem Diſcipuli „ (*e*) veram beatæ doctrinæ ſervabant traditionem ſtatim a „ Petro, Jacobo, & Joanne, & Paulo Sanctis Apoſtolis, ita ut „ filius acciperet a patre, ad nos quoque Deo volente pervenerunt, „ illa a majoribus data, & Apoſtolica depoſituri ſemina". Hinc qui Eccleſiæ adverſantur traditioni, & humanas ſectantur opiniones, Dei fidem non amplius ſervant.

Tres in Deo Perſonas dilucide agnoſcit S. Clemens, (*f*) quas *Trinitatis* vocabulo deſignat, illiſque omnibus tribuit *immenſitatem*, unde verum Deum agnoviſſe in illis, nullus eſt ambigendi locus. (*g*) Patrem dicit eſſe Dominum, & rerum omnium Creatorem, qui omnia facit verbo virtutis ſuæ, qui eſt immenſus. (*h*) Filius autem omnes complectitur perfectiones; *eſt ſapientia, & bonitas Dei manifeſtiſſima ſcientia, & veritas*, & cum ante omnia ſæcula in ſinu Patris verſaretur, (*i*) prodiit primo *opificii & creationis cauſa, deinde quando caro factus, etiam eſt factus aſpectabilis*. S. Clemens generationem appellat etiam illam exteriorem Verbi manifeſtationem, quando per illud facta ſunt omnia, & quando Deus dixit: *fiat lux*. De Trinitate Perſonarum, & Divinitate Filii, & Spiritus Sancti.

Divinitatem Jeſu Chriſti aperte confitetur; &, ut oſtendat impletum vaticinium Danielis de Meſſiæ adventu, (*k*) chronologiam contexit uſque ad Veſpaſiani Imperium, & annos numerat 486. cum quatuor menſibus. Danielis hebdomadas annorum fuiſſe interpretatur, & lunares annos illis aſſignat. (*l*) Natum autem Chri-

 ſtum

(a) *Cohortat. ad Gentes p. 66.* (b) *Strom. 2. n. 6.*
(c) *Strom. lib. 2. n. 22.* (d) *Strom. lib. 3.*
(e) *Strom. lib. 1. p. 322.* (f) *Strom. lib. 5.*
(g) *Lib. 1. Pædagogi.* (h) *Strom. lib. 4. p. 635.*
(i) *Strom. lib. 5. p. 654.* (k) *Strom. lib. 1. p. 409.*
(l) *Ibid. p. 406.*

S. CLEMENS.

ſtum dicit anno 28. Auguſti, & baptiſmum ſuſcepiſſe, ac prædicationem exorditum quintodecimo anno Tiberii Cæſaris.

De natura hominis; libero arbitrio; & gratiæ necessitate.

Adverſus Pſeudognoſticos docet, (*a*) omnes fideles poſſe ſalutem conſequi: & putat, Angelum, (*b*) qui Cacodæmon vocatur, *vel quod homines calumniis impetat*, *vel quod accuſet peccatores*, *vel quod ſit Apoſtata*, (*c*) *cum liberum habeat arbitrium*, *duci poſſe pœnitentia*.

Hominem quoque (*d*) libero donatum arbitrio prædicat, cum ſit naturæ rationalis, (*e*) indigere tamen dicit gratia Dei ad bonum faciendum, ad bonas concipiendas cogitationes, ad Dei agnitionem, ad vincendas tentationes, ad fidem amplectendam, & ad caſtitatem ſervandam. Addit: „ (*f*) *Non invite ſalvus erit*, *qui fit ſalvus*, *ſed omnino voluntarie*, *& libero animi arbitrio contendet ad ſalutem*, ut oſtendat, gratiam libertati arbitrii non obeſſe. (*g*) *Anima*, quæ pars eſt hominis, *non generatur per dejectionem ſeminis*, *ſed intromittitur*; *ejus principalis facultas eſt libera eligendi poteſtas*.

De Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia.

Catechumeni ad Baptiſmum (*h*) per pœnitentiam diſponuntur, (*i*) & trina immerſione ad novam vitam regenerantur; (*k*) *eo lavacro peccata abſterguntur*, *delentur ignorantiæ tenebræ*, mores in melius mutantur, *qui non ſunt iidem*, *qui erant*, *antequam lavarentur*; *ſancta illa*, *& ſalutari luce* donantur, *per quam Deum* & divina *intuentur*; *qui ſunt* hoc modo *regenerati*, *fratres appellantur*. (*l*) Neophyti ſuſcipiunt *beatum Domini ſignaculum*, ideſt Confirmationem, quæ habebatur ceu perfectio, & complementum chriſtianæ vitæ. (*m*) *Melchiſedech*, *qui vinum*, *& panem ſanctificatum dedit in nutrimentum*, *in typum Euchariſtiæ*, (*n*) *cujus qui ſunt participes*, *ſanctificantur & corpore & anima*, *quippe divinum temperamentum*, *hominem ſcilicet*, *divina voluntas Spiritu*, *& Verbo myſtice contemperat*; nam Euchariſtia eſt ipſa Incarnati Verbi caro. Hinc veterem hominem, & carnalem exuere præcipimur, & a terrenis abſtinere alimentis, ut novæ participes efficiamur alimoniæ, quam ipſe nobis paravit, ut Salvatoris præſentia, quem in corde recondimus, noſtram ſanctificet carnem, noſtraſque affectiones, & deſideria purificet. Satis itaque luculenter S. Clemens fidem ſuam de reali Chriſti corporis in Euchariſtia præſentia manifeſtat.

De Matrimonio: ſecundis nuptiis; & Virginitate.

De Matrimonii uſu loquens (*o*) eadem Apoſtoli præcepta tradit,

(a) *lib.* 1. *Pædag. cap.* 6. (b) *lib.* 3. *Strom. p.* 528.
(c) *lib.* 1. *Strom. p.* 367. (d) *lib.* 6. *Strom. p.* 808.
(e) *lib.* 5. *Strom. p.* 647. (f) *lib.* 7. *Strom. p.* 855.
(g) *lib.* 6. *Strom. p.* 808. (h) *Pædagogi lib.* 1. *cap.* 6.
(i) *Stromat. lib.* 5. *p.* 690. (k) *Strom. lib.* 2. *p.* 450.
(l) *Strom. lib.* 2. *pag.* 434. *& apud Euſeb. lib.* 3. *Hiſt. c.* 23.
(m) *Strom. lib.* 4. *p.* 637. (n) *Pædagogi lib.* 2. *cap.* 2.
(o) *Strom. lib.* 3. *p.* 543.

dit, & regulas, & obſervat, quod *nullus oſtenderit ex Scripturis, Veteres cum prægnante rem habuiſſe, ſed poſtquam geſtavit utero, & editum fœtum a lacte depulit, rurſus a viris cognitas uxores*. Juxta Apoſtolum (*a*) *veniam concedit ſecundi Matrimonii*; & *non peccare* Bigamum dicit; at ſecundas nuptias fornicationem appellat, ſive ob incontinentiam, qua plerumque laborant, qui ſecundas appetunt nuptias, ſive quia, ut ipſe ſcribit, (*b*) iſti *non implent ſummam illam perfectionem, quæ agitur ex Evangelio*. Addit: *Unuſquiſque, tam is, qui propter liberorum procreationem ſeipſum conjunxit Matrimonio, tam is, qui caſtitatem delegit*, in ſuo propoſito firmiter debet perſeverare . . . (*c*) *Habet enim ſicut caſtitas, ita & matrimonium propria munera, & miniſteria*. *Conceſſam* dicit antiquis *Polygamiam*, *quando oportebat homines* augeri, & multiplicari, a Chriſto in novo Teſtamento *monogamiam* fuiſſe præceptam. (*d*) Dicit, apud Chriſtianos *haud quidem ex ſenſili materia ſenſile ſimulacrum* Divinitatis in uſu fuiſſe. Ex quibus verbis fortaſſe Photius (*e*) anſam arripuit ſcribendi, S. Clementem in quodam ſuo tractatu de Imaginibus diſputaſſe. *Sacra* quoque *myſteria noctu fieri conſueviſſe*, ideo dicit, *quia tunc mens ceſſans a ſenſibus, convertitur ad ſe ipſam, & eſt magis prudentiæ particeps*. Obſervat & diurnis horis oraſſe fideles, hora nimirum *Tertia*, *Sexta*, & *Nona*, (*f*) *nec non verſa ad Orientem facie*, & *caput ac manus in Cælum extendendo*, & *pedes excitando in ultima acclamationis oratione*. (*g*) Jejunabant bis in hebdomada die *quarta*, & *ſexta*, ſcilicet *Mercurii* & *Veneris*. S. Clemens.

Dicit etiam, omnes homines peccato originali inquinatos (*h*) naſci & *natura alienos a Deo*. Ebionitas *in Oblatione* pane & aqua (*i*) aliter uti, quam *Eccleſiæ canonibus præcipitur*. Nonnullos Natalis Domini diem celebraſſe 8. Kal. Januarii, & Baſilidis diſcipulos (*k*) *ejus quoque baptiſmi diem celebrare ſolitos, totam præcedentem noctem in lectionibus tranſigentes*. (*l*) *Adam, Abrahamum, Iſaac, & Jacob non pauca ex futuris, & iis, quæ jam inſtabant, præſignificaſſe*. *Fabulis Poetarum pueros lenire damnat, ne forte cum illis nutriamus impietatem*.

AR-

(a) *Ibid. pag.* 543. (b) *Ibid.* (c) *Ibid. pag.* 546.
(d) *Cohort. ad Gent. p.* 45. (e) *Cod.* 110.
(f) *Strom. lib.* 7. *p.* 854. (g) *Ibid. p.* 877.
(h) *lib.* 4. *Strom. p.* 468. (i) *lib.* 1. *Strom. p.* 375.
(k) *Strom. lib.* 1. *p.* 408.
(l) *Ibid. pag.* 400. *Cohort. ad Gent. p.* 58.

S. CLEMENS.

ARTICULUS QUARTUS.

Selecta vitæ ſpiritualis documenta.

Dei Bonitas gratuita.

I. DOMINUS miſeretur, caſtigat, hortatur, cuſtodit, & doctrinæ mercedem ex redundanti quadam copia nobis regnum Cælorum promittit: hunc ſolum fructum percipiens ex nobis, quod ſalvi ſumus. (*Cohort. ad gentes.*)

Verbum Dei præcidit omnes inutiles cupiditates, & inordinatos affectus.

II. *Omnis palmes in me non ferens fructum, tollit ipſum, & quidquid fructum fert expurgat, ut amplius fructus ferat.* Silveſcit enim vitis, niſi putetur: ita etiam homo. Luxuriantes autem adnataſque propagines, verbum, qui eſt gladius, expurgat, cogens appetitiones ne fructum ferre deſiderent. (*Pædagog. lib.* 1. *cap.* 8.)

Divitiarum inutilitas.

III. Aurum & argentum, & privatim & publice eſt odioſa poſſeſſio, ſi uſum exceſſerit, rara ad acquirendum, difficilis ad cuſtodiendum, & non apta ad utendum. (*Lib.* 2. *cap.* 3.)

Nimium ſomnum damnat.

IV. Cubilis mollitiem moderatam eſſe oportet & convenientem. Non enim ſomnus debet eſſe corporis plena ſolutio, ſed remiſſio. Et ideo aſſumendum eſt non ad otium & ſocordiam, ſed ad negotiorum & actionum quietem. Ita ergo dormitandum eſt, ut facile excitemur. (*Cap.* 9.)

Finis Matrimonii.

V. Qui matrimonio juncti ſunt, iis ſcopus eſt & inſtitutum, liberorum ſuſceptio, finis autem, ut boni ſint liberi. Sola enim voluptas, ſi quis ea etiam utatur in conjugio, eſt præter leges, & injuſta, & a ratione aliena. (*Cap.* 10.)

Ornamenta honeſtis fœminis olim vetita.

VI. Laudo & admiror veterem Lacedæmoniorum civitatem, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes, & aureum ornatum geſtare permiſit, a probis mulieribus mundi ſtudium auferens, quod ſolis meretricibus ſe ornare concederet. (*Ibidem.*)

Chriſtiani quænam veræ divitiæ.

VII. Veræ ſunt divitiæ juſtitia & Logos . . . quæ quidem divitiæ non ex prædiis augentur, ſed a Deo donantur: divitiæ quæ auferri non poſſunt, quarum eſt theſaurus ſola anima, quæ hominem vere reddit beatum. Cui enim adeſt, nihil eorum ut expetat quæ non ſunt in noſtra poteſtate, ea autem quæ expetit, ut conſequatur; quin etiam quæ ſancte deſiderat, ea cum petit a Deo ut accipiat; quomodo non is multa, imo omnia poſſidet, qui theſaurum æternum nempe Deum habet. (*Lib.* 3. *cap.* 6.)

Eleemoſyna fons perennis.

VIII. Quemadmodum quicunque putei ſcaturiunt, exhauſti in priſtinam menſuram revertuntur: ita etiam elargitio, quæ eſt bonus fons benignitatis, potum ſitientibus communicans, rurſus augetur & repletur; quemadmodum ad ubera, quæ ſuguntur vel etiam mulgentur, ſolet lac confluere. (*Cap.* 7.)

Imago Familiæ Chriſtianæ.

IX. Res eſt pulcherrima mulier domus cuſtos; propter quam omnes exultant; filii quidem propter matrem, maritus autem propter uxorem, ipſa autem propter eos, omnes vero propter Deum. (*Cap.* 11.)

X. Nec

X. Nec caſtitas eſt bonum & ex virtute, niſi fiat propter dilectionem in Deum. (*Stromat. lib.* 3.)

S. CLEMENS. Caſtitas ſine charitate inutilis ad ſalutem.

XI. Eundem honorem conſequentur ii, qui voluerunt, cum iis qui potuerunt, quorum eſt voluntas æqualis, etſi facultates ſint inæquales. (*Lib.* 4.)

Bona voluntas pro bono opere a Deo excipitur.

XII. Videte fratres, quo majori cognitione digni ſumus habiti, eo majus ſubimus periculum. (*Ibidem*.)

Qui majori intelligentia pollet, majus ſubit periculum.

XIII. Sacrificium Deo acceptum, eſt corporis & ejus affectionum ac vitiorum ſeparatio: is eſt verus revera Dei cultus. (*Lib.* 5.)

Holocauſtum, figura abdicationis omnium affectuum.

XIV. Peregrinans ad Dominum propter ſuam in eum charitatem, ſeipſum quidem a vita non educit; non enim eſt ei permiſſum: ſed animam abducit a motibus & affectionibus; eſt enim ei conceſſum. Et rurſus vivit poſtquam morte affecit cupiditates ſuas; nam corpore utens, non abutens, ſolum ei permittit uti neceſſariis, ne ei præbeat cauſam diſſolutionis. (*Lib.* 6.)

Mors cupiditatis vita animæ.

XV. Dei cultus eſt continua animæ cura ei qui eſt præditus cognitione, & ejus perpetua in Deo occupatio per charitatem, quæ nunquam intermittitur. (*Lib.* 7.)

Dei cultus qualis.

XVI. Per totam vitam diem feſtum agentes, ubique Deum adeſſe perſuaſi, laudantes agros colimus, laudantes navigamus, & in omni alio vitæ inſtituto ut decet ex arte, verſamur. (*Ibidem*.)

De Deo ſemper cogitandum.

XVII. Eſt precatio cum Deo converſatio & collocutio; & licet tacite loquamur, ne labra quidem aperientes, intus clamamus: Omnem enim intrinſecus paratam collocutionem Deus exaudit perpetuo . . . & caput & manus in cælum extendimus. . . & una cum verbo corpus a terra abducere conantes, erectam & elevatam animam deſiderio meliorum cogimus in ſancta progredi, magno animo carnis vinculum deſpicientes. (*Ibidem*.)

Oratio eſt cum Deo converſatio.

XVIII. Nonnulli certas, ac definitas horas conſtituunt precationi, ut tertiam, ſextam, nonam: at is qui eſt cognitione præditus & ſpiritualis, per totam orat vitam, dum cum Deo ſtudet verſari. Reliquit autem, ut ſemel dicam, omnia quæ non ſunt utilia, cum eo jam pervenerit, ut jam hinc acceperit conſummationem ejus quod agitur ex charitate. (*Ibidem*.)

Oratio aſſidua eſſe debet. Perfectio charitatis quænam.

XIX. In omni loco, *vir ſpiritualis*, orabit, ſed non ut aperte populo appareat. Quin vero & inter ambulandum, & in ſermone, & quiete, & lectione, & iis quæ fiunt ex ratione, omni modo precatur. Quin ſi in ipſius animæ penetralibus ſolum cogitaverit, atque inenarrabilibus gemitibus Patrem invocaverit: ille prope adeſt eo adhuc loquente. (*Ibidem*.)

Ubique orandum. Cordis preces Deus cito exaudit.

XX. Non concupiſcet aliquid aliud, qui habet Deum in ſe requieſcentem; & relictis omnibus, quæ ſunt impedimento, ad illum ſolum tendit, propter quod ſolum in ſpirituali cognitione ſe exercuit. (*Ibidem*.)

De ſolo Deo cogitandum, eumque deſiderandum.

XXI. Quemadmodum ſi una quidem, ſi via regia, & multæ aliæ ex quibus aliquæ ferunt in præcipitium, non quidem dubitaverit viæ ſe committere propter diſſenſionem viarum, ſed utetur via regia

Veritas quo magis occultatur, & impugnatur, ſtudioſius exquirenda.

S. CLEMENS.

regia & ſejuncta a periculo; ita cum alii alia dicant, de veritate non eſt diſcedendum, ſed exactius & diligentius eſt inquirenda ejus exactiſſima & accuratiſſima cognitio. (*Ibidem*.)

Notæ veræ Eccleſiæ, unitas, & antiquitas.

XXII. Clarum eſt ex antiquiſſima, & veriſſima Eccleſia, has recentiores, & quæ his ſunt adhuc inferiores tempore, fuiſſe innovatas, adulterinæ notæ hæreſes. Et manifeſtum eſſe exiſtimo unam eſſe veram Eccleſiam, eam quæ vere eſt antiqua, in cujus catalogum referuntur ii qui ſunt juſti *ſecundum propoſitum*. Nam cum unus ſit Deus, & unus Dominus; propterea id, quod eſt ſumme venerabile, ex unitate laudatur, ut quod ſit imago principii, quod eſt unum. In unius ergo naturæ ſortem cooptatur Eccleſia, quæ eſt una, quam conantur hæreſes in multas diſcindere. (*Stromat. Lib.* 7.)

C A-

CAPUT QUINTUM.

TERTULLIANUS PRESBYTER,

Et Eccleſiæ Doctor.

ARTICULUS PRIMUS.

Tertulliani Vitæ Breviarium.

TERTULLIANUS Carthagine Africæ Metropoli, Patre Centurione Proconſulari circa annum Chriſti 160. (1) hanc lucem adſpexit. Quintus Septimius Florens Tertullianus appellabatur, ſed ſub poſtremo nomine magis inclaruit. (*a*) In gentilitatis tenebris natus, diuque in illis verſatus, ac veri Dei cognitione deſtitutus, Amphiteatri ſpectaculis oblectabatur, & Chriſtianorum doctrinas & mores irridebat & aſpernabatur. (*b*) Verum Martyrum inter ſæviſſima tormenta conſtantia, Chriſtianorum in fugandis Dæmoniis poteſtas, & ad ſilentium redigendi falſorum Numinum oracula virtus, denique divini, noviſſimique judicii timor & expectatio Tertullianum ad errores Gentilium abjiciendos, chriſtianamque amplectendam religionem impulere. Ejus converſionis tempus ignoramus, & circumſtantias: illud pro comperto habemus, anno Chriſti 200. quando Apologiam ſuam Severi Imperatoris anno octavo vulgavit, jam chriſtianum, & quidem ab aliquibus annis, fuiſſe, cum in illo libello de Chriſtianæ Religionis doctrinis, atque dogmatibus ſe probe imbutum oſtendat.

TERTULL. Natalis Tertulliani circa ann. Chriſti 160.

Ad Chriſtum convertitur ante ann. Chriſti 200.

Uxorem habuiſſe Septimium, ex duobus ab ipſo ad conjugem ſuam conſcriptis libris luculenter apparet, quam & chriſtianam quoque fuiſſe, nullus ambigere poterit, qui obſervet in altero ex præfatis libris eam hortari, ut ſi forte contingat ſibi ſuperſtitem eſſe, teneri ad nubendum chriſtiano viro, cum Apoſtolus hac lege ſecundas nuptias concedat; ex quo & illud pronum eſt colligere, uxorem adhuc juvenem duxiſſe, quippe quæ poſt ejus obitum alteri nubens filios adhuc poterat procreare.

Uxorem habuit.

Ex nullo librorum ad uxorem loco apparet, ipſum Presbyteri charactere ornatum fuiſſe, dum illos ſcribebat, immo in libro de Ora-

Ordinatus fuit Presbyter.

(1) Certus, & præfinitus Tertulliani natalis & obitus annus latet.
(a) *Apologetici cap.* 18. (b) *Ibid. cap.* 23.

Tertull. Oratione circa idem tempus exarato inter laicos ſe ipſum collocat; at Presbyterum poſtea ordinatum fuiſſe certo conſtat, cum & S. Hieronymus id aperte teſtetur, & ipſemet Septimius lib. de anima ſatis indicet, dum ſe a Laicis ſecernit. Ejus ordinationis tempus certum latet; ſolum conſtat ante annum Chriſti 205. inter Presbyteros fuiſſe cooptatum. Ex antiquis Scriptoribus quiſpiam eum Carthaginenſis Eccleſiæ ordinatum (1) Presbyterum dicit, dum alii Presbyterum Romanum appellant, cui opinioni, utpote communiori, & probabiliori adhærendum videtur.

Ejus nominis fama. Quidquid tamen ſit, Tertullianum celebrem clarumque apud omnes Eccleſias reddidere Opera ab ipſo ad Fidelium eruditionem, Catholicorum adverſus Hæreticos dogmatum propugnationem, & Chriſtianorum adverſus Gentilium calumnias defenſionem exarata; quæ & ipſi omnium exiſtimationem, amorem, benevolentiam conciliarunt. Verum (proh dolor!) in propoſito non ſtetit, & occulto Dei judicio, ac permiſſione, tantus Vir, qui Eccleſiæ columna videbatur, in Montaniſtarum errores dilapſus eſt (2), & mulier- Ejus lapſus. cularum viſionibus, & ſomniis in tranſverſum abripi ſe ſivit. Inter antiquos unus Hieronymus (*a*) illius lapſus cauſam pandit, dum ſcribit, ad Montaniſtarum dogma dilapſum invidia, nec non Eccleſiæ Romanæ Clericorum injuriis laceſſitum. Nec a veroſimili abludit, dum itidem ſcribit, etiam Proclum celebrem Montaniſmi defenſorem, cujus virtutem & eloquentiam noverat Tertullianus, & mirabatur, in cauſa ejus defectionis fuiſſe, & eo facilius illum in ſuas traxiſſe partes, quod Montaniſtarum Sectæ auſteritas, & ſeverioris continentiæ ſtudium, & profeſſio, ejus ingenio ardenti, & ſevero, quo in omnia extra modum ferebatur, valde congruebat. Annum tum agebat circiter 45. & ad ſummam perveniſſe ſenectutem fertur, & obiiſſe circa annum Chriſti 245. Factus Montaniſta inceſſanter in Catholicos ceu in viros carnales, & craſſos, Spiritu Dei deſtitutos, qui S. Spiritus operationes dignoſcere non valerent, debacchatus eſt. Verum ſemper in ſua levitate conſtans, ſicut a veritate receſſerat, ita nec in errore firmiter hæſit; ſed poſtquam diu in Montaniſtarum caſtris dimicaſſet, tandem ab eis receſſit novæ Sectæ Coryphæus factus, quæ ex nomine ejus Tertullianiſtarum appellata

(1) Nec probabiliorem, nec magis communem appellare licet opinionem illorum, qui Tertullianum Romanum Presbyterum dicunt, cum potius Carthaginenſem fuiſſe ſentiant plerique Eruditi, Pamelius in Vita Tertulliani, Dupinius Bibliotheca, Sirmondus de Prædeſtinato, Orſi Hiſt. Eccleſ. aliique.

(2) Primi Montaniſtæ nihil immutarunt ex Symbolo. Montanus non ſe Spiritum Sanctum dicebat, ſed Spiritum Sanctum per os ſuum loqui, & Chriſtianos ſuo uti miniſterio ad homines de nova lege & Evangelii perfectione edocendos. Novæ hujuſce legis præcepta præcipua erant, in impudicitiam lapſis denegandam veniam, & communionem; jejunia ſeveriora præter Eccleſiæ morem ſervanda, ſecundas nuptias ceu illicitas reprobandas, & non licere in perſecutionibus fugam arripere.

(a) *De Script. Eccl. cap.* 53.

lata fuit (1). Suos conventus habebat in quadam Baſilica, ad quam populus, ut eum audiret, confluebat. S. Auguſtinus ſcribit: „(*a*) Tertullianiſtæ uſque ad noſtrum tempus paulatim deficientes „in extremis reliquiis durare potuerunt in Urbe Carthaginenſi. „Me autem ibi poſito ante aliquot annos... ex omni parte con-„ſumpti ſunt. Pauciſſimi enim, qui remanſerant, in Catholicam „tranſierunt, ſuamque Baſilicam, quæ nunc etiam notiſſima eſt, „Catholicæ tradiderunt". TERTULL.

Floruit Tertullianus imperante Severo, & Antonino Caracalla; obiit vero imperante Philippo circa annum 245. Obitus circa annum 245.

Ex ejus Operibus plura nobis ſuperſunt. Quæ exaravit adhuc Catholicus, ſunt *de Pœnitentia* (2); *de Baptiſmo; & de Oratione; ad Uxorem libri duo; Apologeticus adverſus gentes*, opus vere aureum; *Tractatus de patientia; De exhortatione ad Martyrium; Ad Scapulam; De teſtimonio animæ*, & etiam, ut probabilius cenſent Eruditi, optimos *de Præſcriptionibus* libros. Factus vero Montaniſta ſequentia conſcripſit Opera; *adverſus Marcionem* libros quinque; Tractatum *de Anima; De Carne Chriſti; De reſurrectione Carnis: Scorpiacum contra Gnoſticos: De corona militis: De Pallio: Adverſus Judæos: Adverſus Praxeam; Adverſus Hermogenem; Adverſus Valentinum* cum brevi libello ad Scapulam (3): Libros de *pudicitia; De fuga in perſecutione; De jejunio adverſus Pſychicos; De Monogamia; & de exhortatione Caſtitatis*. Cætera, quæ Tertulliano tribuuntur, Opera, apocrypha ſunt. In Tertulliani ſcriptis elucet profunda Scripturarum meditatio, ingenium acre, & acutum, ſtylus laconicus, validus, & ſublimis, ſed ſalebroſus & obſcurus, ratiocinatio eloquens, vivida, & rationibus inter ſe cohærentibus, ad evincendum aptiſſimis. Qua de cauſa de Tertulliano ajebat Vincentius Lirinenſis (*b*), *cujus quot pene verba, tot ſententiæ ſunt, quot ſenſus, tot victoriæ*. Illum volvebat aſſidue S. Cyprianus, qui *da Magiſtrum* dicere ſolebat, quotieſcumque Tertullia-

Operum Catalogus.

De ejus ſtylo, & ſcriptis judicium.

---

(1) Docebant, malorum hominum poſt mortem animas in Dæmonia mutari, eaſque cum corpore generari.

(a) *lib. de Hæreſ.*

(2) Gallicus Auctor ſcribit *de Oratione* (de la Priere); verum cum poſtea iterum recenſeat librum de Oratione, puto mendum eſſe vel Amanuenſis, vel Typographi, & legendum *de Pœnitentia*, eo vel maxime quod librum hunc in hoc catalogo non recenſet, cum tamen ejus ſynopſim in ſequenti articulo exhibeat.

(3) Quinam ſit brevis libellus ad Scapulam, non percipio. Paulo ante Auctor noſter inter opera exarata, dum adhuc Catholicus foret Septimius, enumeravit *librum ad Scapulam*; quem poſtea conſcriptum dicit poſt ejus ab Eccleſia Catholica defectionem, cum tamen nonniſi unus ad Scapulam libellus, & quidem breviſſimus inter Tertulliani opera reperiatur. Unus igitur eſt libellus ad Scapulam, quem a Septimio adhuc Catholico conſcriptum putant Eruditi. Mendum itaque obrepſiſſe arbitror Amanuenſis.

(b) *In Commonit.*

TERTULL. tullianum ſignificare volebat. Fatendum tamen, ſæpe plus ſplendoris ineſſe ejus ratiociniis, quam ſoliditatis, & præter modum ſæpe loquitur, efferveſcit, & effertur figuris, & hyperbolis ſcatet. Præ cæteris optimi habentur libri *Apologeticus*, *& de Præſcriptionibus*.

Nobiliores Editiones. Nobiliores Editiones Operum Tertulliani ſunt, Editio Rigaultii, præſertim Veneta anni 1746. in folio. Pamelius, Alixius (1), & Thomas du Foſſé ejus vitam ſcripſere. Rigaultius vero, Albaſpinæus, Petavius, Georgius Ambianenſis Capucinus, pluresque alii eruditi viri eum notis illuſtrarunt neceſſario adeundis frequenter, ut Tertulliani ſcriptis offuſæ tenebræ diſſipentur (2).

Tertulliani Opera omnia catholica, & moralia italico ſermone reddita a D. Selvatica Bargini Nobili Piſana habentur typis edita Romæ apud Nicolaum, & Marcum Pagliarini 1756. Nonnulla alia Opera ſcilicet *adverſus Judæos; De Præſcriptionibus; Contra Hermogenem* ab eadem illuſtri Fœmina in Italicum ſermonem translata edenda promittuntur; num autem edita ſint ignoro. In Florentinis litterariis Foliis lego a C. V. Bottari italico ſermone reddita ea opuſcula, quorum verſionem Bargini omiſerat. *Ex Argelato & Paitonio de' Volgarizatori Biblioteca*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Analyſis Operum Tertulliani.

Analyſis Tractatus de Baptiſmo. BAPTISMI librum ſcripſit Tertullianus adverſus muliereulam quandam Quintillam nomine, quæ hæreſi adhærens Cainitarum (ſoboles erat maleſana Valentinianorum) neceſſitatem Baptiſmi rejiciebat, ejuſque ſimplicitatem deridendam propinabat. Primo itaque aquarum prærogativas, & dignitates enumerat, & extollit, incipiens a Mundi creatione, in qua obſervat, (*a*) quod *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, unde aqua *Divini Spiritus ſedes fuit, gratior ſcilicet tunc cæteris elementis*. Docet „(*b*) nullam eſſe „ diſtinctionem, mari quis an ſtagno, flumine an fonte, lacu an „ alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in „ Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit“. Addit, (*c*) *Angelum Dei Sanctum aquis in ſalutem hominis temperandis adeſſe: (d) egreſſos de lavacro perungi benedicta unctione*, unde & Chriſtiani nomen deſumitur: (*e*) *dein vero manus imponitur per benedictio-*

(1) De hac Tertulliani vita ab Alixio conſcripta legenda Diſſertatio P. Tur S. J., qua eam emendat. Habetur autem in Ephemeridis litterariis Trevoltianis.

(2) Inter Tertulliani Commentatores non omittendus P. de la Cerda procul dubio inter celebriores enumerandus.

(a) *cap.* 3. (b) *cap.* 4. (c) *cap.* 5.
(d) *cap.* 7. (e) *cap.* 8.

dictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum. Quibus verbis Sacramentum indicat Confirmationis. Dicit, ante Parac1iti Spiritus adventum Apoſtolos nonniſi Joannis baptiſmum miniſtrare, (*a*) *qui cæleſte non præſtabat, ſed cæleſtibus præminiſtrabat;* verum putat, (*b*) omnes Apoſtolos baptizatos fuiſſe, licet in *Scripturis eos tinctos non inveniamus in Domino, præter Paulum*. TERTULL.

Baptiſmi neceſſitatem evincit in Novo Teſtamento ex præcepto Chriſti jubentis: *Ite, docete nationes, tingentes eas;* unde inquit: (*c*) *Lex tingendi impoſita eſt, forma præſcripta;* quod confirmat ex comminatione excluſionis a Regno Dei: *niſi quis ex aqua renatus fuerit*. Docet (*d*), *unum omnino eſſe Baptiſmum, quoniam unus Dominus, & unum Baptiſma, & una Eccleſia in Cælis*. Dein ſubdit: „ Circa hæreticos quid ſit cuſtodiendum digne quis „ retractet. Hæretici nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ, „ quos extraneos utique teſtatur ipſa ademptio communicationis... „ quia idem Deus eſt nobis, & illis, nec unus Chriſtus, ideſt i- „ dem, ideoque nec Baptiſmus unus, quia non idem, quem cum „ rite non habeant, ſine dubio non habent “. Hic Tertullianus de illis loquitur hæreticis ſui temporis, quorum plerique aliena utebantur Baptiſmi forma, aut peſſime veram corrumpebant, alium adſtruentes Patrem, & alium Filium in ſenſu plane a Catholico diverſo; & ad alium provocat Tractatum græco idiomate conſcriptum, quem amiſſum dolemus. Addit (*e*): *Eſt quidem nobis etiam ſecundum lavacrum, unum & ipſum, ſanguinis ſcilicet*.

„ (*f*) Dandi Baptiſmum, ſcribit, habet jus ſummus Sacer- „ dos, qui eſt Epiſcopus. Dein Presbyteri & Diaconi, non ta- „ men ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem, quo „ ſalvo, ſalva pax eſt: alioquin etiam laicis jus eſt “, in caſu ſcilicet neceſſitatis; unde ſubdit: „ Sufficiat ſcilicet, ut in neceſſi- „ tatibus utaris, ſicut aut loci, aut temporis, aut perſonæ condi- „ tio impellit... quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſede- „ rit præſtare, quod libere potuit “. Admonet (*g*), *Baptiſmum non temere credendum*, ideſt miniſtrandum, ſed *pro cujuſque perſonæ* conditione, ac *diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio baptiſmi utilior eſt, præcipue tamen circa parvulos, ne ſcilicet* ſponſores periculo ſubjaceant, *qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli. Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, dum quo veniant docentur, fiant Chriſtiani, cum Chriſtum noſſe potuerint*. En mos antiquiſſimus adhibendi ſponſores, qui pro Baptizatis reſpondeant. Verba autem Tertulliani eo ſenſu intelligenda, de Gentilium videlicet infantibus, vel de illis, quorum inſtitutio, cum ad uſum pervenerint rationis, periclitatur. Innuptis quoque procraſtinandum dicit Baptiſma, *donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur. Si qui pondus*

(a) *cap.* 10. (b) *cap.* 12. (c) *cap.* 13.
(d) *cap.* 15. (e) *cap.* 16. (f) *cap.* 17. (g) *cap.* 18.

TERTULL. *intelligant Baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quam dilationem.* „ (*a*) Diem Baptiſmo (ſubdit) ſolemniorem Paſcha præ-
„ ſtat . . . exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium
„ eſt . . . Cæterum omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne
„ tempus habile Baptiſmo, ſi de ſolemnitate intereſt, de gratia
„ nihil refert . . . (*b*) Ingreſſuros baptiſmum orationibus crebris,
„ jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, &
„ cum confeſſione omnium retro delictorum . . . Nobis gratulan-
„ dum eſt, ſi non publice confiteamur ".

Analyſis libri de Pœnitentia. In libro de Pœnitentia principio de Pœnitentia generatim pertractat, eamque *neceſſariam* adſtruit (*c*) *pro omnibus delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis.* Dein de illa loquitur Pœnitentia, quæ Baptiſmo eſt præmittenda; & ait, ſe primo de Catechumenis loqui, (*d*) qui *certi indubitatæ veniæ delictorum* per Baptiſmum *modicum tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi. Quam porro ineptum* (ſubdit) *quam pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere?* Poteſtis quidem veſtris pollicitationibus Baptiſmi miniſtros fallere; at minime Deum, *qui theſauro ſuo providet, nec ſinit obrepere indignos* . . . & ideo poſt Baptiſmum *multi excidunt, & a multis donum illud aufertur* . . . *Non ideo abluimur, ut delinquere deſinamus, ſed quia deſiimus, quoniam jam corde loti ſumus* . . . Si enim *ab aquis peccare deſiſtimus, neceſſitate, non ſponte innocentiam induimus.*

Ad tractandum progreditur de Pœnitentia poſt Baptiſmum, cujus tamen loqui ipſum piget, (*e*) ne *retractans de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videatur.* Sed Deus nequitiam Satanæ noſcens, *quia a via certa perverſis traditionibus, ſcandalis, & tentationibus pervertere non deficit* . . . *clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa aliquid adhuc permiſit patere, collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, ſed jam ſemel; quia jam ſecundo, ſed amplius numquam.* Porro loquitur Tertullianus de publica Pœnitentia, quæ, ut norunt Theologi, nonniſi ſemel in Eccleſia concedebatur. Poſtea ſequitur: „ (*f*) Hujus pœnitentiæ ſecundæ, & unius, quanto in
„ arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola
„ conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is
„ actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur,
„ *exhomologeſis* eſt . . . proſternendi, & humilificandi hominis diſci-
„ plina, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo
„ quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare,
„ corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere; . . cæ-
„ terum, paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed
„ animæ cauſa, plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere,
„ lacry-

(a) *cap.* 19. (b) *cap.* 20. (c) *cap.* 4.
(d) *cap.* 6. (e) *cap.* 7. (f) *cap.* 9.

„ lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum; „ Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere “. Poſtea in eos invehitur, qui pœnitentiam *ſuffugere*, *aut de die in diem differre præſumunt vel ob erubeſcentiam*, aut *ob pœnarum*, & laborum timorem.

TERTULL.

Analyſis libri de Oratione.

In libro de Oratione nonnullas ſuperſtitiones reprobat, quæ inter fideles irrepſerant ſine ullius Dominici, & Apoſtolici præcepti auctoritate, & ad Gentilium imitationem, quod ſufficere debet ut rejiciantur. Quidam enim nonniſi abluto corpore, *vel ſaltem manibus*, *orationes edere* non audebant, quod ſe præſtare dicebant ad memoriam illius, quod geſſit Pilatus, qui manus abluit, cum Dominum tradidit Judæis. Alii vero nonniſi *poſitis penulis orationem faciebant*, alii poſt orationem ſedendum putabant, alii denique nonniſi elata voce orabant. Mos erat tunc temporis apud Chriſtianos poſt orationem publico pacis oſculo ſe mutuo conſalutare, exceptis diebus ſolemnioris jejunii, ut in nocte Paſchatis, in quo, ſcribit, *communis & quaſi publica jejunii religio eſt*, *merito deponimus oſculum*. Illos autem reprehendit, qui privatim jejunantes *ſubtrahunt oſculum pacis*, ſicut & illos, qui de *ſtationum diebus non putant ſacrificiorum orationibus interveniendum*, *quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Chriſti*, ideſt quia ſolvendum erat jejunium, nimirum ob agapem, aut communes epulas, quæ ſequebantur.

Analyſis librorum ad Uxorem.

In primo ad Uxorem libro eam totis viribus hortatur (*a*), ut poſt ſui obitum, ſi forte prius vocatus fuerit, ſecundis nuptiis renunciet, non quidem illi *aliquid iſto nomine collatura*, ſed *quod ſibi proderit*. Subdit (*b*), cæteros homines *ſive carnis*, *ſive ſæculi*, *ſive poſteritatis gratia nubere*, *at nihil ex iſtis neceſſitatibus competere ſervis Dei*, quippe qui ſatis habent *uno matrimonio concupiſcentiam expiaſſe*, qui, *ſi quos habuerint liberos*, *præmittere optant*, *qui & ipſi de iniquiſſimo iſto ſæculo eximi & recipi ad Dominum* deſiderant. Notat etiam, plures ex Chriſtianis (*c*) *ſtatim a lavacro carnem ſuam obſignare*, videlicet caſtitatem poſt Baptiſmum amplecti, alios vero *conſenſu pari inter ſe matrimonii debitum tollere*.

In altero vero illam monet, ut, ſi poſt ejus obitum nubere velit, nonniſi viro Chriſtiano jungatur; & oſtendit, non licere Fidelibus cum infidelibus connubia inire; licet ſit fideli conceſſum cum infideli morari, ſi forte ante Baptiſmum Matrimonio fuerint juncti. Ad ita ſcribendum ſe compulſum dicit (*d*), quod *aliquæ illis diebus nuptias ſuas de Eccleſia abſtulerint*, *& Gentili ſe conjunxerint*. Verba Apoſtoli ſcribentis: *Mulier defuncto viro libera eſt; cui vult*, *nubat*, *tantum in Domino*, expendit, & adprobat, & obſervat per illa verba *in Domino* ſignificare *in nomine Domini*,

G 2 quod

(a) *cap.* 2. (b) *cap.* 5.
(c) *cap.* 6. (d) *cap.* 2.

TERTULL. *quod eſt indubitate, Chriſtiano* nubendum. Deinde matrimonii fidelis cum infideli pericula expendit, & damna dicens, (*a*) *Uxorem cogi Marito Gentili Gentilia officia exhibere, formam, extructiorem, munditias ſæculares, blanditias turpiores, ipſa etiam Matrimonii ſecreta maculoſa: non ut penes Sanctos officia ſexus cum honore ipſius neceſſitatis tanquam ſub oculis Dei modeſte & moderate tranſiguntur.*

„ (*b*) Sed viderit (ſequitur) qualiter viro officia pendat. Domino certe non poteſt pro diſciplina ſatisfacere habens in latere Diaboli ſervum, procuratorem domini ſui ad impedienda fidelium ſtudia, & officia. Ut ſi ſtatio facienda eſt, & maritus de die condicat ad balneas; jejunia obſervanda ſunt, maritus eadem die convivium exerceat; ſi procedendum erit, numquam magis familiæ occupatio obveniat. Quis enim ſinat, conjugem viſitandorum fratrum gratia vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, a latere ſuo adimi libenter ferat? Quis denique ſolemnibus Paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebit? Quis ad convivium dominicum illud, quod infamant, ſine ſua ſuſpicione dimittet? Quis in carcerem ad oſculanda vincula Martyrum reptare patietur? aquam Sanctorum pedibus offerre? de cibo, de poculo invadere, deſiderare, in mente habere? Si peregre frater adveniat, quod in aliena domo hoſpitium? Si cui largiendum erit horreum, proma præcluſa ſunt".

„ (*c*) Sed aliquis ſuſtinet noſtra, nec obſtrepit. Hoc eſt igitur delictum, quod Gentiles noſtra noverunt, quod ſub conſcientia injuſtorum ſumus . . . Latebis ne tu, cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas? cum aliquid immundum flando explodis, cum etiam per noctem exſurgis oratum, & non Magiæ aliquid videberis operari? Non ſciet Maritus, quid ſecreto ante omnem cibum ſumis? & ſi ſciverit, panem non illum credet eſſe, qui dicitur". His verbis Tertullianus Euchariſtiam indicat, quam Chriſtiani domum deferebant quotidie ſumpturi: hinc apparet, & tunc temporis a jejunis ſumendam Euchariſtiam, & ſub una ſpecie panis dari & miniſtrari conſueviſſe. Gentiles calumniabantur hunc panem ſanguine Infantis imbutum, & quia ſecrete cuſtodiebatur, maleficii ſuſpicionem augebat.

Proſequitur exponere conjugii incommoda, quæ ſubit fœmina coacta in domo ſuperſtitionibus repleta morari, & prophanis intereſſe conviviis. „ (*d*) Quid Maritus ſuus illi, vel Marito quid illa cantabit? Audiet ſane, audiet aliquid de ſcena, de taberna, de ganea. Quæ Dei mentio? Quæ Chriſti invocatio? Ubi fomenta Fidei de Scripturarum interlectione? Ubi ſpiritus? Ubi

„ divi-

(a) *cap.* 3. (b) *cap.* 4.
(c) *cap.* 5. (d) *cap.* 6.

„ divina benedictio?... Hoc ſigni erit, quod ſolis pejoribus pla- Tertull.
„ cet nomen chriſtianum “: & infirmiores fœminæ maritum gentilem vel quærunt, vel accipiunt, & quidem *commatrona nomine inflatæ, ut campum, in quo ambitio decurrat, reperiant*. (*a*) „ Unde niſi a Diabolo Maritum petant bonum exhibendæ Sellæ, & „ Mulabus, & cinerariis peregrinæ proceritatis, Chriſtianus iſta etiam dives fortaſſe non præſtet “. Concludit denique (*b*) exhibens uxori *felicitatem ejus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renuntiant*, & pater ratum habet... „ Quale jugum fidelium duorum unius ſpei, unius voti, unius diſciplinæ, ejuſdem ſervitutis? Simul orant, ſimul volutantur, & „ ſimul jejunia tranſigunt... in Eccleſia Dei pariter utrique, in „ convivio Dei pariter, in anguſtiis, in refrigeriis neuter alterum „ celat, neuter alteri gravis eſt. Libere æger viſitatur, indigens „ ſuſtentatur; eleemoſynæ ſine tormento; Sacrificia ſine ſcrupulo... Sonant inter duos Pſalmi, & Hymni, & mutuo provocant, quis melius Deo ſuo cantet “. Ex hac narratione apparet, quinam eſſet vitæ Chriſtianorum tenor, & habitus.

Tertulliani Apologeticus vulgatus eſt circa annum Chriſti 200. quando Severus adhuc fautores rebellionis Nigri, & Albini perſequebatur. Veroſimilius eſt, fuiſſe Carthagine compoſitum; & revera non ad ſolum Senatum, ſed ad Proconſulem Africæ, & ad univerſos Provinciarum Præfectos ſcribitur: modo enim ſermonem ad Romanum Senatum dirigit, modo Proconſules alloquitur, qui nonniſi in Provinciis Magiſtratum gerebant, & certe omnes Magiſtratus compellat, ubi poſtquam dixit leges jubere *malos erui, non abſcondi*, ſubdit: (*c*) *Hoc Senatus conſulta, hoc Principum mandata definiunt, hoc Imperium, cujus miniſtri eſtis*.

Analyſis Apologetici. Quo tempore ſcriptus. Quibus oblatus.

Lactantius, Euſebius, S. Hieronymus Apologeticum ſub Tertulliani nomine citant, & in antiquiſſimis Codicibus illius legitur nomen. Summo ſemper in pretio habitus fuit libellus iſte, adeo ut Euſebii temporibus in græcam linguam translatus fuerit. Unum deſideratur, nimirum accuratior ordo in rebus; nam cæteroquin Septimius ſummam in ſcripto ſuo modeſtiam, & humilitatem oſtendit, nihilque in eo habetur, quod non ſit Chriſtiano Scriptore dignum.

De eo judicium.

Principio itaque Tertullianus iniquitatem oſtendit illorum, qui ſola audita confeſſione nominis, non examinata cauſa criminis, Chriſtianos damnant: (*c*) *Si certum eſt*, inquit, *nos nocentiſſimos eſſe, cur a vobis ipſis aliter tractamur, ac pares noſtri, ideſt cæteri nocentes?* hi ſiquidem *& proprio ore, & mercenaria advocatione utuntur ad innocentiæ ſuæ commendationem, nec licet indefenſos, & inauditos omnino damnari*. „ Sed Chriſtianis ſolis nihil „ permittitur loqui, quod cauſam purget... ſed illud ſolum expe„ ctatur, quod odio publico neceſſarium eſt, confeſſio nominis,

(a) *cap.* 8. (b) *cap.* 9. (c) *cap.* 2. (d) *cap.* 2.

TERTULL.

„ non examinatio criminis; quando ſi de aliquo nocente cognoſci-
„ tis, non ſtatim confeſſo eo nomen homicidæ, vel ſacrilegi, vel
„ inceſti, vel publici hoſtis contenti ſitis ad pronunciandum, niſi
„ & conſequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum,
„ tempus, conſcios, ſocios ".

Reſcriptum Trajani ad Plinium refert, ejuſque abſurditatem oſtendit, qui indixerat (*a*), *hoc genus inquirendos quidem non eſſe, oblatos vero puniri oportere, quaſi aliud eſſet actura inquiſitio, quam oblatio*. Deinde ſic progreditur: „ Itaque nec in illo ex forma ma-
„ lorum judicandorum agitis erga nos, quod cæteris negantibus ad-
„ hibetis tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum...
„ Vociferatur homo, *Chriſtianus ſum*, quod eſt dicit, veritatis ex-
„ torquendæ Præſides de nobis ſolis mendacium elaboratis audire.
„ Plane aliis negantibus non facile fidem accommodatis; nobis, ſi
„ negaverimus, ſtatim creditis. Suſpecta ſit vobis iſta perverſitas,
„ ne qua vis lateat in occulto, quæ vos adverſus formam, adver-
„ ſus naturam judicandi contra ipſas quoque leges miniſtret... A-
„ pud Tyrannos tormenta etiam pro pœna adhibentur, apud quos
„ ſoli quæſtioni temperatur: veſtram illis ſervate legem uſque ad
„ confeſſionem, ſi confeſſione præveniantur, vacabunt ... Chriſtia-
„ num hominem omnium ſcelerum reum, Deorum, Imperatorum,
„ legum, morum, naturæ totius inimicum exiſtimas, & cogis ne-
„ gare, ut abſolvas? prævaricaris in leges.

„ (*b*) Quid quod ita plerique clauſis oculis in odium noſtrum
„ impingunt, ut bonum alicui teſtimonium ferentes admiſceant no-
„ minis exprobrationem? Bonus vir Cajus Sejus, ſed malus tan-
„ tum quod Chriſtianus. Item alius: Ego Lucium ſapientem vi-
„ rum repente factum Chriſtianum miror... laudant, quæ ſciunt;
„ vituperant, quæ ignorant; & id, quod ſciunt, eo, quod igno-
„ rant, corrumpunt ".

Reſpondet deinde objectioni ex legibus deſumptæ (*c*), quas violare dicebantur Chriſtiani, & oſtendit, humanas leges erroribus obnoxias, ac proinde non ſemel mutari, tolli, aboleri... „ (*d*)
„ Ut de origine (ſcribit) aliquid retractemus hujuſmodi legum,
„ vetus erat Decretum, ne qui Deus ab Imperatore conſecraretur,
„ niſi a Senatu probatus... Tiberius ergo, cujus tempore nomen
„ Chriſtianum in ſæculum introivit, annunciatum ſibi ex Pa-
„ læſtina, quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, de-
„ tulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia
„ non ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit commi-
„ natus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Conſulite Com-
„ mentarios veſtros; illic reperietis primum Neronem in hanc ſe-
„ ctam tum maxime Romæ orientem cæſariano gladio ferociſſe;
„ ſed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Tenta-
„ verat

(a) *cap.* 2. (b) *cap.* 3.
(c) *cap.* 4. (d) *cap.* 5.

„ verat Domitianus portio Neronis de crudelitate, ſed qua & ho- TERTULL.
„ mo facile cœptum repreſſit, reſtitutis etiam, quos relegave-
„ rat (*a*). Tales ſemper nobis inſecutores injuſti, impii, turpes,
„ quos & ipſi damnare conſueſtis. Cæterum de tot exinde Princi-
„ pibus uſque ad hodiernum, divinum, humanumque ſapientibus
„ edite aliquem debellatorem Chriſtianorum. At nos e contrario
„ edimus Protectorem. Si litteræ M. Aurelii graviſſimi Imperato-
„ ris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum
„ forte militum precationibus impetrato imbre diſcuſſam conteſta-
„ tur;... quales ergo leges iſtæ, quas adverſus nos ſoli exequun-
„ tur impii, injuſti, turpes, truces, vani, dementes? Quas Tra-
„ janus ex parte fruſtratus eſt, vetando inquiri Chriſtianos, quas
„ nullus Adrianus, nullus Veſpaſianus, nullus Pius, nullus Seve-
„ rus impreſſit". Deinde oſtendit & ipſas de Religione latas leges Romæ non obſervari ſubdens: quas *proſpecte decreverant Patres veſtri, iidem vos obſequentiſſimi reſcidiſtis*. Siquidem *Serapidem, & Iſidem & Harpocratem cum ſuo cynocephalo, Capitolio prohibitos inferri, everſis etiam aris eorum, vos reſtitutis, ſummam majeſtatem contuliſtis*.

(*b*) Calumnias quoque retundit de infantibus occiſis, de eſu humanæ carnis, & de inceſtis, quas primo oſtendit nullo argumento fulciri, nullo teſte, nulla probatione, immo & ab omni veriſimilitudine longius diſtare; deinde ſubdit: „ (*c*) Hæc quo magis refuta-
„ vero, a vobis fieri oſtendam partim in aperto, partim in occul-
„ to, per quod forſitan & de nobis credidiſtis. Infantes penes A-
„ fricam Saturno immolabantur palam uſque ad Proconſulatum Ti-
„ berii, qui ipſos Sacerdotes in iiſdem arboribus templi ſui obum-
„ bratricibus ſcelerum votivis crucibus expoſuit, teſte militia Pa-
„ triæ noſtræ, quæ id ipſum munus illi Proconſuli functa eſt. Sed
„ & nunc in occulto perſeverat hoc ſacrum facinus . . . cum filios
„ ſuos ipſi parentes offerant, & libantes exponunt, & infantibus
„ blandiuntur, ne lacrymantes immolentur. Major ætas apud Gal-
„ los Mercurio proſecatur. (*d*) Ecce in illa religioſiſſima Urbe
„ Æneadarum piorum, eſt Jupiter quidam, quem ludis ſuis huma-
„ no proluunt ſanguine". Ut vero oſtendat, quam longe ab humano ſanguine abſint Chriſtiani, ſubdit: „ Erubeſcat error veſter
„ Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſcu-
„ lentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis, & morticiniis
„ abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur vel inter viſcera ſe-
„ pulto. Inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore di-
„ ſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos,
„ per quod exorbitare eos vultis". Revera tunc temporis adhuc vigebat canon Apoſtolicus, quo præcipiebatur, ut Chriſtiani a ſuffocato abſtinerent, & ſanguine, quique etiam diu poſtea perduravit.

G 4 Refu-

(a) *cap.* 6. (b) *cap.* 7.
(c) *cap.* 8. (d) *cap.* 9.

TERTULL.

Refutatis calumniis, ad manifeſtas purgandas accuſationes progreditur. Capitalium ſiquidem criminum poſtulabantur Chriſtiani, ſacrilegii nimirum, & læſæ Majeſtatis, quia Gentilium Numina colere detrectabant, ac pro Imperatoribus ſacrificia offerre recuſabant. Quæ ſic diluit Septimius: „ (*a*) Deos veſtros colere deſinimus, ex quo illos non eſſe cognoſcimus.... Sed nobis, inquitis, dii ſunt. Appellamus, & provocamus a vobis ad conſcientiam veſtram, illa nos judicet, illa nos damnet; ſi poterit negare, omnes iſtos Deos veſtros homines fuiſſe“. Quod oſtendere pergit a Saturno incipiens, & a Jove; poſtea ſubdit: „ (*b*) Et quia ſicut illos homines fuiſſe non audetis negare, ita poſt mortem Deos factos inſtituiſtis aſſeverare, cauſas, quæ hoc exegerint, retractemus. In primis neceſſe eſt concedatis, eſſe aliquem ſublimiorem Deum, & mancipem quemdam Divinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit. Nam neque ſibi illi potuiſſent ſumere Divinitatem, quam non habebant, nec alius præſtare eam non habentibus, niſi qui proprie poſſidebat.... Certe quidem ſi ipſi ſe facere potuiſſent, nunquam homines fuiſſent .... Igitur ſi eſt, qui faciat Deos, revertor ad cauſas examinandas faciendorum ex hominibus Deorum, nec ullas invenio, niſi ſi miniſteria, & auxilia officiis divinis deſideravit ille magnus Deus. Porro indignum eſt, ut alicujus opera indigeret, & quidem mortui, cum dignius ab initio Deum aliquem feciſſet . . . Totum enim hoc Mundi corpus ſive innatum, & infectum ſecundum Pythagoram, ſive natum, & factum ſecundum Platonem . . . . nihil Saturnum, & Saturni gentem expectabat. Vani erunt homines, niſi certi ſint a primordio & pluvias de cælo ruiſſe, & ſydera radiaſſe, & lumina floruiſſe, & tonitrua mugiſſe, & ipſum Jovem, quæ in manu ejus ponitis, fulmina timuiſſe. Item omnem frugem ante Liberum, & Cererem, & Minervam, immo ante illum aliquem principem hominem de terra exuberaſſe.... Cæterum, ſi propterea Liber Deus, quod vitem demonſtravit, male cum Lucullo actum eſt, qui primus ceraſa ex Ponto Italiæ promulgavit.... Sed convertimini ad cauſam aliam, reſpondentes collationem divinitatis meritorum remunerandorum fuiſſe rationem. Et hinc concedetis opinor, illum Deum Deificum juſtitia præcellere, qui nec temere, nec indigne, nec prodige tantum præmium diſpenſarit. Volo igitur merita recenſere, an ejuſmodi ſint, ut illos in Cælum extulerint, & non potius in imum Tartarum merſerint.... illuc enim abſtrudi ſolent impii quique in parentes, & in ſorores inceſti, & maritorum adulteri, & Virginum raptores, & puerorum contaminatores, & qui ſæviunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt, & quicunque ſimiles ſunt alicujus Dei veſtri.... Sed probi, integri, boni fuerint, quot tamen potiores viros apud inferos

(a) *cap.* 10. (b) *cap.* 11.

„ ros reliquiſtis ? aliquem de ſapientia Socratem, de juſtitia Ariſtidem, de militia Themiſtoclem, de ſublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Crœſum, de eloquentia Demoſthenem. Quis ex illis Diis veſtris gravior, & ſapientior Catone? Juſtior, & militarior Scipione ? Quis ſublimior Pompejo, felicior Sylla, copioſior Crœſo, eloquentior Tullio?... (*a*) Quantum igitur de Diis veſtris, nomina ſolummodo video quorundam veterum mortuorum, & fabulas audio.... quantum autem de ſimulacris ipſis, nihil aliud deprehendo, niſi materiem illam *vaſculorum*, *inſtrumentorumque communium ... poſſumus enim videri lædere eos, quos certi ſumus omnino non eſſe. (b) Sed nobis Dii ſunt, inquitis. Et quomodo vos e contrario impii, & ſacrilegi, & irreligioſi erga Deos veſtros deprehendimini?* Et hic plura indigna, & turpia recenſet Tertullianus in Deos admiſſa, & Diis tributa, & præſertim in ſpectaculis, (*c*) ubi non raro ridendi propinabantur, & argumenta, & hiſtorias, & ſcenas ſuppeditabant. Dein vero ſic progreditur: „ Quid ergo colunt, qui iſta non colunt? Hoc prius capite, & omnem hinc Sacramenti noſtri ordinem haurite, repercuſſis ante tamen opinionibus falſis. (*d*) Nam quidam ſomniaſtis, caput aſininum eſſe Deum noſtrum. Hanc Cornelius Tacitus ſuſpicionem hujuſmodi inſeruit .... Sunt & qui Crucis nos religioſos putant .... Alii plane humanius, & veroſimilius Solem credunt Deum noſtrum, quod innotuerit, nos ad Orientis regionem precari, & diem Solis lætitiæ indulgemus. Sed alia longe ratione, quam religione Solis ". Quibus verbis indicat Dominicæ diei feſtivitatem, & proſequitur.... „ Sed nova jam Dei noſtri in iſta civitate editio publicata eſt, ex quo quidam fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam expoſuit cum ejuſmodi inſcriptione: *Deus Chriſtianorum ononychites*. Is erat auribus aſininis altero pede ungulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus & nomen, & formam.... Quæ omnia converſi jam ad demonſtrationem Religionis noſtræ repurgavimus.

TERTULL.

„ (*e*) Quod colimus nos, Deus unus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum verbo quo juſſit, ratione qua diſpoſuit, virtute qua potuit, de nihilo expreſſit in ornamentum Majeſtatis ſuæ .... Vultis eum cognoſcere? Poteſtis ex operibus ipſius tot ac talibus, quibus continemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur. Vultis ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus? Quæ licet.... inſtitutionibus pravis circumſcripta, licet libidinibus, & concupiſcentiis evigorata, licet falſis Diis exancillata, cum tamen reſipiſcit, & ſanitatem ſuam potitur, Deum nominat: „ exclamans, *quod Deus dederit*, *Deus videt*, *Deo commendo*, *& Deus mihi reddet*. O teſtimonium animæ naturaliter chriſtianæ!

(a) *cap.* 12. (b) *cap.* 13.
(c) *cap.* 15. (d) *cap.* 16. (e) *cap.* 17.

TERTULL.

„ ſtianæ! Denique pronuncians hæc non ad Capitolium, ſed ad „ Cælum reſpicit.

„ (*a*) Sed quo plenius tam ipſum, quam voluntatem ejus adi- „ remus, inſtrumentum adjecit litteraturæ... Viros enim juſtitia, „ & innocentia dignos Deum noſſe, & oſtendere a primordiis in „ ſæculum emiſit, Spiritu divino inundatos, quo prædicarent, „ Deum unicum eſſe, qui univerſa condiderit, qui hominem de „ humo ſtruxerit .... qui ſæculum certis temporum diſpoſitionibus „ & exitibus ordinaverit .... quas demerendo ſibi diſciplinas deter- „ minavit, quas ignoratis & deſeritis .... qui producto ævo iſte „ judicaturus ſit ſuos cultores in vitæ æternæ retributionem, pro- „ phanos in ignem æque perpetem ac jugem .... Hæc & nos ri- „ ſimus aliquando. De veſtris fuimus; fiunt, non naſcuntur Chri- „ ſtiani".

Deinde narrat, libros ſermones, vaticinia, & miracula Prophetarum referentes, jubente Ptolomæo Philadelphio, *in græcum ſtylum fuiſſe translatos*, & *hodie*, ſubdit, *apud Serapæum Ptolomæi Bibliothecæ cum ipſis hebraicis litteris exhibentur*. (*b*) Eorum librorum pondus, & auctoritatem confirmat ex antiquitate Moyſis, qui omnes Gentiles Hiſtoricos longe præceſſit, *immo ipſas gentes pleraſque*, & *urbes inſignes*, *immo* & *ipſos Deos*, *ipſa Templa*, *ipſa oracula*. *Hæc quibus* (addit) *ordinibus probari poſſint*, *non tam difficile eſt nobis exponere*, *quam enorme*, *nec arduum*; & longiori facta enumeratione Auctorum, iſta ſua auctoritate confirmantium, concludit: *quaſi partem probationis attulimus*, *cum per quæ probari poſſint*, *aſperſimus*.

Deinde ab auctoritate ſacrorum librorum ad veritatem, & complementum vaticiniorum oſtendendum dilabitur. (*c*) Et ne dicerent Gentiles, Judæorum antiquitate ſuæ ſectæ novitatem Chriſtianos tegere, & incruſtare, oſtendit utramque unam eſſe, & eamdem omnino Religionem, & Chriſti Divinitatem his verbis explicat:

„ (*d*) Judæis erat apud Deum gratia, ubi & inſignis juſtitia, & „ fides originalium Auctorum, unde illis & generis magnitudo, & „ regni ſublimitas floruit, & tanta felicitas, ut Dei vocibus, qui- „ bus edocebantur, de promerendo Deo, & non offendendo præmo- „ nerentur. Sed quanta deliquerint, fiducia Patrum inflati, devi- „ antes a diſciplina in prophanum modum, etſi ipſi non confite- „ rentur, probaret exitus hodiernus ipſorum, diſperſi, palabundi, „ cæli, & ſoli ſui extorres vagantur per orbem ſine homine, ſine „ Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem „ veſtigio ſalutare conceditur. Cum hæc illis ſanctæ voces præmi- „ narentur, eadem fere ſemper omnes ingerebant, fore ut ſub exti- „ mis curriculis ſæculi, ex omni jam gente, & populo cultores „ ſibi adlegeret Deus multo fideliores, in quos gratiam transferret „ ple-

(a) *cap.* 18. (b) *cap.* 19.
(c) *cap.* 20. (d) *cap.* 21.

„ pleniorem quidem ob diſciplinæ auctoris capacitatem. Venit i- „ gitur, qui ad reformandam, & illuminandam eam venturus a „ Deo prænuntiabatur Chriſtus ille filius Dei .... non quidem ita „ genitus, ut erubeſcat in filii nomine; nec quid ſimile paſſus „ iis, quæ de Jove veſtro narratis.... ſed prius ſubſtantiam ediſ- „ ſeram, & ita nativitatis qualitas intelligetur. TERTULL.

„ Jam ediximus, Deum univerſitatem hanc Mundi Verbo & ra- „ tione, & virtute molitum. Apud veſtros quoque Sapientes *Lo-* „ *gon*, ideſt ſermonem, atque rationem conſtat artificem videri u- „ niverſitatis.... Nos etiam ſermoni, atque rationi, itemque vir- „ tuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam ſubſtan- „ tiam ſpiritum inſcribimus.... hunc ex Deo prolatum didicimus, „ & prolatione generatum, idcirco *filium Dei*, & *Deum* dictum „ ex unitate ſubſtantiæ, nam & Deus Spiritus. Etiam cum radius „ ex Sole porrigitur, non ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur: ita „ de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine ac- „ cenſum.... Ita & quod de Deo profectum eſt, Deus eſt, & „ Dei filius, & unus ambo: ita de Spiritu Spiritus, & de Deo „ Deus, modulo alterum, non numero, gradu, non ſtatu fecit, & „ a matrice non receſſit, ſed exceſſit. Iſte igitur Dei radius, ut „ retro ſemper prædicabatur, delapſus in virginem quandam, & „ in utero ejus caro figuratus naſcitur homo Deo mixtus. Caro „ ſpiritu inſtructa nutritur, adoleſcit, afflatur, docet, operatur, „ & Chriſtus eſt. Recipite interea hanc fabulam (1). Similis eſt „ veſtris, dum oſtendimus, quomodo Chriſtus probetur".

Narrat deinde, quomodo illum Judæi oderint, & ſint perſequu- ti; & de ejus morte loquens, ſcribit: „ Tamen ſuffixus multa „ mortis illius propria oſtendit inſignia. Nam ſpiritum cum verbo „ ſponte dimiſit, præeunte carnificis officio. Eodem momento dies, „ medium orbem ſignante ſole, ſubducta eſt. Deliquium utique „ putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcie- „ runt. Et tamen eum Mundi caſum relatum in Archivis veſtris „ habetis". Narrat deinde ejus Reſurrectionem, & Aſcenſionem, & ſubdit: „ Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua „ conſcientia chriſtianus Cæſari tunc Tiberio nunciavit. Sed & „ Cæſares crediſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæ- „ culo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares... „ Interim hic eſt ordo noſtræ inſtitutionis: hunc edidimus & ſe- „ ctæ, & nominis cenſum cum ſuo auctore. Nemo jam infamiam „ incutiat, nemo aliud exiſtimet, quia nec fas eſt ulli de ſua reli- „ gione mentiri... Dicimus, & palam dicimus, & vobis torquen- „ tibus lacerati, & cruenti vociferamur, *Deum colimus per Chri-* „ *ſtum*. Illum hominem putate, per eum & in eo ſe cognoſci vult „ Deus, & coli...., Judæi & ipſi Deum per hominem Moyſem „ cole-

(1) Fabulam appellare non veretur, dummodo hac blanditione verbi Chriſtus doceatur. *Jacob. Pamel. in Not.*

Tertull.

„ colere didicerunt. Ut Græcis occurram, Orpheus Pieriæ, Muſæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ initiationibus homines obligaverunt. Ut ad vos quoque dominatores gentium adſpiciam, homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operoſiſſimis ſuperſtitionibus oneravit. Licuerit & Chriſto commentari divinitatem rem propriam, non qui rupices, & adhuc feros homines multitudine tot numinum demerendorum attonitos efficiendo ad humanitatem temperaret, quod Numa, ſed qui jam expolitos & ipſa urbanitate deceptos in agnitionem veritatis ocularet “. Conſtituta Chriſtianæ Religionis veritate, falſarum Sectarum originem detegit, naturam explicat Dæmonum, eorum in tentandis hominibus ſtudia, oracula falſa, & ſeductoria, prodigia mendacia & phantaſtica, ut *numina lapides crederentur*, *& Deus verus non quæreretur*. Subdit vero: „ (*a*) Sed hactenus verba, jam hinc demonſtratio rei ipſius.... Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem Dæmone agi conſtet. Juſſus a quolibet Chriſtiano loqui Spiritus ille tam ſe Dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falſo. Æque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati exiſtimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando conantur, qui anhelando profantur .... niſi ſe Dæmones confeſſi fuerint, Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius Chriſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite. Quid iſto opere manifeſtius?... Si vere Dei ſunt, cur ſe ſe Dæmonia mentiuntur? an ut nobis obſequantur? Si Dæmones ſunt, vel Angeli, cur ſe alibi pro Diis agere reſpondeant?

„ (*b*) Omnis iſta confeſſio illorum, qua ſe Deos negant eſſe, quaque non alium Deum reſpondent præter unum, cui nos mancipamur, ſatis idonea eſt ad depellendum crimen læſæ maxime Romanæ Religionis. Si enim non ſunt Dii pro certo, nec Religio pro certo eſt.... At e contrario in vos exprobratio reſultavit, qui mendacium colentes veram Religionem veri Dei non modo negligendo, quin inſuper expugnando in Deum verum committitis crimen veræ irreligioſitatis. Nam ut conſtaret illos Deos eſſe, nonne conceditis de æſtimatione communi aliquem eſſe ſublimiorem, & potentiorem, veluti principem mundi, perfectæ peritiæ, & majeſtatis?... oportet quidem & præfectos, & præſides pariter ſuſcipi, & tamen quod facinus admittit, qui magis ad Cæſarem promerendum operam & ſpem ſuam transfert? nec appellationem Dei ita ut Imperatoris in alio quam principe confitetur .... Videte ne & hoc ad irreligioſitatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem divinitatis.... unicuique provinciæ & civitati ſuus eſt Deus.... ſed nos ſoli arcemur a Religionis proprietate;... ſed apud vos quodvis colere jus eſt, præter verum Deum “.

Genti-

(a) *cap.* 23. (b) *cap.* 24.

Gentilium vanitatem, & errorem retundit, qui Imperii ſui amplitudinem & magnificentiam Deorum ſuorum beneficiis deputabant, veluti merces & præmium cultui, & honoribus illis exhibitis repenſum. Oſtendit ſiquidem, Deos extraneos & peregrinos nullam rationem habere poſſe Romanorum ſibi hoſtium & infenſorum; Deos vero Latinos ſummis honoribus ſolum cultos, quando Romanorum crevit potentia, & exuberavit, nam Numa imperante „ (*a*) nondum aut ſimulacris, aut templis res divina apud Ro„ manos conſtabat, frugi Religio, & pauperes ritus, & nulla Ca„ pitolia certantia Cælo, ſed de ceſpite altaria, & vaſa adhuc „ Samia, & nidor ex illis, & Deus ipſe nuſquam; nondum enim „ ingenia Græcorum, aut Thuſcorum fingendis ſimulacris urbem in„ undaverant ".

TERTULL.

Crimen læſæ Majeſtatis humanæ poſtea depellere aggreditur, longe quidem auguſtioris penes Paganos; ſiquidem *majore formidine, & callidiori timiditate Cæſarem obſervabant, quam ipſum de Olympo Jovem, & citius apud ipſos per omnes Deos, quam per unum genium Cæſaris pejeratur*. Dicit itaque: „ (*b*) Nos pro ſa„ lute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, „ Deum vivum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præ cæ„ teris malunt, Cælum ſuſpicientes manibus expanſis, capite nu„ do, ſine monitore precantes ſumus ſemper pro omnibus Impera„ toribus, vitam ipſis prolixam, Imperium ſecurum, domum tu„ tam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, Or„ bem quietum, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt. „ Hæc ab alio orare non poſſum, quam a quo ſcio conſecuturum, „ qui ei offero opimam, & majorem hoſtiam, quam ipſe manda„ vit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu „ Sancto profectam; non grana thuris unius aſſis, non arabicæ ar„ boris lacrymas, non duas meri guttas, nec ſanguinem reprobi „ hominis mori optantis, & poſt omnia inquinamenta etiam con„ ſcientiam ſpurcam ". Divinum allegat præceptum de oratione facienda pro Regibus, & pro poteſtatibus, & ſubdit: „ (*c*) Eſt a„ lia major neceſſitas orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni „ ſtatu Imperii, quod vim maximam univerſo Orbi imminentem, „ ipſamque clauſulam ſæculi acerbitates horrendas comminantem „ Romani Imperii commeatu ſcimus retardari ... Sed & juramus „ ſicut non per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ eſt „ auguſtior omnibus geniis. Neſcitis genios dæmones eſſe .... (*d*) „ Non Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri neſcio, vel „ quia illum deridere non audeo .... (*e*) Dicam plane Imperato„ rem Dominum, ſed more communi, ſed quando non cogor, ut „ Dominum, Dei vice, dicam; Dominus enim meus unus eſt, o„ mnipotens Deus æternus, idem qui & ipſius ".

„ (*a*) Pro-

(a) *cap.* 25. (b) *cap.* 30.
(c) *cap.* 32. (d) *cap.* 33. (e) *cap.* 34.

TERTULL.

„ (*a*) Propterea igitur publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant, quia veræ Religionis homines etiam ſolemnia eorum, conſcientia potius quam laſcivia celebrant. Grande videlicet officium focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim curſitare ad injurias, ad impudicitias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? ... O nos merito damnandos! Cur enim vota & gaudia Cæſarum caſti, & ſobrii, & probi expungimus? Cur die læto non laureis poſtes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? nec induimus domibus noſtris habitum alicujus novi lupanaris"? Oſtendit vero, ſtudioſos iſtos Cæſarum cultores plerumque minus eſſe fideles, & ad defectiones pronos magis atque paratos; ac Chriſtianorum fidem, & ſubjectionem ſic exhibet. „ (*b*) Quoties in Chriſtianum deſævitis, partim animis propriis, partim legibus obſequentes? Quoties etiam, præteritis vobis, ſuo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus & incendiis? Ipſis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ avellant, diſſecent, diſtrahant. Quid tamen de tam conſpiratis unquam denotatis, de tam animatis ad mortem uſque pro injuria repenſatis? quando vel una nox pauculis faculis largitatem ultionis poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret .... Si enim & hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum, & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomani, ipſique Parthi, vel quantæcumque unius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quam totius orbis? Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, forum; ſola vobis relinquimus Templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes ſolius divortii invidia adverſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti ſinum abrupiſſemus a vobis, ſuffodiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſſio civium, immo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet, procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, ad ſtuporem quendam quaſi mortuæ urbis quæſiviſſetis, quibus in ea imperaſſetis. Plures hoſtes, quam cives vobis remanſiſſent; nunc enim pauciores hoſtes habetis præ multitudine Chriſtianorum, qui vos ab occultis hoſtibus reparant, a dæmoniorum incurſibus dico, quæ de vobis ſine præmio, ſine mercede depellimus; ſuffe-

„ ciſſet

(a) *cap.* 35. (b) *cap.* 37.

„ ciſſet hoc ſolum noſtræ ultioni, quod vacua exinde poſſeſſio immundis ſpiritibus pateret “.

TERTULL.

At illis non eſſe timendum oſtendit ex multitudine, & unitate Chriſtianorum, (*a*) *quale de illicitis factionibus timeri ſolet*, quippe qui *ab omni gloriæ, & dignitatis ardore frigentes nulla eſt illis neceſſitas cœtus, nulla magis res aliena, quam publica, qui ſpectaculis renunciarunt, inſaniæ circi, impudicitiæ Theatri, atrocitati arenæ, & xyſti vanitati*, ubi factiones regnant, & diſcinduntur Cives. Poſtea vero ſubdit: „ (*b*) Edam jam nunc ergo ipſe negotia Chriſtianæ factionis, ut qui mala refutaverim, bona „ oſtendam. Corpus ſumus de conſcientia Religionis, & diſciplinæ „ unitate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum, & congregationem, „ ut ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes.... cogimur ad divinarum litterarum commemorationem.... „ ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, cenſura divina; nam „ & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu, ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communione orationis, & conventus, & omnis „ ſancti commercii relegetur. Præſident probati quique ſeniores, „ honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti; neque enim „ pretio ulla res Dei conſtat, ſi quod areæ genus eſt, non de honoraria ſumma quaſi redemptæ religionis congregatur, modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit.... Hæc quaſi depoſita pietatis „ ſunt; nam inde, non epulis, non potaculis, ſed egenis alendis, „ humandiſque, & pueris, ac puellis re, ac parentibus deſtitutis, „ jamque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, „ ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis ex cauſſa Dei ſectæ, alumni „ confeſſionis ſuæ fiunt. Sed ejuſmodi vel maximæ dilectionis operatio notam nobis inurit penes quoſdam. Vide, inquiunt, ut „ ſe invicem diligant, & ut pro alterutro mori ſint parati, ſed & „ quod fratres nos vocamus, non alias, opinor, infamant, quam „ quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum „ eſt.... quia animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus, omnia indiſcreta ſunt apud nos præter uxores.... Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit; vocatur „ enim agape, id quod dilectio penes Græcos eſt.... Inopes refrigerio iſto juvamus.... nihil futilitatis, nihil immodeſtiæ admittit, non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: editur quantum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis „ eſt utile; ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem „ adorandum Deum ſibi eſſe, ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina ut quiſque de „ Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in „ medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit; æque ora-

„ tio

(a) *cap.* 38. (b) *cap.* 39.

TERTULL.

„ tio convivium dirimit, inde diſceditur non in catervas ceſſio-
„ num, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſcivia-
„ rum, ſed ad eamdem curam modeſtiæ, & pudicitiæ .... Hæc
„ coitio Chriſtianorum .... hoc ſumus congregati, quod & diſper-
„ ſi .... neminem lædentes, neminem contriſtantes.

„ (*a*) At e contrario illis nomen factionis accommodandum
„ eſt, qui in odium bonorum, & proborum conſpirant, qui ad-
„ verſum ſanguinem innocentium conclamant prætexentes publicæ
„ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam. Si
„ Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi
„ Cælum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim *Chriſtia-*
„ *nos ad Leones* acclamatur. Oro vos, ante Tiberium, ideſt ante
„ Chriſti adventum quantæ clades orbem, & Urbem ceciderunt "? at
hæc ſunt irati Numinis flagella, queis ingratos, & ſceleſtos ho-
mines torquet & punit. „ Denique cum ab imbribus æſtiva hyber-
„ na ſuſpendunt, & annus in cura eſt, vos quidem quotidie paſti,
„ ſtatimque pranſuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus opera-
„ ti aquilitia Jovi immolatis .... Nos vero jejuniis aridi, & omni
„ continentia expreſſi, in ſacco & cinere volutantes, Deum tangi-
„ mus, & cum miſericordiam extorſerimus, Jupiter honoratur ...
„ at nos nullo modo lædimur, qui nihil noſtra refert in hoc ævo
„ quam celeriter excidere ".

„ (*b*) Sed alio quoque injuriarum titulo poſtulamur, infru-
„ ctuoſi in negotiis dicimur .... Quomodo infructuoſi? Vobiſcum
„ degentes, ejuſdem ad vitam neceſſitatis, ejuſdem victus, habitus,
„ inſtructus .... Itaque non ſine foro, non ſine macello, non ſine
„ balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nundinis veſtris, cæteriſque
„ commerciis cohabitamus in hoc ſæculo .... Navigamus & nos
„ vobiſcum, & militamus, & ruſticamur, mercamur, proinde
„ miſcemus artes, opera noſtra publicamus uſui veſtro .... Sed ſi
„ cæremonias tuas non frequento, attamen & illa die homo ſum ...
„ lavor honeſta hora, de copiis tuis cœno ... non emo capiti co-
„ ronam, quid tua intereſt? emptis tamen floribus quomodo utar ...
„ Spectaculis non convenimus, quæ tamen apud illos cœtus vendi-
„ tantur, ſi deſideravero, liberius de propriis locis ſumantur. Thu-
„ ra plane non emimus ad ſacrificia, ſciunt Sabæi, pluris, & ca-
„ rioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari. Certe, in-
„ quitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt, ſtipes quotus
„ quiſque jam jactat; non enim ſufficimus & hominibus, & Diis
„ veſtris mendicantibus opem ferre .... porrigat manum Jupiter,
„ & accipiat .... Sed cætera vectigalia gratias Chriſtianis agunt
„ ex fide dependentibus debitum, ut ſi ineatur quantum vectigali-
„ bus pereat fraude & mendacio veſtrarum profeſſionum, facile ra-
„ tio haberi poſſit, unius ſpeciei querela compenſata pro commo-
„ do cæterarum rationum. (*c*) Plane confitebor, qui forte vere
„ de ſte-

(a) *cap.* 40. (b) *cap.* 42. (c) *cap.* 43.

„ de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſſunt, primo erunt lenones, tum ſicarii, venerarii, magi, item arioli, aruſpices, mathematici; his infructuoſos eſſe magnus fructus eſt .... (*a*) at illud detrimentum Reipublicæ tam grande quam verum nemo circumſpicit, cum tot juſti impendimur, cum tot innocentes erogamur. Veſtros jam conteſtamur actus, qui quotidie judicandis cuſtodiis præſidetis, quis ex illis chriſtianus adſcribitur?... de veſtris ſemper æſtuat carcer, de veſtris ſemper metalla ſuſpirant, de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur.... nemo illic Chriſtianus, niſi plane tantum chriſtianus, aut ſi & aliud, jam non Chriſtianus. Nos ergo ſoli innocentes. Quid mirum, ſi neceſſe eſt? Enimvero neceſſe eſt; innocentiam a Deo edocti & perfecte eam novimus ut a perfecto magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus, ut ab incontemptibili diſpectore ordinatam“. TERTULL.

Gentilium nonnulli, Chriſtianorum virtutes inficiari non valentes, dicebant, nihil divini proinde ſapere, ſed *magis philoſophiæ genus*; at Tertullianus plura affert diſcrimina Chriſtianos inter & Philoſophos; (*b*) ſiquidem *Deum quilibet opifex Chriſtianus invenit, & oſtendit, licet Plato affirmet, factitorem univerſitatis neque inveniri facilem, & inventum enarrari in omnes difficilem*. Quoad mores vero luculenter patefacit Tertullianus, in medium adductis celebriorum Philoſophorum infandis moribus, & flagitiis, quantum illis virtus chriſtiana ſuperemineat, quantum illos vincant fideles pudicitia, modeſtia, humilitate, patientia, fidelitate, ſimplicitate, manſuetudine. Veritatis cognitio & omnis ſapientia a Prophetis, Sacriſque Scripturis eſt egreſſa, & Philoſophi, *ſi quid in Sanctis Scripturis offenderunt digeſtis, pro inſtituto curioſitatis ad propria opera verterunt*, quemadmodum & inter Chriſtianos ipſos hæretici præſtiterunt: at dogmata veræ Religionis, quæ Philoſophi, & Poetæ a Chriſtianis deſumpſerunt, videlicet de Extremo Judicio, de Beatorum Sede Cælo, de Damnatorum loco inferiori, ita fabulis inſperſa propinarunt, ut minus credibilia reddiderint. Dein ſubdit tamen: „ (*c*) Hæ ſunt, quæ in nobis ſolis præſumptiones vocantur, in Philoſophis, & Poetis ſummæ ſcientiæ, & inſignia ingenia. Illi prudentes, nos inepti. Illi honorandi, nos irridendi, immo eo amplius & puniendi. Falſa nunc ſint, quæ tuemur, & merito præſumptiones, attamen neceſſaria: inepta, attamen utilia: ſiquidem meliores fieri coguntur, qui eis credunt metu æterni ſupplicii, & ſpe æterni refrigerii.... certe etſi falſa, & inepta, nulli tamen noxia... ſed in ejuſmodi error, ſi utique, irriſione judicandum eſt, non gladiis, & ignibus, crucibus & beſtiis. De qua iniquitate ac ſævitie non modo cæcum hoc vulgus exultat & inſultat, ſed & quidam veſtrum, quibus favor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur, quaſi non totum, quod in nos poteſtis, noſtrum ſit arbitrium. Certe ſi velim, chriſtia- „ nus

(a) *Cap.* 44. (b) *Cap.* 46. (c) *Cap.* 49.

TERTULL.

„ nus ſum, tunc ergo me damnabis, ſi damnari velim .... (*a*)
„ Ergo, inquitis, cur querimini, quod vos inſequamur, ſi pati
„ vultis? ... Plane volumus pati, verum eo more, quo & bellum
„ miles. Nemo quippe libens patitur, cum & trepidare, & peri-
„ clitari neceſſe eſt, tamen & præliatur omnibus viribus, & vin-
„ cens in prælio gaudet.... Licet nunc ſarmentitios, & ſemiaxios
„ appelletis, quia ad ſtipitem dimidii aſſis revincti ſarmentorum
„ ambitu exurimur. Hic eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata
„ veſtis ... Propterea enim deſperati, & perditi exiſtimamur; ſed
„ hæc deſperatio, & perditio penes vos in cauſa gloriæ, & famæ
„ vexillum virtutis extollunt: Mutium, Empedoclem, Regulum,
„ Anaxarchum, quibus pro imperio, pro patria, pro amicitia pati
„ permiſſum eſt, quantum pro Deo non licet, ... &, ſi pro Deo pa-
„ titur, inſanus eſt? ... extollitis. Sed hoc agite boni Præſides, ...
„ cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio eſt innocen-
„ tiæ noſtræ iniquitas veſtra .... & proxime ad lenonem damnan-
„ do chriſtianam, potius quam ad Leonem, confeſſi eſtis, labem pu-
„ dicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & morte reputari, nec
„ quicquam tamen proficit exquiſita quoque crudelitas veſtra, plu-
„ res efficimur, quoties metimur a vobis; ſemen eſt ſanguis Chri-
„ ſtianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hor-
„ tantur, ... nec tamen tantos inveniunt verba diſcipulos, quan-
„ tos Chriſtiani factis docendo. Illa ipſa obſtinatio, quam expro-
„ bratis, magiſtra eſt. Quis enim non contemplatione ejus concu-
„ titur ad requirendum, quid intus in re ſit? Quis non ubi requi-
„ ſivit, accedit? ubi acceſſit, pati exoptat? ut totam Dei gra-
„ tiam redimat.... omnia huic operi delicta donentur. Inde eſt
„ quod ibidem ſententiis veſtris gratias agimus, ut eſt æmulatio
„ rei divinæ & humanæ, cum damnamur a vobis, a Deo abſol-
„ vimur ".

De Spectaculis Tractatus.

Cum jam anno 12. Severi Romæ indicti eſſent Ludi ſæculares octavi, libros de Spectaculis, & de Idololatria ea occaſione ſcripſiſſe Tertullianus videtur. In priori dicit (*b*), *plures inveniri*, *quos magis periculum voluptatis* amittendæ, *quam vitæ avocet* a Chriſtiana Religione *amplectenda*. Subdit: (*c*) Si quis *abdicatione ſpectaculorum de Scripturis auctoritatem expoſcit*, *ſe in incertum conſtituit*, *quod non ſignificanter*, *neque nominatim denuntietur ſervis Dei abſtinentia ejuſmodi*. Sed addit, ad hanc abdicationem teneri fideles, quia aquam ingreſſi fidem profeſſi ſunt, & renunciaſſe Diabolo, & pompæ, & angelis ejus ore ſuo conteſtati ſunt, & ludos ac ſpectacula ad Idololatriam pertinere affirmat, a qua originem ſuam traxiſſe demonſtrat.... (*d*) Sed præter idololatriam & alia commemorat pericula animæ, quæ ludos, & ſpectacula adſpicientibus imminent, unde ſic ſcribit: „ (*e*) Deus præcipit, Spiritum
„ San-

(a) *Cap.* 50. (b) *Cap.* 2. (c) *Cap.* 3.
(d) *Cap.* 5. (e) *Cap.* 15.

„ Sanctum utpote pro naturæ ſuæ bono tenerum & delicatum tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare. Huic quomodo cum ſpectaculis poterit convenire? omne enim ſpectaculum ſine concuſſione ſpiritus non eſt. Ubi enim voluptas, ibi & ſtudium, per quod ſcilicet voluptas ſapit; ubi ſtudium, ibi & æmulatio, per quam ſtudium ſapit; porro & ubi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, & dolor, & cætera ex his, quæ cum his non competunt diſciplinæ.... Cæterum ſi ceſſet adfectus, nulla eſt voluptas, & eſt reus jam ille vanitatis, eo conveniens, ubi nihil conſequitur “. TERTULL.

Uſum perſonarum damnat & deteſtatur, quem Deo diſplicere dicit, (*a*) *qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, nec amat falſum auctor veritatis,... & in lege præſcribit* maledictum eſſe, qui *mulieribus veſtietur*. Subdit: (*b*) *In omni ſpectaculo nullum magis ſcandalum occurrit, quam ipſe ille mulierum & virorum accuratior cultus, ipſa conſenſio, ipſa in favoribus aut conſpiratio, aut diſſenſio, inter ſe de commercio ſcintillas libidinum conflabunt, ubi nemo prius cogitat, quam videre, & videri.... An ille recogitabit eo tempore de Deo poſitus illic, ubi nihil eſt de Deo? inter effœminati hiſtrionis modos pſalmum ſecum comminiſcetur?* Addit: (*c*) „ Exemplum accidit, Domino teſte, ejus mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum Dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo cum oneraretur immundus Spiritus, quod auſus eſſet fidelem aggredi, conſtanter & juſtiſſime quidem (inquit) feci, in meo eam inveni. Conſtat, & alii linteum in ſomnis oſtenſum ejus diei nocte, qua tragœdum audierat, cum exprobratione, nominato tragœdo, nec ultra quintum diem eam mulierem in ſæculo fuiſſe “ morte mulctatam.

Volens autem oſtendere, quænam ſint voluptates, & oblectamenta, quæ Chriſtianos decent, ſcribit: „ (*d*) Quæ major voluptas, quam faſtidium ipſius voluptatis, quam ſæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conſcientia integra.... quod calcas Deos Nationum, quod Dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod revelationes petis (1), quod Deo vivis? Hæ voluptates, hæc ſpectacula Chriſtianorum, ſancta, perpetua, gratuita “.

Poſt Tractatum de ſpectaculis alterum conſcripſit Septimius de Idololatria, in quo varios (ſi ita loqui fas eſt) conſcientiæ caſus proponit, diſcutit, reſolvit. Non deerant ſiquidem, qui tanta laborarent ignorantia, ut arbitrarentur (*e*), Idololatriæ crimine non pol- Tractatus de Idololatria.

(a) *Cap.* 23. (b) *Cap.* 25.
(c) *Cap.* 26. (d) *Cap.* 29.
(1) Et ipſi Eccleſiæ Martyres revelationes a Deo poſtulabant, ut videre eſt in actibus Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis, quæ publice in Collectis legebantur temporibus D. Auguſtini.
(e) *Cap.* 2.

polluì niſi illos, qui Idolis vel thura adolerent, vel hoſtias offerrent, vel eorum Myſteriis, aut prophano Sacerdotio initiarentur. Inde Idololatriam definit (*a*), *Omnis circa Idolum famulatus & ſervitus, & nihil intereſt*, dicit, *an plaſtes effingat, an cælator exſculpat, an phrygio detexat, nec de materia refert, an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum*. Addit, (*b*) *Deum, tam fieri Idolum, quam coli prohibere*. Hinc dicit, non licere Chriſtianis idola fabrefacere, aut vendere adoraturis, ac quidem *cum* (*c*) *aliud non habent, unde vivant*. Videretur hic Tertullianus omnes cujuſcunque rei imagines rejicere, niſi aliunde conſtaret, ſe aliquas adprobare imagines, & niſi teſtaretur (*d*), in Calicibus pingi ſolere imaginem boni Paſtoris. Prohibet etiam ædificationem templi, aræ, ædiculæ, domus in honorem Idolorum (*e*): quin etiam negotiationes mercium earum, quæ ad Idololatriam pertinent: (*f*) a feſtis quoque diebus etiam extraordinariis abſtinendum: (*g*) neque ſervis licere miniſtros eſſe Idololatriæ: (*h*) neque licitam militiam, in qua militandum ſit ſub ſigno diaboli; (*i*) dejerationem omnem, *me hercule*, *medius fidius*, nec non adjurationem, *Jupiter tibi ſit iratus*, & ſubſecutam reſponſionem, *immo tibi*, damnat, & execratur.

Libri ad Martyres: & de cultu fœminarum.

Circa idem tempus, annum videlicet 204. libros ſcripſit ad Martyres, de patientia, & de cultu fœminarum. Libellum primo loco commemoratum ad Martyres in carcere conſtitutos, (*k*) ut ipſis conſolationem ſpiritualem ſuppeditaret, quemadmodum Eccleſia fidelium tum de communi ærario, tum ex privatis elargitionibus corporalia miniſtrabat alimenta, conſcripſit. In primis ne *Spiritum Sanctum contriſtare vellent*, hortatur, ſed ita cuſtodiant, ut *pacem, & concordiam invicem ſervent, quam quidem in Eccleſia non habentes a Martyribus in carcere exorare conſueverunt*. Morem indicat Pœnitentium, qui ab Eccleſia ob eorum flagitia ſtadium coacti decurrrere pœnitentiæ publicæ, ad Martyres confugiebant, ut eorum interceſſione ad communionem, & pacem citius admitterentur. Utilitates ex eorum in carceribus detentione profluentes enumerat inquiens: „ (*l*) Segregati eſtis ab ipſo Mundo:... a ſæculo, rebuſque ſuis.... non videtis alienos Deos, non imaginibus eorum incurritis, non ſolemnes Nationum dies ipſa commixtione participatis, non nidoribus ſpurcis verberamini, non clamoribus ſpectaculorum, atrocitate vel furore, vel impudicitia celebrantium cædimini, non in loca libidinum publicarum oculi veſtri impingunt. Hoc præſtat carcer Chriſtiano, quod eremus Prophetis “.

In altero vero libro de cultu fœminarum hæc præcipua habet: „ (*a*) Chri-

(a) *Cap.* 3. (b) *Cap.* 4. (c) *Cap.* 5.
(d) *Lib.* 2. *cont. Marc. & de Pud. cap.* 22.
(e) *Cap.* 8. (f) *Cap.* 11. (g) *Cap.* 13.
(h) *Cap.* 17. (i) *Cap.* 19.
(k) *Cap.* 1. (l) *Cap.* 2.

„ (*a*) Chriſtianæ pudicitiæ, appetitionem ſui tantum non appetendam, ſed etiam execrandam vobis ſciatis, quod non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter incitatorem libidinis ſcimus .... Cum aliorum & noſtra cauſa verſetur in ſtudio periculoſiſſimi decoris, jam non tantum confictæ & elaboratæ libidinis ſuggeſtum recuſandum a vobis ſciatis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis obliterandum diſſimulatione, & incuria, ut proinde oculorum incurſibus moleſtum .... (*b*) Plene gloriabitur Chriſtianus in carne, ſed cum propter Deum lacerata duraverit .... non ut oculos & ſuſpiria adoleſcentium poſt ſe trahat ". Acriter invehitur contra fucos, fictitios capillos, cincinnos, cæteraque ornamenta, quæ divini artificis opus fœdant, ac injuriam inferunt Creatori, & quæ viros magis adhuc, quam fœminas dedecent. Dein ſubdit: „ (*c*) Si quas vel divitiarum ſuarum, vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit ita pompaticas progredi, temperare tamen ab hujuſmodi vanitate curate, ne totis habenis licentiam uſurpetis prætextu neceſſitatis ... Nonne multi ſe ſpadonatui aſſignant propter regnum Dei, tam fortem utique, & permiſſam conjugii voluptatem ſponte ponentes? Quidam ipſam Dei creaturam ſibi interdicunt abſtinentes vino, & animalibus exulantes .... (*d*) Quæ autem cauſſa eſt ſtructius prodeundi? Nam nec templa circuitis, nec ſpectacula poſtulatis, nec feſtos dies Gentilium noſtis. Propter ipſum enim conventum, & mutuum videre, & videri, omnes pompæ in publicum proferuntur .... Vobis autem nulla procedendi cauſa non tetrica; aut imbecillis aliquis ex fratribus viſitandus, aut ſacrificium offertur, aut Dei verbum adminiſtratur ". Denique conſideratione urgentis perſecutionis, ut *delicias diſcutere velint*, hortatur; *neſcio enim*, inquit, *an manus ſpathalia circumdari ſolita in duritia catenæ ſtupeſcere ſuſtineat. Neſcio, an crus de periſcelio in nervum ſe patiatur arctari. Timeo cervicem, ne margaritarum, & ſmaragdorum laqueis occupata ſpathæ locum non det.* Sic Chriſtianas mulieres alloquebatur Tertullianus.

Tertull.

Adverſus Hæreticorum tum recentium, tum vetuſtiorum ſuo tempore graſſantes Sectas librum ſuum de Præſcriptionibus compoſuit Tertullianus. Verbum hoc Præſcriptio a Jureconſultis acceptum, ſignificat cauſam recuſandi aliquem (1), unde nullis diſcuſſis rationibus, & motivis controverſiæ, & litis actor a petitione, ſeu accuſatione repellatur. Hunc Tertulliani librum ante alios omnes (2) ejuſdem argumenti Tractatus conſcriptum conſtat; at determina-

Liber de Præſcriptionibus.

(a) *Cap.* 2. (b) *Cap.* 3. (c) *Cap.* 9. (d) *Cap.* 11.

(1) Præſcriptio dicuntur exceptiones illæ omnes, quibus non diſcuſſa veritate quæſtionis, nec re perpenſa oſtenditur injuſte oppugnari, & oppugnatorem ſive petitorem non eſſe audiendum.

(2) Ita quidem Pamelius, & Dupinius Tom. 1. p. 126. ſcribit. Quamvis *Liber de Præſcriptione* non ſit temporum ordine primus eorum, quos contra Hæreticos ſcripſit Tertullianus, rerum tamen ordine primus eſt.

TERTULL. natam epocham difficile admodum erit aſſignare. Affirmare tamen poſſumus conſcriptum, priuſquam Auctor a Catholicæ Eccleſiæ fide diſcederet; nullibi enim de mendaci ſuo Paracleto mentionem facit, immo e contra gloriatur ſe communione junctum cum omnibus Apoſtolicis Eccleſiis, & præſertim cum Romana, quam multis laudibus ornat, & extollit, quod profecto non præſtitiſſet, ſi poſt ſuam defectionem invidia, & Romanæ Eccleſiæ Clericorum injuriis exortam ſcripſiſſet. Præterquam quod credibile non videtur exaratum a Septimio hæretico, & ſchiſmatico opus, quo hæreſes omnes, & ſchiſmata invictiſſimis argumentis proſternit, atque peſſumdat.

Verum quidquid ſit de tempore exarati Operis, optime quidem & ſapientiſſime (*a*) peritiſſimus Criticus, & clariſſimus Hiſtoricus omnium utillimum eſſe habendum cenſet. Primo itaque loco monet Septimius (*b*), *non oportere mirari ſuper hæreſes, futuræ enim prænunciabantur, ſed & præcavere debemus*, & ne latius ſerpant, pro virili contendere. Cum ſolus Chriſtus ab omni fuerit peccato immunis, mirandum non eſt, ſi *fideliſſimi*, *prudentiſſimi*, *& uſitatiſſimi in Eccleſia* in hæreticorum *partem* tranſierint. „ (*c*) Quid ergo ſi „ epiſcopus, ſi diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam „ martyr lapſus e regula fuerit, ideo hæreſes veritatem videbuntur „ obtinere? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?... „ ipſe traditor Chriſti de Apoſtolis fuit". Oſtendit poſtea, omnes evangelicæ veritatis corruptores lupos eſſe rapaces, (*d*) quos *inſtruit Dominus multos eſſe venturos ſub pellibus ovium*. Hæreſes tamen toti Eccleſiæ non inutiles eſſe, (*e*) cum *ad probabiles quoſdam manifeſtandos, ſcilicet quos non potuerit depravare*, conducant. Hæreſim ex græco vocabulo definit *electionem; ideo Apoſtolus & ſibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, ſibi elegit. Nobis vero nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit*. Apoſtolos Domini habemus auctores, quia *nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter adſignaverunt*.

(*f*) Inquiebant hæretici ſcriptum in Evangelio: *Quærite, & invenietis*. At Tertullianus reponit, illa verba ad Judæos pertinere, *quando quærendus adhuc erat Chriſtus, qui adhuc agnitus non erat*, & quibus dictum fuerat: *Scrutamini Scripturas, in quibus ſalutem ſperatis; illæ enim de me loquuntur*: at cum jam Chriſtus, *quid credere debeant Nationes, inſtituerit*, nihil ſupereſt, niſi *credendum*, quod propoſuit, (*g*) *& cuſtodiendum quod crediderunt, & aliud non eſſe credendum, ideoque nec requirendum*. (*h*) Quod *ſi quærendum adhuc eſſet, & ſemper, ubi tamen quæri oportet? Quæ-*

(a) *Fleury Hiſt. Eccl. T. 2. lib. 5. n. 28.* (b) *Cap. 1.*
(c) *Cap. 3.* (d) *Cap. 4.* (e) *Cap. 5.*
(f) *Cap. 8.* (g) *Cap. 9.* (h) *Cap. 12.*

Quæramus in noſtro, & a noſtris, & de noſtro, ideſt in Eccleſia Catholica, a PP. traditione, *idque dumtaxat, quod ſalva regula fidei poteſt in quæſtionem devenire*. Hanc autem inviolabilem fidei regulam his verbis deſignat: „ (*a*) Illa, qua creditur unum „ omnino Deum eſſe, nec alium præter Mundi conditorem, qui „ univerſa de nihilo produxerit per Verbum ſuum, primo omnium „ emiſſum, id Verbum Filium ejus appellatum, varie viſum a Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum, poſtremo delatum ex „ Spiritu Patris & virtute in Virginem Mariam carne factum „ in utero ejus, & ex ea natum hominem, & eſſe Jeſum Chriſtum: „ exinde prædicaſſe novam Legem, & novam promiſſionem Regni „ Cælorum, virtutes feciſſe: fixum Cruci: tertia die reſurrexiſſe: „ in cælos ereptum ſedere ad dexteram Patris: miſiſſe vicariam „ vim Spiritus Sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad ſumendos ſanctos in vitæ æternæ fructum, & ad prophanos „ adjudicandos igni perpetuo, facta utriuſque partis reſuſcitatione „ cum carnis reſtitutione. (*b*) Hæc regula a Chriſto, ut probabimus, inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt. Cæterum manente forma ejus in ſuo ordine.... „ ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari, eſt utique frater aliquis doctor, gratia ſcientiæ donatus", quem valeas interrogare.

TERTULL.

Expoſita Eccleſiæ doctrina oſtendere aggreditur, (*c*) hæreticos non eſſe *admittendos ad ullam de Scripturis diſputationem*, 1. quia *iis poſſeſſio Scripturarum nullo modo competit*; (*d*) 2. quod *fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat* prohibenti, *quæſtiones inire, & hæreticum hominem poſt unam correptionem convenire, non poſt diſputationem*. (*e*) 3. *Hæreſis non recipit quaſdam Scripturas, & ſi quas recipit, non recipit integras, adjectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit, & ſi aliquas integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata, convertit*. Hinc in his diſputationibus rem eo dicit devenire, *ut tu quidem nihil perdas, niſi vocem in contentione, nihil conſequaris, niſi bilem de blaſphematione*. Quapropter illud prius conſiderandum dicit, (*f*) *quibus competat fides ipſa, cujus ſint Scripturæ; a quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani; ubi enim apparuerit eſſe veritatem fidei, & diſciplinæ Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum*.

Alterum præſcriptionis argumentum illud eſſe dicit, (*g*) *Chriſtum duodecim præcipuos lateri ſuo adlegiſſe deſtinatos Nationibus Magiſtros, qui conſecuti promiſſam vim Spiritus Sancti primo per Judæam conteſtata fide in Jeſum Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis*, de-

(a) *Cap.* 13. (b) *Cap.* 14. (c) *Cap.* 15.
(d) *Cap.* 16. (e) *Cap.* 17.
(f) *Cap.* 19. (g) *Cap.* 20.

TERTULL. *dehinc in orbem profecti eamdem doctrinam ejuſdem fidei Nationibus promulgarunt, & proinde Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant. Ac per hoc ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum, & tot, ac tantæ Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima, dum una omnes probant unitatem*. Quo poſito, en quomodo probet Tertullianus, hæreticos non eſſe audiendos. (*a*) Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolis non revelavit niſi doctrinam, quam a Patre accepit; quænam autem ſit hæc doctrina, quam Apoſtolis revelavit, *non aliter probari debet, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſis eis prædicando tam viva* (*quod ajunt*) *voce, quam per epiſtolas poſtea*. „ Si hæc ita ſunt, conſtat „ proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis „ conſpirat, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod „ Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſ„ cepit: porro noſtra doctrina de Apoſtolorum traditione cenſetur; „ communicamus enim cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulla di„ verſa doctrina; hoc igitur eſt teſtimonium veritatis “.

Hoc validiſſimo preſſi argumento omnes hæretici, cum nihil haberent firmi, & ſolidi, quod reponerent, inepte dicebant, *non omnia Apoſtolos ſciſſe, vel omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe, in utroque Chriſtum reprehenſioni ſubjicientes, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit*. At Tertullianus ex utroque capite Apoſtolos tuetur. (*b*) 1. Siquidem oſtendit, *neminem integræ mentis credere poſſe, aliquid eos ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in convictu, quibus obſcura quæque ſeorſim diſſerebat, illis dicens, datum eſſe cognoſcere arcana, quæ populo intelligere non liceret*. „ Latuit, ſubdit, aliquid Petrum ædi„ ficandæ Eccleſiæ Petram dictum, claves Regni Cælorum conſe„ cutum, & ſolvendi & alligandi in cælis & in terris poteſtatem? „ Latuit & Joannem aliquid dilectiſſimum Domini, pectori ejus in„ cubantem, cui ſoli Dominus Judam traditorem præmonſtravit?... „ Ignoraverunt itaque illi,... quos omnem veritatem conſecuturos „ per Spiritum veritatis repromiſerat, & utique implevit promiſ„ ſum per deſcenſum Spiritus Sancti “? Objiciebant, Petrum a Paulo fuiſſe reprehenſum, (*c*) *ideo aliquid ei defuit*. Sed reponebat Tertullianus, Petri errorem *converſationis fuiſſe vitium, non prædicationis. Non enim ex hoc alius Deus, quam Creator, & alius Chriſtus, quam ex Maria, & alia ſpes, quam reſurrectio, annuntiabatur*... „ (*d*) Adeo, ſubdit, pro temporibus, & perſonis, & cau„ ſis quædam reprehendebant, in quæ & ipſi pro temporibus, & „ perſonis, & cauſis committebant; quemadmodum & Petrus re-

„ pre-

(a) *Cap.* 21. (b) *Cap.* 22.
(c) *Cap.* 23. (d) *Cap.* 24.

„ prehenderat Paulum, quod prohibens circumciſionem, circumci-
„ derit ipſe Timotheum".

Secundo loco illa objiciebant Hæretici (*a*) Apoſtoli verba ad Timotheum: *O Timothee depoſitum cuſtodi*; & rurſum: *Bonum depoſitum cuſtodi*. Quibus indicari dicebant, *non omnia omnibus* Apoſtolos *revelaſſe*. Verum ea Timotheo ſcripta ſic interpretatur Tertullianus, (*b*) *ut cui demandabat* Paulus *Evangelii adminiſtrationem non paſſim, nec inconſiderate adminiſtrandam, adjiceret, ſecundum dominicam vocem, ne margaritas porcis, & ſanctum canibus jactaret*. Cæterum Apoſtolis Dominus *palam edixerat, ſine ulla ſignificatione alicujus taciti Sacramenti. Ipſe præceperat, ſi quid in tenebris & in abſcondito audiſſent, in luce & in tectis prædicarent*; quod & præſtiterunt Apoſtoli intrepide *neminem curantes, non Judæorum vim, non Ethnicorum*. Urgebant Hæretici, Eccleſias *initio ſuo aliter accepiſſe* doctrinam, *quam Apoſtoli prædicabant*, unde correptas *Eccleſias Galatiæ, & Corinthiorum* ab Apoſtolo Paulo, qui & Galatas *inſenſatos*, & Corinthios *carnales* appellavit. Quam objectionem ſic paucis verbis diſpellit Tertullianus: „ (*c*)
„ Cum correptas Eccleſias opponunt, credant emendatas. Sed &
„ illas recognoſcant, de quarum fide, ſcientia, & converſatione Apo-
„ ſtolus gaudet, & Deo gratias agit, quæ tamen hodie cum illic
„ correptis unius inſtitutionis jura commiſcent".

Catholicæ Religionis veritatem demonſtrare progreditur Septimius ex uniformitate, & antiquitate doctrinæ in omnibus Eccleſiis vigente, & errorum, ac hæreſum novitate: (*d*) 1. quia *veriſimile non eſt, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint .... variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum, ſi falſa docuiſſent: nam quod apud multos invenitur, non eſt erratum, ſed traditum*. 2. Quia Catholica doctrina hæreſes omnes præceſſit; nam non *ante Chriſtiani, quam Chriſtus inventus, nec ante hæreſes, quam vera doctrina*; & ineptum eſt, quod *hæreſis prior doctrina habeatur, quoniam ipſa eſt, quæ futuras hæreſes & cavendas prænuntiavit*; alioquin *tandiu regnavit error, quandiu hæreſes non erant, & hæreticos liberanda veritas expectabat*; (*e*) *interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique Martyria perperam coronata*. Notat deinde, & ſignat tempora, queis præcipue ſurrexerunt, & cœperunt dogmata ſua perverſa vulgare hæreſiarchæ; ac ad Nigidium, & Hermogenem verba convertens eos ad oſtendendum, quis, a quo, & unde miſſi fuerint, provocat: (*f*) *Cupio, oſtendant mihi, ex qua auctoritate prodierunt .... probent ſe novos Apoſtolos eſſe, Apoſtolorum proferant virtutes, & miracula .... agnoſco maximam virtutem earum*,

(a) *Cap.* 25. (b) *Cap.* 26. (c) *Cap.* 27.
(d) *Cap.* 28. (e) *Cap.* 29. (f) *Cap.* 30.

TERTULL. *rum, qua Apoſtolos in perverſum æmulantur: illi enim de mortuis vivos faciebant, iſti de vivis mortuos faciunt....* „ (*a*) Cæterum „ (ſubdit Tertullianus) ſi quæ (hæreticæ doctrinæ) audent in- „ terſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideo videantur ab Apoſtolis „ traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant er- „ go origines Eccleſiarum ſuarum, ordinem Epiſcoporum ſuorum, „ ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epi- „ ſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen „ cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem, & anteceſſo- „ rem. Hoc modo Apoſtolicæ Eccleſiæ cenſus ſuos deferunt, ſicut „ Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne conſecratum refert, „ ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit, proinde „ utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum „ conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habent. Confingant tale „ aliquid hæretici. (Quid enim illis poſt blaſphemiam illicitum „ eſt?) Sed ea ſi confinxerint, nihil promovebunt. Ipſa enim eo- „ rum doctrina cum Apoſtolica comparata ex diverſitate ſua, & „ contrarietate pronuntiabit, nec Apoſtoli alicujus eſſe, nec Apoſto- „ lici “. Hinc ratiocinationem ſuam claudit Tertullianus, quod cum ſucceſſionem ſuam Hæreticorum conventus oſtendere non valeant, & probare, *nec recipi* queunt *in pacem & communionem ab Eccleſiis quoquomodo Apoſtolicis*.

Novis adverſarios urget argumentis, (*b*) oſtenditque certum eſſe atque inconcuſſum, doctrinam omnem ab Apoſtolis rejectam, ceu falſam omnino & erroneam habendam. Quo poſito ſolido, firmoque principio omnes ſui temporis hæreticos erroris redarguit, & convincit, ſive *Marcionem*, *Apellem*, *& Valentinum*, qui reſurrectionem carnis infringunt, ſive *Hebionem nuptiarum interdictorem*, ſive cæteros omnes doctrinas docentes ab Apoſtolis in eorum epiſtolis rejectas, damnataſque... (*c*) Provocat itaque ipſos *ad Eccleſias Apoſtolicas*, *apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident*, *apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur*, *ſonantes vocem*, *& repræſentantes faciem uniuſcujuſque*. „ Proxima (inquit) eſt tibi Achaja, habes Corinthum. Si non „ longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. „ Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: ſi autem Italiæ ad- „ jaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. „ Iſta quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum „ ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæqua- „ tur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Joannes „ poſtea quam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſu- „ lam relegatur “.

Ex hactenus a Tertulliano dictis, confirmatiſque (*d*) deducit, veram eſſe, certamque propoſitionem primo loco conſtitutam, *defi-nien-*

(a) *Cap.* 32. (b) *Cap.* 33.
(c) *Cap.* 36. (d) *Cap.* 37.

nientem non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem. Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt... ita non Chriſtiani nullum jus capiunt chriſtianarum litterarum. His invictis argumentis & illud addit ab interpolatione, & corruptione Scripturarum, quas ab hæreticis inductas dicit, & non alia de cauſa, (*a*) niſi *æmulationis, quæ neque prior eſt, neque domeſtica eſt ejus unquam, quod æmulatur: tam eſt incredibile ſapienti cuique, ut nos adulterum ſtylum intuliſſe videamur Scripturis, qui primi ſumus, & in principio.* Digreditur poſtea ad Hæreticorum moralem doctrinam, quam *futilem, terrenam, humanam, ſine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina, ut fidei ſuæ congruam*, dicit, & probat. — Tertull.

Opus adverſus Marcionem conſcripſit Tertullianus, poſtquam in Montaniſtarum (1) errorem lapſus eſt, ut apparet ex illis verbis (*b*): *Nubendi jam modus ponitur, Paracleto auctore, unum in fide matrimonium præſcribitur*, & dum novas prophetias commemorat, & de quibuſdam revelationibus loquens ſcribit: (*c*) *De quo inter nos, & Pſychicos quæſtio eſt*, quæ profecto diſtinctio, communionis deſignat diverſitatem. Hæc tamen minime impediunt, quin opus illud Tertulliani, optimum dici queat, & veluti theſaurus antiquioris Theologiæ. Primum opuſculum hoc eodem de argumento exaraverat, ſed currenti, ut ajunt, calamo, quod poſtea (*d*) *pleniore compoſitione reſciderat*, ſed & illud *fraude fratris apoſtatæ* ſibi ſurreptum dicit; quam jacturam ut repararet, hocce tertium elucubravit anno 15. Severi Imperatoris a Chriſti natali 207. — Tractatus contra Marcionem.

Primo itaque loco Dei unitatem, & ſingularitatem oſtendit, cum impoſſibile evincat, duo dari ſuprema entia, *qui enim duo potuit admittere, idem & plura; poſt duo enim multitudo, unione jam ex-*

(a) *Cap.* 38.

(1) Marcio Synope in Ponto natus eſt circa Chriſti annum 148. imperante Antonino. Hic initio vitæ caſtitatem præſeferens Monachorum inſtituta profeſſus eſt, parente natus Catholicæ communionis Epiſcopo. Poſtea cum virginem adamaſſet, ea abuſus eſt. Ob hunc igitur inceſtum Eccleſia ab ipſo parente pulſus eſt, viro cum primis religioſo, ac veritatis amore flagrantiſſimo, & in epiſcopalis muneris adminiſtratione præſtantiſſimo. Cui cum Marcio diu, multumque ſupplicaſſet, ac pœnitentiam poſtulaſſet, a Patre precibus nullis obtinuit. Romam itaque ſe contulit, & ſeniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adhuc ſupererant, ut in communionem admitteretur, fruſtra petiit. Quamobrem extimulatum invidia, ac ira percitus illis dixit: *Eccleſiam veſtram ego diſſociabo, in eamque ſchiſma ſempiternum immittam*, & diſcedens, ad impoſtoris Cerdonis hæreſim confugere in animum induxit. S. *Epiphanius hær.* 42.

Cerdonis hæc erant dogmata: Deum legis conditorem alium eſſe a Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti; hunc bonum fuiſſe, illum malum, Jeſum Chriſtum veram, noſtræque conſubſtantialem carnem non aſſumpſiſſe, nec de Virgine Maria natum fuiſſe. *Du Pin.*

(b) *Cap.* 29. *Lib.* 1. (c) *Lib.* 4. *cap.* 22.

(d) *Lib.* 1. *cap.* 1.

TERTULL. *excuſſa*, *numerus autem divinitatis ſumma ratione conſtare debet*. Porro Marcion, ut bina ſua adſtrueret principia, dicebat, Creatorem eſſe culpandum, quippe qui malorum auctor dicendus foret, inquiente Scriptura: (*a*) *Ego formans pacem*, *& creans malum*. At Tertullianus primo oſtendit, impium eſſe, blaſphemum, & temerarium de Deo dicere, (*b*) *ſic non debuit Deus: & ſic magis debuit*. Deinde Creatoris bonitatem patefacit in omnibus ejus operibus eluceſcentem, ac præſertim in primi hominis efformatione, ac creatione. Deinde divinæ juſtitiæ in malorum punitione neceſſitatem oſtendit, ad malos coercendos, & ad avertenda peccata, quæ contra Dei mandatum, & voluntatem admittuntur: (*c*) *Non enim ſufficiebat bonum per ſemetipſum commendari, niſi vis aliqua præeſſet timendi, quæ bonum etiam nolentes appeteret, & cuſtodire impelleret*. Effrænis igitur peccandi libertas panditur peccatoribus, dum illis Deus proponitur, qui igne, & tartaro punire nequit, & qui timeri non poteſt, & nolit. (*d*) *Quanto malum injuſtitia, tanto bonum juſtitia, bona igitur ſeveritas, quia juſta, ſi bonus judex, ideſt juſtus. Item cætera bona, per quæ opus bonum currit bonæ ſeveritatis, ſive ira, ſive æmulatio, ſive ſævitia*, Dei videlicet volitiones, quas nos hiſce vocibus ſignificamus, omnes tamen humanas a Deo paſſiones procul ablegantes. Cum tamen Philoſophi, eorumque ſectatores hæretici, ne Deum inducerent ſive paſſionibus obnoxium, ſive mutabilem, & ex conſequenti corruptibilem, & mortalem, omnino inſenſibilem fingebant. (*e*) *Bene* (reponebat Tertullianus) *quod Chriſtianorum eſt, etiam mortuum Deum credere, & tamen vivere in ævo ævorum. Stultiſſimi, qui de humanis divina prædicant, ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujuſmodi paſſiones, idcirco & in Deo ejuſdem ſtatus exiſtimentur*. In quibus verbis apparet, Tertulliani ævo conſtantem fuiſſe, & ratam de Chriſti Divinitate, ac trium Perſonarum Unitate doctrinam. Dein ſuum proſequens ſermonem, ſubdit: *Diſcerne ſubſtantiam, & ſuos ei diſtribue ſenſus tam diverſos, quam ſubſtantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, non ideo tamen humanis comparabuntur quia de appellatione ſociantur.... prior bonitas Dei ſecundum naturam, ſeveritas poſterior ſecundum cauſam*. (*f*) Primum igitur malum peccatum, quod pœna ſubſecuta eſt, quæ malum eſt; at alterius generis *mala*, ſcilicet *quibus rependuntur, cæterum ſuo nomine bona, quia juſta, & bonorum defenſoria, & delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna*.

Ut vero mali originem detegat, humani libertatem arbitrii conſtituit Tertullianus, dicens: *In quo hoc ipſum imago & ſimilitudo Dei*

(a) *Iſ.* 45. 7. (b) *Cap.* 3. 4.
(c) *Lib.* 2. *cap.* 13. (d) *Cap.* 16.
(e) *Cap.* 16. (f) *Cap.* 13. 14.

Dei deputaretur, *arbitrii ſcilicet libertas & poteſtas*. At imago ſemper eſt originali inferior, *& opus inferius artifice*, propterea natura ſua defectibile, (*a*) *& ſicut Deus homini vitæ ſtatum induxit*, *ita homo ſibi mortis ſtatum attraxit*, & idem de Angelo dicendum, Deus enim Angelum fecit, qui ſe ipſum in Dæmonem commutavit. Et hoc pacto objectionem ſolvit ad accuſandum Creatorem ex hominis, & Angelorum lapſu deſumptam, nimirum vel inſcitiæ & ignorantiæ, ſi peccatum utriuſque non prænovit, vel malitiæ, qui cum præviderit, non impedivit. Nam Deus & *fidem*, & *gravitatem* ſuam in omni opere ſervare debebat, conſervavit igitur opus, quale condiderat, ideſt libero præditum arbitrio. (*b*) *Si enim ſemel homini permiſerat arbitrii libertatem*, *& poteſtatem*, *utique fruendas eas* ex ipſa inſtitutione permiſerat; poſſe autem peccare eſt hujus libertatis conſectarium, quod Deus permiſit cum adjunctis ſuis, peccatis ſcilicet & ſuppliciis, quæ omnia poſtea in ſuæ gloriæ oſtenſionem convertit.

TERTULL.

Poſtea ad Meſſiæ miſſionem, & Incarnationem progrediens dicit, (*c*) *Chriſtum non ex ſolis virtutibus credendum fuiſſe*, ſed ex præviis Prophetarum de illo vaticiniis; ſiquidem dictum erat, *multos venturos*, *& ſigna facturos*, *& virtutes magnas edituros*, *nec ideo tamen admittendos*. Ubi & illud animadvertit, a Prophetis (*d*) ideo *futura interdum pro jam tranſactis enuntiari*, quia apud Deum *non ſit differentia temporis*, *apud quem uniformem ſtatum temporum dirigit æternitas*, *& divinationi propheticæ familiare eſt*, *quod proſpicit*, *dum proſpicit jam viſum*, *atque ita jam expunctum*, *ideſt omni modo futurum demonſtrare*. Ut vero oſtenderet, Deum verum hominem fuiſſe, non umbratilem, & phantaſticum, dicit, ſi in Chriſto non fuiſſet vera humanitas, nec credendam in eo veram divinitatem: (*e*) *Nam ſi in Chriſto non erat*, *quod videbatur*, *& quod erat mentiebatur*, *caro nec caro*, *homo nec homo*, *proinde Deus Chriſtus*, *nec Deus*. *Cur enim non etiam Dei phantaſma portavit? An credam ei de interiore ſubſtantia*, *qui ſit de exteriore fruſtratus?* Verum autem hominem fuiſſe, omnia oſtendunt, quæ de eo in Evangeliis ſcripta leguntur, videlicet & tetigiſſe, & tactum ab aliis fuiſſe; ſcriptum eſt enim, tangendo infirmos eos liberaſſe, a peccatrice tactos ejus pedes, ac perfuſo unguento delibutos, nec non paſſum, mortuum, & ſpiritum ab eo emiſſum, & poſt Reſurrectionem ſe carnem & oſſa habere demonſtraſſe, jubendo, ut eum tangerent, & palparent; alioquin, ſi veram non habuiſſet carnem, nec paſſus, nec mortuus fuiſſet, propterea nec reſurrexiſſet; proinde inanis eſt fides noſtra, inanis & prædicatio Apoſtolorum, qui falſi Dei teſtes invenirentur.

Marcionitæ objiciebant, carnem aſſumere, indignum fuiſſe Chriſto,

(a) *Cap.* 10. (b) *Cap.* 7. (c) *Lib.* 3. *cap.* 3.
(d) *Cap.* 5. (e) *Cap.* 8.

TERTULL. ſto, eam enim *terrenam ſubſtantiam*, *ſtercoribus inſertam*, *cloacam uterum Virginis appellabant*, *& partus immunda*, *& pudenda tormenta*, *& puerperii ſpurcos noxios ludicros exitus late perſequebantur*. (*a*) At hæc omnia dicit Tertullianus *ſanctiſſima*, *ac reverenda eſſe opera naturæ*, quæ tamen cum Marcio indigna Deo oſtenderet, nihil tamen proficiet*; nam non erit indignior morte nativitas*, *& Cruce infantia*, *& natura pœna*, *& carne damnatio*. *Si vere iſta paſſus eſt Chriſtus*, *minus fuiſſet naſci*. (*b*) Cæterum *ſi ad certum ſpectemus*, *nulla ſubſtantia digna eſt*, *quam Deus induat*. *Quodcunque induerit ipſe*, *dignum facit*, *abſque mendacio tamen*; *& ideo quale eſt*, *ut dedecus exiſtimaverit veritatem potius*, *quam mendacium carnis?* Verum cum prænuntiatum foret de Chriſto, eum opprobriis ſaturandum, & confuſione operiendum, adeo ut vermis appareret, & non homo, erubeſcere oportebat, (*c*) *ut dedecore ejus ſalus noſtra conſtaret*, *& quoniam homo non erubuerat lapidem*, *& lignum adorans*, *eadem conſtantia non confuſus de Chriſto pro impudentia idololatriæ ſatis Deo fuerat per impudentiam fidei*. Addit, notum omnibus, compertumque fuiſſe, Chriſtum natum ex familia David, cum adhuc apud Judæos Tribuum, & Familiarum diſtinctio cuſtodiretur, (*d*) *& in cenſu* reperiretur *Auguſti*, *quem teſtem fideliſſimum Dominicæ nativitatis Romana archivia cuſtodiunt*. Se Filium hominis appellavit, dum ſibi poteſtatem tribuit peccata dimittendi, ut pateſceret, verum Deum ſimul eſſe, & hominem verum*: neque enim mentiri poſſet Chriſtus*, *ut ſe filium hominis pronuntiaret*, *ſi non vere erat*, nec peccata dimittere, ſi verus Deus non fuiſſet, hominem proinde fuiſſe *illum*, quem Danielis Prophetia *conſecutum prænuntiabat judicandi poteſtatem*. Verum de Chriſti Regno loquens Tertullianus, apertiſſime oſtendit, ſe Chiliaſtarum opinioni adhæſiſſe, quod mirum non eſſe debet perpendenti, & Montaniſtarum viſionibus fidem adhibuiſſe.

Ut rerum Creatorem accuſarent Marcioniſtæ, eo præſertim utebantur artificio, & dolo, quo Novum Teſtamentum Veteri opponebant, & ſi quæ ſive in lege, ſive in Prophetis vel dura, vel abjectiora occurrebant, parvi penderent, & ceu contemptibilia exaggerarent. At Tertullianus illa duo Teſtamenta non a diverſo prodiiſſe Auctore patefaciebat, ſed ab uno eodemque, qui tamen diverſo ſe geſſit modo juxta humani generis ſtatum, & conditionem. Primo enim Deus nonniſi tenuiora pollicitus eſt præmia, veluti arrhabones ſublimium divitiarum, quas illis reſervavit. *Divitias præſtare Deo non incongruens* dicit, *per quas multa inde opera juſtitiæ*, *& dilectionis adminiſtrantur*, ſicut & alia terrena bona data & promiſſa in Veteri Teſtamento; quæ non minus, quam cæleſtia ad Creatorem Cæli, & Terræ diſtribuere, & elargiri pertinet. (*e*) Objecta quoque diluit deſumpta ex Iſraelitarum furto, quod in Ægy-

(a) *Cap.* 11. (b) *Cap.* 10. (c) *Lib.* 4. *cap.* 21.
(d) *Lib.* 4. *cap.* 7. (e) *Lib.* 2. *cap.* 20.

Tertull.

Ægyptios Deo jubente commiſiſſe videntur Hebræi, & alia ex præceptorum contradictione deprompta, uti quando illis (a) *vetuit facere ſimilitudinem omnium, quæ ſunt in cælo, & in terra, & in aquis*, & ſimul juſſit, ut *ſerpentis ænei effigiem efformarent, & Cherubim, & Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum*; (b) ubi dicit, imagines ſolæ idololatriæ cauſa prohiberi. Sic & *talionis legem* ideo datam dicit, *ut commiſſio injuriæ metu vicis ſtatim occurſuræ repaſtinaretur, & licentia retributionis prohibitio eſſet provocationis*.

Ridebant Hæretici & aſpernabantur, quæ in Veteri Teſtamento abjectiora videbantur, cujuſmodi ſunt cruenta ſacrificia, (c) *ablutionum negotioſæ ſcrupuloſitates, circumciſio*, & ciborum delectus. Hæc autem omnia a Deo fuerunt præſtituta, *ut iſtis legalibus diſciplinis occurrentibus ubique ne illi momento vacarent a Dei reſpectu.... ut nihil de arcanis attingam ſignificantiis, legis ſpiritualis ſcilicet, & propheticæ, & in omnibus pene argumentis figuratæ*. „ (d) Si lex (ſcribit) aliquid cibis detrahit, & immunda pro„ nuntiat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt, conſilium exer„ cendæ continentiæ intellige, & frænos impoſitos illi gulæ agno„ ſce, quæ, cum panem ederet Angelorum, cucumeres, & pepones „ Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul & comitibus gulæ, li„ bidini ſcilicet, atque luxuriæ proſpectum.... proinde ut & pe„ cuniæ ardor reſtingueretur ex parte, de qua victus neceſſitate „ cauſatur, pretioſorum ciborum ambitio detracta eſt; poſtremo, ut „ facilius homo ad jejunandum Deo formaretur.... Sacrificiorum „ quoque onera, & operationum, & ablutionum negotioſas ſcru„ puloſitates nemo reprehendat.... ſed illam Dei induſtriam ſen„ tiat, qua populum pronum in idololatriam, & tranſgreſſionem, „ ejuſmodi officiis religioni ſuæ voluit adſtringere, quibus ſuperſti„ tio ſæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos. (e) Sed in ipſis „ commerciis vitæ, & converſationis humanæ domi ac foris, ad „ uſque curam vaſculorum omnifariam diſtinxit, ut iſtis legalibus „ diſciplinis occurrentibus ubique, ne illi, momento vacarent a „ Dei reſpectu.... Ad hoc beneficium non onus legis adjuvandum „ Prophetas ordinavit, docentes Deo digna, auferre nequitias de „ anima, exquirere judicium “, & cætera, quæ Religionis eſſentiam, & perfectionem in virtute, & bonis operibus locatam evincunt. Longius progreditur in hac exponenda doctrina, & in lege præceptam probat caritatem, & injuriarum veniam, reſervata Deo vindicta, quæ neceſſaria eſt, ut ſceleſti homines in ordine contineantur. (f) Addit, Chriſtum *conditionaliter nunc feciſſe divortii prohibitionem, ſi ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat*. Denique hanc circa fidem regulam tradit, (g) *nihil temere creden-*

(a) *Cap.* 22. (b) *Cap.* 18. (c) *Cap.* 19.
(d) *Cap.* 18. (e) *Cap.* 19.
(f) *Lib.* 4. *cap.* 34. (g) *Lib.* 5. *cap.* 1.

TERTULL. *dendum*, *temere porro credi quodcumque ſine originis agnitione creditur*.

Tractatus adverſus Praxeam. Aliud quoque egregium opus exaravit Tertullianus certe poſt ſuum in hæreſim lapſum, nimirum illud adverſus Praxeam (1), ut Trinitatis fidem tueretur, in quo Montaniſtæ cum Catholica Eccleſia ſentiebant. Vocabulo Trinitatis expreſſe utitur, & fraudem patefacit Hæreticorum Monarchiæ nomen uſurpantium, (*a*) ut *unicum omnipotentem Mundi Conditorem ſe vindicare* rudioribus ſuadeant, dum interim *de unico hæreſim faciunt*. Ut Patris, & Filii Perſonarum diſtinctionem evincat, (*b*) *oportet*, inquit, *totum de Filio examinari*, *an ſit*, *& qui ſit*, *& quomodo ſit*.... *Ante omnia Deus erat ſolus*.... *quia nihil aliud extrinſecus præter illum*. *Cæterum ne tunc quidem ſolus; habebat enim ſecum rationem ſuam*, *Verbum*, *Sapientiam*, *quam poſtea ad extra emiſit*, *& factus eſt ſermo exterior*. Sermonem appellandum cenſet Verbum Dei Tertullianus ſolum poſt extrinſecam ejus prolationem, ſeu manifeſtationem in Univerſi creatione factam juxta antiquiſſimorum Theologorum loquendi phraſim, & modum; fatetur tamen *ſermonem in primordio apud Deum fuiſſe*. *Nam etſi Deus nondum ſermonem ſuum miſerat*, *proinde eum cum ipſa*, *& in ipſa ratione intra ſemetipſum habebat*, *tacite cogitando*, *& diſponendo ſecum*, *quæ ſermonem mox erat dicturus*. (*c*) Ex quo pateſcit, quo in ſenſu alibi dixerit: *fuit autem tempus*, *cum & delictum & filius non fuit*, videlicet quantum ad externam per creationem rerum manifeſtationem præſertim cum dixit; *fiat lux*, nam quantum ad generationem ad intra ſemper fuit cum Deo Patre Filius ejus Verbum, & Sapientia.

„ (*d*) Hæc ſubſtantia ſermonis (inquit), illam dico perſonam, „ & illi nomen Filii vendico, & dum Filium agnoſco, ſecundum „ a Patre defendo.... Sermo ergo & in Patre ſemper, & apud „ Deum ſemper, & nunquam ſeparatus a Patre, aut alius a Pa- „ tre. (*e*) Protulit enim Deus ſermonem, ſicut radix fruticem, „ fons fluvium, & Sol radium.... Igitur ſecundum horum for- „ mam profiteor, me duos dicere, Deum, & Sermonem ejus, Pa- „ trem, & Filium ejus.... Tertius eſt Spiritus a Deo, & Fi- „ lio.... (*f*) Hanc me regulam profeſſum, qua inſeparatos ab „ alterutro Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum teſtor.... „ Ecce enim dico, alium eſſe Patrem, & alium Filium, & alium „ Spiritum.... neceſſitate dico,... non tamen diverſitate alium „ Fi-

(1) Docebat Praxeas, Deum Patrem in uterum Virginis deſcendiſſe, ex ea natum, & paſſum, uno verbo eundem eſſe Jeſum Chriſtum, quod nomen ſumpſerat in tempore poſt ſuam nativitatem. Hujus aſſeclæ *Monarchiani* audiebant, quippe qui nonniſi unam in Deo admittebant Perſonam, ſicut & *Patripaſſiani*, quia Chriſti paſſionem Patri tribuebant.

(a) *Cap.* 1. (b) *Cap.* 5. (c) *Cont. Hermog. c.* 3.

(d) *Eodem libro adverſus Praxeam cap.* 7.

(e) *Cap.* 8. (f) *Cap.* 9.

„ Filium a Patre, ſed diſtributione, nec diviſione alium, ſed diſtinctione “, alium perſona, non ſubſtantia. „ Pater enim tota ſubſtantia eſt, Filius vero derivatio totius, ſicut & ipſe profitetur: Pater major me eſt... Sic & Pater alius a Filio, dum Filio major; dum alius, qui generat, alius, qui generatur; dum alius, qui mittit, alius, qui mittitur; dum alius, qui facit, alius, per quem fit. Bene quod & Dominus uſus hoc verbo in perſona Paracleti non diviſionem ſignificans, ſed diſpoſitionem: rogabo enim, inquit, Patrem, & alium advocatum mittet vobis Spiritum veritatis “. Naturam relativorum urgere pergit, & addit: (*a*) *Quæ inſtituit Deus, ipſe cuſtodit. Habeat, neceſſe eſt, Pater Filium ut Pater ſit, & Filius Patrem, ut Filius ſit. Aliud eſt autem habere, aliud eſſe.... Si etiam, ut Pater ſim, Filium habeo, non ipſe mihi ero Filius; & ſi ut Filius ſim, Patrem habeo, non ipſe mihi ero Pater*. Quod tamen Praxeas docebat affirmans, Deum eſſe ſui ipſius Filium. „ Quod ſi verum foret, inquiebat Tertullianus, Deus dicere debuiſſet: *Dominus dixit ad ſe: Filius tuus ſum ego; ego hodie generavi me; & ego Dominus condidi me in initio viarum mearum....* (*b*) Quem autem verebatur Deus ita pronuntiare, ſi ita res erat?.... Unum tamen veritus eſt mentiri.... & ideo veracem Deum credens, ſcio illum non aliter, quam diſpoſuit, pronuntiaſſe, nec aliter diſpoſuiſſe, quam pronuntiavit.... (*c*) Duos tamen Deos, & duos Dominos nunquam ex ore noſtro proferimus, non quaſi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus... nemo enim alius præter unus Deus, & unus Dominus prædicabatur... Itaque Deos omnino non dicam, nec Dominos; ſed Apoſtolum ſequor, ut ſi pariter nominandi fuerint Pater, & Filius, Deum Patrem appellem, & Jeſum Chriſtum Dominum nominem. Solum autem Chriſtum potero Deum dicere.... (*d*) Si quando vero Scriptura unicum Deum ſtatuit, non nos perturbat; nam hoc dicit propter idololatriam tam nationum, quam Iſraelis, & etiam propter Hæreticos, qui, ſicut Nationes manibus, ita & ipſi verbis idola fabricantur, ideſt alium Deum, & alium Chriſtum “, & ſicut Marcioniſtæ, qui plura adſtruebant principia, & ſi qui ſunt alii. Explicat deinde Scripturæ loca, queis abutebatur Praxeas ad ſuum confirmandum errorem, ut cum dicitur: (*e*) *Ego, & pater unum ſumus*. Oſtendit enim primo, *ego & Pater*, *duorum eſſe ſignificationem*; dehinc *in noviſſimo ſumus non ex unius eſſe perſona*, *quod pluraliter dictum eſt*, tum *quod unum ſumus*, *non unus ſumus*. (*f*) Similiter *ad ſubſtantiæ unitatem*, *non ad numeri ſingularitatem dictum a Chriſto*: *ego in Patre*, *non ego ſum Pater*. (*g*) Baptiſmi etiam conferendi cæremoniam expendit Septimius obſervans, *mandatum Apoſtolis*, *ut tingerent*

TERTULL.

(a) *Cap.* 10. (b) *Cap.* 11. (c) *Cap.* 13.
(d) *Cap.* 17. (e) *Cap.* 22.
(f) *Cap.* 25. (g) *Cap.* 26.

TERTULL. *gerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non in unum. Nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur.*

Hæretici, ſequitur Tertullianus (*a*), *undique obducti diſtinctione Patris, & Filii* in Scripturis aperte manifeſtata, *eam ad ſuam nihilominus ſententiam interpretari conantur, ut æque in una perſona utrumque diſtinguant, Patrem, & Filium, dicentes, Filium Carnem eſſe, ideſt hominem, ideſt Jeſum; Patrem autem Spiritum, ideſt Deum, ideſt Chriſtum.* At hoc pacto, dum Dei Unitatem adſtruere, & tueri conantur, Incarnationis fidem penitus corrumpunt, & labefactant. *Nam ſi qui de Virgine natus eſt, eſt Dei Filius Emmanuel nobiſcum Deus;* profecto hic caro ſola eſſe non poteſt; *caro enim Deus non eſt, ſed ille, qui in ea natus eſt.* Præterea *Deum immutabilem, & irreformabilem credi neceſſe eſt, ut æternum. Sermo autem Deus, quem conſequens eſt, ut ſic carnem factum intelligamus, dum ſit in carne, & manifeſtatur, & videtur & contrectatur per carnem, quia & cætera ſic accipi exigunt.* „Si enim Sermo ex transfiguratione, & demutatione ſubſtan„tiæ caro factus eſt, una jam erit ſubſtantia Jeſus ex duabus ex „carne, & ſpiritu mixtura quædam, neque caro ergo, neque „Deus erit Jeſus: ita ex utroque neutrum.... Sed enim inveni„mus illum directe & Deum & Hominem.... certe uſquequaque „Filium Dei, & Filium Hominis, cum Deum, & Hominem;... „quia neque Sermo aliud, quam Deus, neque caro aliud, quam „homo.... Videmus duplicem ſtatum non confuſum, ſed conjun„ctum in una perſona.... Et adeo ſalva eſt utriuſque proprietas „ſubſtantiæ, ut ſpiritus egerit in illa virtutes, & opera, & ſi„gna, & caro paſſiones ſuas functa ſit". (*b*) Apparet etiam, Chriſtum non eſſe Patrem: *nam habemus ipſum exclamantem in paſſione: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti? Ergo aut Filius patiebatur a Patre derelictus, & Pater paſſus non eſt, qui Filium dereliquit; aut, ſi Pater patiebatur, ad quem Deum exclamabat?*

Tractatus adverſus Hermogenem, de Anima, de Carne Chriſti, de Reſurrectione Carnis.

Sunt & alii de Doctrina Tractatus a Tertulliano circa hoc idem tempus, ideſt annum Chriſti 205. elucubrati, videlicet adverſus Hermogenem, de Anima, de Carne Chriſti, & de Reſurrectione Carnis. Hermogenes adhuc vivens docebat, dari materiam æternam, hoc innixus principio, (*c*) *bonum, & optimum eſſe Deum, qui bona atque optima tam velit facere, quam ſcit, immo nihil non bonum, atque optimum & velle eum & facere.... inveniri autem & mala ab eo facta utique non ex arbitrio & voluntate, oportere igitur ex vitio alicujus rei factum ex materia eſſe ſine dubio.* Cui reponebat Tertullianus (*d*), *Hermogenem duos Deos inferre, dum materiam parem Deo infert. Deum autem unum eſſe opor-*

(a) *Cap.* 27. (b) *Cap.* 30.
(c) *Ad Hermog. cap.* 2. (d) *Cap.* 5.

portet, unicum autem eſſe non poterit, cui aliquid adæquabitur. Adæquabitur autem Deo materia, cum æterna cenſetur. (*a*) Similiter nec omnipotens Deus, qui *materiæ indiguit*, & materia *egenti Deo ſe præſtitit minori, & invalido, & minus idoneo de nihilo facere, quæ velit*. Præterea ſi materia mala, & æterna, profecto malum inevitabile, & neceſſarium; ſi mutabilis in bonum, ergo non æterna, (*b*) *& hic auctor mali Deus, qui cum debuiſſet omnia ex materia protuliſſe, aut tantum bona, protuliſſet etiam mala utique aut volens eſſe mala, ſi poterat efficere ne eſſent, aut non volens efficere omnia bona, ſi voluit, & non fecit*. In hoc autem Tractatu Tertullianus clare explicat, ſe, nomine corporis, omnem ſubſtantiam deſignare ſcribens, *unam omnibus formam ſolius corporalitatis, quæ ſubſtantiæ res eſt*; nomine vero rei incorporeæ, non niſi ſubſtantiæ modificationes intelligere, ſubdens: *ſi qua incorporalia adſunt, aut actus, aut paſſiones, aut officia, aut libidines eorum, non portiones deputamus*. Hinc apparet, quo ſenſu & Deum ipſum corporeum dixit, ideſt ſubſtantiam, non modum, nam certo conſtat, Deum non ab eo materialem creditum, cum in toto hoc libro conetur oſtendere, Deum materiam creaſſe. TERTULL.

Tractatum de Anima poſt præcedentem, & poſt Tractatum adverſus Marcionem compoſitum conſtat a Tertulliano certe jam Montaniſta. In eo docet, animam materialem non eſſe, ſed tamen eſſe corpus, tamquam axioma certum conſtituens: (*c*) *quidquid corpus non eſt, nihil eſt*. Platonicorum argumenta, quibus incorporalem animam aſſerebant, ſatis frivole repellit, immo corporalitatem animæ ex Evangelio perperam probare nititur. (*d*) Fatetur tamen, a ſe oppugnatam doctrinam de animæ ſpiritualitate pleriſque arridere, unde & vulgatiorem appellat. Tribuit etiam animæ *trifariam diſtantiam, longitudinem, & latitudinem, & ſublimitatem, quibus metiuntur corpora Philoſophi;* quod probat, & confirmat teſtimonio, & auctoritate cujuſdam mulierculæ apud Montaniſtas ſanctitate venerabilis. Auctoritate Scripturæ evincit, non fuiſſe æternam, (*e*) ſed *Dei flatu natam* incorruptibilem, & immortalem; (*f*) & metempſychoſim impugnat. (*g*) Eſſe in anima *ſubjacentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem* evincit, (*h*) & illam *eo uſque in Adam cenſeri, donec in Chriſto renaſcatur tandiu immunda, quamdiu recenſeatur*, docet. Hoc autem *malum animæ .... ex originis vitio antecedere* affirmat, *nam naturæ corruptio alia natura eſt, habens ſuum Deum, & Patrem, ipſum ſcilicet corruptionis auctorem.... Solus enim Deus ſine peccato, & ſolus homo ſine peccato Chriſtus, quia & Deus Chriſtus*.

Addit (*i*), *omnibus genios deputari, quod Dæmonum nomen eſt, invitatos tota illa puerperii ſuperſtitione, adeo nulla nativitas munda*

(a) *Cap.* 8. (b) *Cap.* 15. (c) *Cap.* 5. 6. 24.
(d) *Cap.* 9. (e) *Cap.* 22. (f) *Cap.* 28.
(g) *Cap.* 21. (h) *Cap.* 40. 41. (i) *Cap.* 39.

TERTULL. *da utique Ethnicorum*. Superſtitiones enumerans dicit: „ omnes, „ *idololatria obſtetrice, naſcuntur, dum ipſa adhuc uteri infulis* „ *apud idola confectis redimiti, genimina ſua Dæmoniorum condi-* „ *dit*, (*a*) *Deam fingunt Alemonam alendi in utero fœtus, &* „ *Nonam, & Decimam a ſollicitioribus menſibus, & Partulam,* „ *quæ partum gubernet, & Lucinam, quæ producat in lucem,* „ (*b*) *in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur, per totam hebdomadam* „ *Junoni menſa proponitur, ultima die fata ſcribunda advocantur;* „ *prima etiam conſtitutio infantis ſuper terram* Statinæ Deæ ſa- „ crum eſt; exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut aliquem „ excipit crinem, aut tota novacula proſecat, aut ſacrificio obli- „ gat, aut ſacro obſignat pro gentica, pro avita, pro publica, „ aut privata devotione “. In hoc ſenſu verba D. Pauli interpre- tatur: (*c*) *Alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*, qui ſcilicet ab iſtis ſuperſtitionibus immunes, quod etiam in cauſa dici poteſt, cur Exorciſmi Baptiſmo præmittantur. De ſomno loquens ſcribit (*d*): *Gratuita ſunt in ſomnis bona facta, & delicta ſecura, non magis enim ob ſtupri viſionem damnabimur, quam ob martyrii coronabimur....* (*e*) *Mortem* docet *non ex natura ſecutam hominis, ſed ex culpa*, quod probat ex *lege conditionali comminatione ſuſpendente, & arbitrio hominis addicente mortis eventum; ſi non deliquiſſet, nequaquam obiiſſet*. Et in quadam, quam refert, hiſtoria, clare affirmat, Presbyteros ad ſepulturam orare conſueviſſe. Putabat, omnium animas apud Inferos, ideſt *in viſceribus Terræ*, uſque ad diem judicii detineri, *juſtos* autem *ibi veluti in ſinu Abrahæ expectandæ reſurrectionis ſolatium capere*. (*f*) *Paradiſi regionem nullas alias animas apud ſe præter Martyres oſtendere*, quod probare conatur & ex Apocalypſi, & ex viſione S. Perpetuæ. At innuere videtur, alios ſentire, omnium juſtorum animas in Cælis recipi.

In Tractatu de Carne Chriſti plures oppugnat hæreticos dicentes, Chriſtum corpus aſſumpſiſſe vel ſolum phantaſticum, aut cæleſte, aut animale, ideſt, (*g*) quod *anima caro facta ſit*. Probat autem 1. Chriſtum veram ſumpſiſſe carnem humanam, & ex Virgine natum eſſe, (*h*) ex Scriptura diſtinguente in illo & animam, & carnem, ubi dicit: *Anxia eſt anima mea uſque ad mortem*; & alibi: *Panis, quem ego dedero pro ſalute Mundi, caro mea eſt*. Hinc dicit, *Chriſtum eſſe Deum Dei Filium, &, qua caro & anima, Filius hominis*. 2. Ejus Divinitatem contra Ebionem evincit, ſcribens: (*i*) *Non competebat ex ſemine humano Dei filium naſci, ne ſi totus eſſet Filius hominis, non eſſet & Dei Filius.... ergo jam Dei Filius ex Patris Dei ſemine, ideſt ſpiritu; ut eſſet hominis filius, caro ei ſola erat ex hominis carne ſumenda ſine viri ſemine*.

(a) *Cap.* 37. (b) *Cap.* 39. (c) 1. *Corinth.* 7. 14.
(d) *Cap.* 45. (e) *Cap.* 52. (f) *Cap.* 54.
(g) *Cap.* 10. (h) *Cap.* 13. (i) *Cap.* 18.

ne. (*a*) Hinc obſervat, nunquam a Chriſto dictum: *Ait mihi Angelus, qui in me loquebatur*, nec uſurpatum *quotidianum illud Prophetarum: Hæc dicit Dominus: ipſe enim erat Dominus eorum, & ſua auctoritate pronuncians: Ego autem dico vobis*. Et explicans illa Pauli verba *in ſimilitudinem carnis peccati* fuiſſe Chriſtum, dicit: (*b*) „ Non quod ſimilitudinem carnis acceperit quaſi imagi-
„ nem corporis, non veritatem, ſed ſimilitudinem peccatricis car-
„ nis, vult intelligi, quod ipſa non peccatrix caro Chriſti ejus
„ fuit par, cujus erat peccatum, ... & in Chriſto ſine peccato ha-
„ bebatur, quæ in homine ſine peccato non habebatur... (*c*) Dei
„ Filius de Virgine naſceretur oportebat, & nove naſci debebat
„ novæ nativitatis dedicator ". Si Patrem, & Matrem habuiſſet ſecundum carnem, *natus eſſet filius hominis, & purus homo*. Sic denique *homo cum Deo, dum caro hominis cum Spiritu Dei. Caro ſine ſemine, ex homine, ſpiritus cum ſemine, ex Deo*. (*d*) *Caro autem ipſa Abrahæ, & David per ſingulos traducem ſui faciens, in Virginem utique inſerens Chriſtum*. Denique Tertullianus varios exponit, ac refellit Hæreticorum errores, quibus Chriſtum dividebant.

TERTULL.

In Tractatu de Reſurrectione Carnis Valentinianos, cæteroſque refutat hæreticos, qui Carnis Reſurrectionem inficiabantur, non aliam agnoſcentes reſurrectionem, niſi animæ, ideſt ſpiritualem per morum converſionem, allegorice dicta putantes quæcunque in Scripturis de Corporum Reſurrectione dicta leguntur. Hoc autem dogma inficiabantur in odium Carnis, ejuſque Creatoris, & ab hoc errore incipiebant rudes, & ſimpliciores fideles decipere, affirmantes, carnis Reſurrectionem eſſe impoſſibilem, ut inde ad reddendam carnem odibilem, & ejus Creatorem contemptibilem ſibi viam ſternerent.

Non omnia, quæ Tertullianus etiam Montaniſta exaravit, opera, Eccleſiam, ejuſque dogmata oppugnant; ſed ſolum in Tractatu *de Pudicitia* Eccleſiæ morem concedendi mœchis veniam, & pœnitentiam reprobat; in Tractatibus de *Monogamia*, & de *exhortatione Caſtitatis* ſecundas nuptias, ceu illicitas traducit; in Tractatu *de Jejunio*, ubi immoderata Montaniſtarum jejunia extollit, & ſn præcepto eſſe pugnat; in Tractatu quoque *de Fuga in perſecutione* illos vituperat, qui ut a perſecutione ſe eriperent, fugam capiebant, in ſolitudinem ſe recipientes; & denique in Tractatu *de velandis Virginibus*, ubi docet Virgines velatas incedere oportere.

(a) *Cap.* 14. (b) *Cap.* 16.
(c) *Cap.* 17. (d) *Cap.* 22.

TERTULL.

ARTICULUS TERTIUS.

Præcipua Tertulliani teſtimonia, Doctrinam, mores, & Diſciplinam ſpectantia.

De Scripturarum inſpiratione.

TERTULLIANUS ſive Catholicus, ſive Montaniſta conſtanter tenuit, credidit, & docuit, libros tum veteris, tum novi Teſtamenti eſſe verbum Dei, (*a*) & *omnem Scripturam ædificationem habilem divinitus inſpirari.*

Nonniſi quatuor agnoſcit Evangelia ſcribens: (*b*) *Nobis fidem ex Apoſtolis Joannes, & Matthæus inſinuant, ex Apoſtolicis Lucas, & Marcus inſtaurant:* addit tamen ſolere Evangelium Marci S. Petro, & Lucæ S. Paulo adſcribi.

De Trinitate Perſonarum, & Verbi Divinitate.

Pluribus in locis oſtendit (*c*), unum eſſe Deum in tribus Perſonis, *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*, quas etiam expreſſo *Trinitatis* nomine deſignat: „ (*d*) Inſeparatos (ſcribit) ab alterutro Patrem, & Filium, & Spiritum teſtor .... Ecce enim dico, alium eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritum .... neceſſitate autem hoc dico .... non tamen diverſitate alium Filium a Patre, ſed diſtributione, nec diviſione alium, ſed diſtinctione alium perſona, non ſubſtantia. Pater enim tota ſubſtantia eſt, Filius vero derivatio totius .... (*e*) Duos Deos, aut duos Dominos nunquam ex ore noſtro proferimus, non quaſi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unuſquiſque, ſed quia Filius Deus dicitur ex unitate naturæ cum Patre .... Si pariter nominandi fuerint Pater, & Filius, Deum Patrem appellem, & Jeſum Chriſtum Dominum nominem, ne Gentilibus videar aſſentiri, quorum Dii plures. Solum autem Chriſtum potero Deum dicere". Ad Fidem Eccleſiæ de Perſonarum Trinitate confirmandam laudat Baptiſmi ritum, (*f*) & cæremoniam illius temporis, videlicet non ſemel, ſed ter ad ſingula nomina perſonas ſingulas baptizandas tingendi.

De duabus in Chriſto naturis.

Fidem ſuam de Incarnationis Myſterio lucide exponit ſcribens: „ (*g*) Duæ ſubſtantiæ cenſentur in Chriſto Jeſu divina, & humana .... (*h*) Videmus duplicem ſtatum non confuſum, ſed conjunctum in una perſona, ut ſpiritus res ſuas egerit in illo, ideſt virtutes, & opera, & ſigna, & caro paſſiones ſuas functa ſit". Patrem non eſſe paſſum evincit ſcribens: „ (*i*) Habes eum exclamantem in paſſione: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me?*

(a) *De hab. Mul. cap. 3.* (b) *Adv. Marc. lib. 4. cap. 2.*
(c) *Adv. Prax. cap. 26.* (d) *Ibid. cap. 9.*
(e) *ib. cap. 13.* (f) *ib. cap. 26.*
(g) *ib. cap. 29.* (h) *ib. cap. 27.* (i) *ib. cap. 30.*

„ *me?* Ergo aut Filius patiebatur a Patre derelictus, & Pater paſ- „ ſus non eſt, qui Filium dereliquit, aut ſi Pater erat, qui patie- „ batur, ad quem Deum exclamabat“? In Pſalmis pene omnibus (*a*) Chriſtus inducitur tanquam loquens ad Patrem. Dicit etiam: (*b*) *Qui ad Moyſen loquebatur, ipſe erat Dei Filius, qui & ſemper videbatur, Deum enim Patrem nemo vidit unquam.* (*c*) Et hominem ad imaginem Chriſti futuri fuiſſe efformatum docet.

TERTULL.

De Dei, & Angelorum ſubſtantia loquens, eos videtur corporeos, & materiales aſſerere; verum ſi ejus bene rimentur verba, clare conſtabit, (*d*) *corporis*, ſeu *materiæ* nomine ſolum ſignificare velle, Deum, & Angelos eſſe ſubſtantias in ſe ſubſiſtentes: 1. enim pro principio ſtatuit, (*e*) *Deum eſſe Spiritum*, & Filium ejus eſſe *de Spiritu Spiritum*, & *de Deo Deum*. 2. Creaturas mere corporeas a ſpiritualibus diſtinguit, dum dicit, (*f*) *Deum totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum corporum, & ſpirituum condidiſſe*. 3. Quando ſcribit: (*g*) *Quis negabit Deum corpus eſſe, etſi Deus ſpiritus eſt?* ſubdit ſtatim: *Spiritus enim corpus ſui generis in ſua effigie*. (*h*) Denique nomine corporis, cujuſcumque generis ſubſtantias complectitur; hinc aliquando Angelos ſive bonos, ſive malos ſubſtantias ſpirituales appellare non veretur, ut dum dicit: (*i*) *Conſtat, Angelos carnem non propriam geſtaſſe, utpote natura ſubſtantiæ ſpiritualis*.

De natura Dei, & Entium ſpiritualium.

Immortalem animam ex indole ſua & agnovit, & prædicavit Tertullianus ſcribens: (*k*) *Anima ſi diſſolubilis, jam non immortalis. Itaque quia non mortalis, neque diſſolubilis, neque diviſibilis*. (*l*) Dei exiſtentiam omnibus *comprobari vel ipſius animæ teſtimonio*, ejus *immortalitatem pluribus compertam eſſe*. (*m*) *In omni anima recognoſcere eſt notitiam ſui, ſine qua notitia ſui nulla anima a ſe miniſtrare potuiſſet:* poſt a corpore ſeparationem (*n*) *animas in inferis puniri pro* admiſſis ſceleribus *non expectata carne; ſic & ob cogitatus pios, & benevolos, in quibus carne non eguit, ſine carne recreabitur;* quam tamen pœnam, & præmium non futura perfecta, niſi poſt reſurrectionis plenitudinem aſſerit. (*o*) *Evangelium* demonſtrat, *& noviſſimum quadrantem modicum quoque delictum mora reſurrectionis apud inferos eſſe luendum*. Liberum arbitrium agnoſcit, dum ſcribit: (*p*) *In nobis eſt voluntas eligendi alterum: ecce poſui ante te bonum, & malum, ita eſt no-*

De Animæ immortalitate.

(a) *ib. cap.* 11. (b) *Adv. Jud. cap.* 9.
(c) *Adv. Marc. lib.* 5. *cap.* 8. (d) *De Carne Chriſti cap.* 11.
(e) *Apolog. cap.* 21. (f) *ib. cap.* 17.
(g) *Adv. Prax. cap.* 7. (h) *De Carn. Chriſt. cap.* 11.
(i) *ib. cap.* 6. (k) *De Anima cap.* 14.
(l) *Apologet. cap.* 17. (m) *De Carne Chriſti cap.* 12.
(n) *De Carn. Chriſt. cap.* 12. (o) *ib. cap.* 58.
(p) *Exhort. ad Caſt. cap.* 2.

TERTULL.

ſtra voluntas, cum malum volumus... ſicut ille princeps generis & delicti Adam voluit, quod deliquit.

De neceſſitate gratiæ: De utilitate timoris: De continentia: De mendacio.

Gratiæ neceſſitatem agnoſcit, dum ſcribit: (*a*) *Ad cupienda, & præſtanda bona ſola gratia divinæ inſpirationis operatur, nam quod maxime bonum, id maxime penes Deum, nec alius id, quam qui poſſidet, diſpenſat, ut cuique dignatur*. (*b*) Timorem dicit eſſe honorem Dei, illum laudat, & initium dicit eſſe ſalutis, a quo ſalutaris incipit Pœnitentia.... (*c*) *Continentiam, & virginitatem nuptiis anteponit, ſed non eas prohibet, deſtructores enim nuptiarum, non ſectatores caſtitatis retundens*. (*d*) Omne mendacium damnat, quod dicit, *ædificari non poſſe ſine demolitione veritatis*; & rejicit etiam æquivocationes omnes, & etiam quas mentales vocant reſtrictiones.

De Eccleſia: de Baptiſmo.

Eccleſiam eſſe (*e*) *in Arca Noe*, & in Petri Navicula figuratam dicit, a qua veluti per ſpiritualem mortem ſeparantur Hæretici, (*f*) *non credendo, quod Chriſtianos facit, & reſcindendo, quod antea crediderunt*. De Baptiſmo loquens ſic ſcribit: „ (*g*) „ Aquam adituri ibidem, ſed aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & „ Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti „ lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die lavacro „ quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. (*h*) Ingreſſuros „ Baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, „ & pervigiliis orare oportet cum confeſſione omnium retro delictorum. (*i*) Diem ſolemniorem Baptiſmo Paſcha præſtat.... „ exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt.... „ Cæterum omnis dies Domini eſt omnis hora, omne tempus habile Baptiſmo. (*k*) Dandi Baptiſmum jus habet Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri, & Diaconi.... „ alioquin etiam laicis jus eſt, ſcilicet in neceſſitatibus". (*l*) Catechumeni ubi baptizabantur, *ter mergebantur ad ſingula nomina in perſonas ſingulas, quoniam ubi tres, ideſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ibi Eccleſia, quæ trium corpus eſt*, qui mos tum in parvulis, tum in adultis abluendis cuſtodiebatur.

Apoſtolos ante Pentecoſten (*m*) *tinxiſſe Baptiſmo Joannis*, ut præpararent ad gratiam dicit, (*n*) & *nullam eſſe diſtinctionem, mari quis an ſtagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur*, (*o*) *aliquando gratiam concedi & ſolis deſiderantibus Baptiſmum*, (*p*) nec non & ſanguinem pro Chriſto fundentibus. Originale peccatum,

(a) *De Patientia cap.* 1. (b) *De Pœnit. cap.* 7.
(c) *Adv. Marc. lib.* 5. *cap.* 15. (d) *ib. lib.* 2. *cap.* 1.
(e) *lib. de Bapt. cap.* 8. (f) *De Carn. Chr. cap.* 2.
(g) *De Cor. Milit. cap.* 3. (h) *De Bapt. cap.* 20.
(i) *ib. cap.* 19. (k) *cap.* 17. (l) *ib. cap.* 6.
(m) *ib. cap.* 11. (n) *cap.* 4. (o) *cap.* 12. (p) *cap.* 16.

tum, quo omnes contaminati naſcimur, neceſſarium reddit Baptiſma; (*a*) *nam omnis anima eo uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur. Peccatrix autem, quia immunda recipiens ignominiam ſuam ex carnis ſocietate*, quem tamen effectum minime præſtabat Circumciſio, (*b*) quippe quæ *data eſſet in ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogativam*. TERTULL.

(*c*) *Egreſſi* de lavacro *Neophyti perungebantur benedicta unctione, unde Chriſtus dicitur a Chriſmate, quod eſt unctio*... (*d*) *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum*. Quibus verbis luculentiſſime Tertullianus Sacramentum Confirmationis deſignat, quod a Baptiſmate diſtinguit, cum diſtinctos illis tribuat effectus, Baptiſmo ſiquidem remiſſionem peccatorum, & unctioni, & impoſitioni manuum plenitudinem, & dona Spiritus Sancti. Alibi etiam hæc duo Sacramenta diſcernit, dum ſcribit: (*e*) *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur*. De Confirmatione.

Quæ poſtrema verba manifeſte oſtendunt, Tertullianum realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia agnoviſſe, quam iterum manifeſtat, ubi dicit: (*f*) *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo*. Et licet addat, *ideſt figura corporis mei*, non realem præſentiam excludit, ſed diſputans adverſus Marcionem, cui oſtendere volebat, omnia Creatoris opera bona eſſe, exemplum panis attulit, quem Marcio ut malum reſpicere nequibat, quippe quia Chriſtus, quem Meſſiam agnoſcebat, (*g*) *panem corpus ſuum appellavit, ut hinc jam eum intelligas corporis ſui figuram pani dediſſe, cujus retro corpus in panem Propheta figuravit, cum dixit: Venite mittamus lignum in panem ejus*. Euchariſtiæ celebrationem etiam Sacrificii nomine deſignat, (*h*) *quam in antelucanis cœtibus, nec de aliorum manibus, quam præſidentium ſumebant fideles*, (*i*) & quidem in *manibus ſuis*, & ſumptam in Eccleſia domum deferebant, (*k*) *ut ante omnem cibum guſtarent*. De Euchariſtia.

(*l*) *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque converſatio* Chriſtianos *exerceret, frontem Crucis ſignaculo terebant*, & preces ſuas ab Oratione Dominica exordiri ſolebant, (*m*) & *ad Orientis regionem* preca- Signum Crucis: Orationis horæ ſtatutæ: Oratio pro Defunctis.

(a) *De anima cap. 40.* (b) *Adv. Jud. cap. 3.*
(c) *De Bapt. cap. 5.* (d) *cap. 8.*
(e) *De Reſur. Carn. cap. 8.*
(f) *Lib. 4. adv. Marc. cap. 40.*
(g) *Adv. Marc. lib. 3. cap. 19.* (h) *De Coron. Mil. cap. 3.*
(i) *De Idolol. cap. 7.* (k) *Lib. 2. ad Ux. cap. 5.*
(l) *De Cor. Milit. cap. 3.* (m) *Apol. cap. 16.*

Tertull.

precabantur, (*a*) & *manibus quidem non ſublimius elatis, ſed temperate, ac probe elatis, nec vultu in audaciam erecto, ſed humiliato, & dejecto, ſonos etiam vocis ſubjectos eſſe oportet ut quantum arterii opus eſt, ſi pro ſono audiamus.* Orationis ſolemniora tempora erant (*b*) *hora tertia, ſexta, & nona.* (*c*) *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die faciebant* tunc temporis fideles, (*d*) & Uxores hortatur, ut pro *defuncti Mariti anima oret, & refrigerium interitu adpoſtulet ei & in prima reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus dormitionis ejus.* Defuncto in pace Chriſtiano (*e*) *dum morabatur ſepultura, interim oratione Presbyteri componebantur,* (*f*) *& ad ſepulchra thura adhibebantur.*

Quadrageſimæ jejunium. Alia ad libitum.

(*g*) *Catholici* ſolum *illos dies jejunii determinatos putabant, in quibus ablatus eſt ſponſus, & hos fuiſſe jam ſolos legitimos jejuniorum chriſtianorum,* nec niſi ad veſperas jejunium ſolvebant. Alia erant jejunia, *ſed ex arbitrio, non ex imperio diſciplinæ;* ſic nonnulli *quarta, & ſexta feria* cujuſcumque hebdomadæ jejunabant, (*h*) quod *ſtationum* jejunium dicebatur; aliquando etiam *Epiſcopi univerſæ plebi jejunia mandare ſolebant, ſed interdum, & ex aliqua ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſa.* Hæc autem jejunia hora nona ſolvebantur. Non deerant ferventiores fideles, qui jejunio xerophagiam addebant, ideſt non niſi aridis, & exſuccis cibis veſcebantur, carnibus & vino abſtinentes, aliis etiam ſolo pane, & aqua victitantibus. (*i*) *Die Dominica jejunare nulli fas erat, vel de geniculis adorare, eademque immunitate a die Paſchæ in Pentecoſtem uſque gaudebant.*

Argumenta diverſi generis.

„ (*k*) Cui veritas comperta (ſcribit) ſine Deo, cui Deus co- „ gnitus ſine Chriſto, cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu Sancto, „ cui Spiritus Sanctus accommodatus ſine fidei Sacramento "? ideſt ſine Baptiſmo. (*l*) *Nihil verum in his, qui Deum neſciunt præſidem, & magiſtrum veritatis.* Decalogi præcepta naturalia ſunt, data proinde Patriarchis ante Moyſem, (*m*) *immo omnia recondita in lege Adæ data. Nuſquam, & nunquam excuſatur, quod Deus damnat. Nuſquam, & nunquam licet, quod ſemper & ubique non licet.* (*n*) *Omnia penes veritatem Dei fixa ſunt.* (*o*) *Nihil verum in his, qui Deum neſciunt præſidem, & magiſtrum veritatis,* quod dicit de fœminis Nationum, in quibus *etſi pudicitia credi poſſit,* ea tamen adeo *imperfecta, & incondita eſt, ut tamen in licentias ſeſe diſſolvat.* (*p*) *Vetitum Hebræis facere ſimilitudines omnium,*

(a) *De Orat. cap.* 13. (b) *De jejun. cap.* 10.
(c) *De Coron. Mil. cap.* 3. (d) *De Monog. cap.* 10.
(e) *De Anima cap.* 51. (f) *Apolog. cap.* 52.
(g) *De jejun. cap.* 2. (h) *ib. cap.* 12.
(i) *De Coron. Milit. cap.* 3. (k) *De anima cap.* 1.
(l) *De cult. fœmin. cap.* 1. (m) *Adv. Jud. cap.* 2.
(n) *De Spect. cap.* 20. (o) *De cult. fœm. cap.* 1.
(p) *Adv. Marc. lib.* 2. *cap.* 22.

omnium, quæ in cælo, & in terra, ut idololatria ſubſtantia cohiberetur, & ne adorarent, non ut etiam haberent. (*a*) *Chriſtus non alia de cauſa deſcendit, quam peccatorum liberandorum*. Notat, in Calicibus pingi conſueviſſe imaginem boni Paſtoris ovem humeris deferentis. Crucis figuram deſcribens ait: (*b*) *Nam & in antenna Navis, quæ Crucis pars eſt, hoc extremitates hujus cornua vocantur, unicornis autem media ſtipitis patens*. Quibus verbis innuit, præter Crucis extrema quatuor, ſedile in medio poſitum ad Crucifixi ſuſtentaculum. (*c*) *Eodem momento* Mortis Chriſti *dies, medium orbem ſignante Sole, ſubducta eſt, & hunc Mundi caſum relatum in Archiviis Romanis haberi*, dicit. Addit, Pilatum jam pro ſua *conſcientia Chriſtianum omnia ſuper Chriſto Cæſari tunc Tiberio nuntiaſſe*, & Tiberium audita *revelatione divinitatis Chriſti ſibi annuntiata ex Syria*, ut inter Deos collocaretur, *detuliſſe ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui, ſed Senatum, quia rem in ſe probaverat, reſpuiſſe; Cæſarem tamen in ſententia manſiſſe comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum*. (*d*) *Simonem Magum cum ſtatua*, & inſcriptione *Sancti Dei* inauguraſſe Romanos: & denique narrat, ſuo tempore Judæos (*e*) *palabundos, cæli & ſoli ſui extorres vagari per orbem, ſine homine, ſine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare concedebatur*. TERTULL.

Illud etiam notandum, Babylonem illam magnam, de qua loquitur S. Joannes in Apocalypſi, (*f*) *Romanæ Urbis figuram eſſe, proinde magnæ, & regno ſuperbæ, & Sanctorum Dei debellatricis*: & felicem eſſe (*g*) *Romanam Eccleſiam*, cui *totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatus eſt, ubi Paulus Joannis exitu coronatus eſt, ubi Joannes in oleum igneum demerſus fuit*.

ARTICULUS QUARTUS.

Tertulliani Aſcetica Documenta.

I. NOS, qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito ſoli innocentiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum ſempiterni; eum timentes, quem timere debebit & ipſe, qui timentes judicat: Deum, non Proconſulem timentes. (*In Apolog. cap.* 41.) Chriſtianus Deum timet, non homines.

II. Chri-

(a) *De Idol. cap.* 5. (b) *De Pud. cap.* 7.
(c) *Apol. cap.* 21. (d) *ib. cap.* 13.
(e) *ib. cap.* 21. (f) *Lib.* 3. *adv. Marc. cap.* 13.
(g) *De Præſcript. cap.* 36.

TERTULL.

II. Chriſtiani non aliunde noſcibiles, quam de emendatione vitiorum priſtinorum. (*Ad Scapul. cap.* 1.)

Chriſtiani ſignum. Deus ad pœnitentiam impellit. III. Bonum eſt pœnitere an non; quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantum, ſed hortatur. Invitat præmio ſalutem; jurans, etiam *vivo* dicens, cupit credi ſibi. O beatos nos, quorum cauſa Deus jurat! o miſerrimos, ſi nec juranti Domino credimus! (*Lib. de Pœnit.*)

Recidivi Deo injurioſi. IV. Cæterum non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renunciaſſet; & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eumdem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſeipſum facit; ut denuo malus recuperata præda ſua adverſus Dominum gaudeat. Nonne quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt, diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicato pronunciaſſe, eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit. (*Lib. de Pœnit.*)

Peccatorem ad ſe revertentem Deus benigne ſuſcipit. V. Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus ſcilicet: tam Pater nemo; tam pius nemo. Is ergo te filium ſuum, etſi acceptum ab eo prodegeris, etſi nudus redieris, recipiet, quia rediſti: magiſque de regreſſu tuo, quam de alterius ſobrietate lætabitur. Sed ſi pœniteat ex animo .... ſi porcos immundum relinquas pecus, ſi patrem repetas vel offenſum, deliqui dicens Pater, *nec dignus ego jam vocari tuus*. Tantum relevat confeſſio delictum, quantum diſſimulatio exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ. (*Lib. Ibidem.*)

Antiquæ Pœnitentiæ ſtylus. VI. *Exomologeſis* proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare: cæterum paſtum, & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere. (*Ibidem.*)

Ridenda pœnitentia, quæ delicias non abjicit. VII. Adjicito ad ſumptum, conquirito altilium enormem ſaginam, defœcato ſenectutem vini: cumque quis interrogavit, cur animæ largiaris; deliqui, dicito in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo & maceror & excrucior, ut Deum reconciliem, quem delinquendo læſi. (*Ibid. cap.* 11.)

Miſſa uſque ad finem audienda. VIII. Plerique non putant ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit, an magis Deo obligat. (*Lib. de Orat. cap.* 9.)

Chriſtiano Mundus eſt inſtar carce- IX. Si recogitemus ipſum magis mundum carcerem eſſe, exiiſſe vos e carcere, quam in carcerem introiſſe, intelligemus. Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant; graviores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt;

gunt; pejores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures poſtremo mundus reos continet, ſcilicet univerſum hominum genus. Judicia denique non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet. (*Lib. ad Martyr. cap.* 2.) Tertull.

X. Omni pene in loco de contemnendo ſæculo ſcripturis Dominicis commonetur. Nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio ſubjacet, quam quod ipſe Dominus in nullis divitiis invenitur, ſemper pauperes juſtificat, divites prædamnat. Ita detrimentum patientiæ, faſtidium opulentiæ præminiſtravit: demonſtrans per abjectiones divitiarum, læſuras quoque earum computandas non eſſe. (*Lib. de Patient. cap.* 7.) Exemplo Chriſti contemnendæ divitiæ.

XI. Cum conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mentis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, ſi periiſſe non credis?... profectio eſt, quam putas mortem. Non eſt lugendus qui antecedit, ſed plane deſiderandus. Id quoque deſiderium patientia temperandum. Cur enim immoderate feras abiiſſe, quem mox ſubſequeris? Cæterum impatientia in hujuſmodi & ſpei noſtræ male ominatur, & fidem prævaricatur; & Chriſtum lædimus, cum evocatos quoſque ab illo, quaſi miſerandos, non æquanimiter accipimus. (*Ibidem cap.* 9.) Cur de morte amicorum non dolendum.

XII. Satis idoneus patientiæ ſequeſter Deus. Si injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt; ſi damnum, reſtitutor eſt; ſi dolorem, medicus eſt; ſi mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem? nec immerito, omnia enim placita ejus tuetur, omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſim adſignat, carnem regit, ſpiritum ſervat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat, pauperem conſolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non conſumit, fidelem delectat, gentilem invitat, ſervum Domino, Dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in juvene, ſuſcipitur in ſene; in omni ſexu, in omni ætate formoſa eſt. (*Ibidem cap.* 15.) Patientiæ encomia.

XIII. Impudicitiam omnem amoliri jubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro ſeparamur, quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. (*Lib. de Spect. cap.* 17.) Adverſus ſpectacula, & theatra.

XIV. Arcent ſcenicos honoribus omnibus ſimul, & ornamentis... Quanta confeſſio eſt malæ rei, quarum auctores quam acceptiſſimi, ſine nota non ſunt. (*Ibidem c.* 22.) Scenici ſemper infames.

XV. An ille recogitabit eo tempore de Deo, poſitus illic, ubi nihil eſt de Deo?... Pudicitiam ediſcet, attonitus in mimos? imo in omni ſpectaculo nullum magis ſcandalum occurret, quam ipſe ille mulierum & virorum accuratior cultus, ipſa conſenſio, ipſa in favoribus aut conſpiratio, aut diſſenſio, inter ſe de commercio ſcintillas libidinum conflabellant. Nemo enim in ſpectaculo ineundo prius cogitat, niſi videri, & videre.... Avertat Deus Comœdiis Chriſtianis vetitum intereſſe.

a ſuis

TERTULL.

a ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem. (*Ibid. c.* 25.)

Veræ Chriſtianorum voluptates in hoc ſæculo.

XVI. Jam nunc ſi putas delectamentis exigere ſpatium hoc, cur tam ingratus es, ut tot & tales voluptates a Deo contributas tibi ſatis non habeas, neque recognoſcas? Quid enim jucundius, quam Dei Patris, & Domini reconciliatio? quam veritatis revelatio? quam errorum recognitio? quam tantorum retro criminum venia? Quæ major voluptas, quam faſtidium ipſius voluptatis, quam ſæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conſcientia integra, quam vita ſufficiens, quam mortis timor nullus? (*Ibid. cap.* 29.)

Mali Sacerdotes Judæis pejores.

XVII. Proh ſcelus! ſemel Judæi Chriſto manus intulerunt, iſti *impii Sacerdotes* quotidie Corpus ejus laceſſunt. O manus præcidendæ! viderint jam an per ſimilitudinem dictum ſit; *ſi te manus tua ſcandalizat, amputa eam.* Quæ magis amputandæ, quam in quibus Domini Corpus ſcandalizatur! (*Lib. de Idololatria cap.* 7.)

Mulier Chriſtiana hominibus placere negligit, immo horret.

XVIII. Perfectæ, ideſt Chriſtianæ pudicæ, appetitionem ſui non tantum non appetendam, ſed etiam execrandam vobis, ſciatis; primo quod non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus. Quid igitur in te excitas malum iſtud? quid invitas, cujus te profiteris extraneam? tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ non nunquam (quod Deus a ſuis abigat) inſtando perficiunt, certe vel ſpiritu ſcandalum permovent. (*De cultu fœm. cap.* 2.)

Fucos adhibere quale crimen.

XIX. Non ſupergrediendum in ornando corpore, ultra quam quod ſimplices & ſufficientes munditiæ concupiſcunt, ultra quam Domino placere; in illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant ..... Diſplicet illis nimirum plaſtica Dei: in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim, cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adverſario artifice ſumentes additamenta iſta, ideſt diabolo. (*Ibidem Cap.* 5.).

Imago mulieris Chriſtianæ.

XX. Prodite vos jam medicamentis, & ornamentis exſtructæ Apoſtolorum ..... Caput maritis ſubjicite, & ſatis ornatæ eritis; manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in auro placebunt. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. (*Ibid. cap.* 13.)

Chriſtianus voluptates mundi fugere debet.

XXI. Tu peregrinus es mundi hujus, civis ſupernæ Hieruſalem.... Nihil tibi cum gaudiis ſæculi, imo contrarium habes. *Sæculum enim gaudebit, vos vero lugebitis. Et felices* ait *lugentes*... Omnia imaginaria in ſæculo, & nihil veri. (*Lib. de corona militis, cap.* 13.)

Adverſus Veritatem nulla præſcriptio.

XXII. Veritati nemo præſcribere poteſt; non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere conſuetudo initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita, in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit. (*Lib. de Virgin. Veland. cap.* 1.)

Non ex perſonis fides probanda, ſed perſonæ ex fide.

XXIII. Non ex perſonis probamus fidem, ſed ex fide perſonas. Nemo

Nemo ſapiens eſt, nemo fidelis, nemo major, niſi Chriſtianus: nemo autem Chriſtianus, niſi qui ad finem uſque perſeveraverit. (*De Præſcript. adverſ. Hæret. cap.* 3.)

TERTULL.

Non alia quærenda ſcientia, quam Jeſu Chriſti.

XXIV. Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium. Cum credimus, nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non eſſe quod ultra credere debeamus. (*Ibid. cap.* 8.)

Corpus Chriſti in cælo pignus eſt, & noſtrum quoque illi jungendum.

XXV. Quemadmodum Chriſtus nobis arrhabonem ſpiritus reliquit, ita & a nobis arrhabonem carnis accepit; & vexit in cælum pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ. Securæ eſtote caro & ſanguis, uſurpatis & cælum, & regnum Dei in Chriſto. Aut ſi negent vos in Chriſto, negent & in cælo Chriſtum qui vobis cælum negaverunt. (*Lib. de Reſurrect. carn. cap.* 51.)

Homo imago Dei per liberum arbitrium.

XXVI. Non facie homo ad uniformem Deum expreſſus eſt: ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt animæ ad formam Dei ſpondentis, & arbitrii ſui libertate ſignatus eſt. Hunc ſtatum ejus confirmavit etiam ipſa lex. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate: nec rurſus comminatio mortis tranſgreſſioni adſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrii libertatem hominis deputaretur.... Sed & alias quale erat, ut totius mundi poſſidens homo, non in primis animi ſui poſſeſſione regnaret, aliorum Dominus, ſui famulus. (*Lib.* 2. *adverſ. Marcion. cap.* 5. 6.)

Deus amandus ut Pater; timendus ut Dominus.

XXVII. Juſtitia Dei plenitudo eſt divinitatis ipſius, exhibens Deum perfectum, & Patrem & Dominum. Patrem, clementia; Dominum, diſciplina: Patrem, poteſtate blanda; Dominum ſevera: Patrem diligendum pie; Dominum timendum neceſſarie: diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quam mortem; & timendum, quia nolit peccatores ſui jam non pœnitentes. Ideo lex utrumque definit: *Diliges Deum, & timebis Deum*. Aliud obſecutori propoſuit, aliud exorbitatori. Ad omnia occurrit tibi Deus, percutiens, & ſanans: mortificans, ſed & vivificans; humilians, ſed & ſublimans; condens mala, ſed & pacem faciens. (*Ibid. cap.* 13. & 14.)

CA-

CAPUT SEXTUM.

ORIGENES

Presbyter, & Confeſſor.

ARTICULUS PRIMUS.

Vitæ Origenis Breviarium.

ORIGENES. Infantia & educatio Origenis. Ejus animi ornamenta. Catechiſticam Cathedram moderatur. Martyrii deſiderium. Imprudens facinus.

ORIGENES, qui & Adamantius (1), immo & aliquoties Calcenteri (2) appellationem conſecutus, genere Ægyptius Alexandriæ natus eſt anno Chriſti, ut videtur, 185. annum jam ſextum imperante Commodo. Illum domeſtica inſtitutione formandum ſuſcepit Pater ejus Leonidas, animumque ejus Sacrarum Scripturarum ſtudiis præſertim imbuit. Adoleſcens Origenes brevi tempore profecit, tantamque junxit cum admirabili ingenii ubertate & doctrina pietatem, virtutem, modeſtiam, ut dormientis cubiculum pueri ſæpe ingreſſus Pater nudatum Filii pectus, tamquam Spiritus Sancti domicilium, exoſculatus fuerit, gratias Deo agens, qui ſe tam felici prole auxiſſet, quod & D. Hieronymum ſcribere compulit, Origenem *ſe ab infantia egregium virum exhibuiſſe*. Clementis Alexandrini diſcipulus fuit, cui nonniſi decimum octavum agens annum ſucceſſit in Cathedra Catechiſtica, ut ejus loco Theologiam doceret, & Sacras Scripturas interpretaretur. Jam præcedente anno Pater ejus Leonidas Martyrii coronam adeptus fuerat, ſæviente Severi anno 202. perſecutione, tantaque tum Martyrii cupido Origenem accenderat, ut Mater filii impetum retardare fletibus non valens, arte & occultatis ipſius veſtimentis invitum & dolentem domi retinuerit. Frequens confluxit ad Origenis Scholam Auditorum turba tum Gentilium, tum Chriſtianorum, iſtos in fide confirmabat, illos vero ab Idolorum cultu revocatos Chriſto adipiſcebatur. Plures ex ejus Schola prodiere Martyres, quæ ideo potius Martyrum tyrocinium, quam diſcipulorum Magiſterium dici poterat. Ventitabant etiam ad eum puellæ fidei Chriſtianæ, & ſtudiorum gratia; eapropter, ut omnem a ſe amoveret ſuſpicionem, & aliorum offenſionem tolleret, corpus ſuum eviravit, Chriſti verbis de Eunuchis, qui

(1) Hoc nomen, quod adamantinum ſignificat, vel infrangibile, datum Origeni fuit, quia ſummo & acri ſtudio in Sanctarum Scripturarum labore ſudavit, ut ſcribit S. *Hier. Ep.* 33. *E. V.*
(2) Vox illa quaſi *ænei pectoris* ſignificat.

ORIGENES.

qui ſe ipſos caſtraverunt, præter germanum ſenſum acceptis & intellectis. Magna hinc exorta doctorum hominum concertatio, laude ne, an vituperatione ejuſmodi facinus dignum foret. Romam perrexit circa annum 211. inde reverſus plura in lucem edidit Opera, quæ ſummam illi peperere nominis exiſtimationem, & famam, unde auctus Auditorum numerus. Verum Demetrius Alexandrinus Epiſcopus ex inſigni Origenis gloria invidia, & æmulatione percitus omnes ipſi nocendi artes & modos diligentiſſime conquiſivit. Primo ipſi crimini vertit, quod nondum Presbyter, rogantibus Epiſcopis, in Eccleſiis Palæſtinæ conciones ad populum habere auſus ſit, quod facinus Demetrius præter jus deteſtatus eſt, & revocatum e Palæſtina Origenem antiquum ſuum catechiſticæ tradendæ munus repetere juſſit. Paulo poſt Antiochiam a Mamæa Imperatrice accerſitus, quæ ipſum de Chriſtiana Religione diſſerentem audire cupiebat, novum opus evulgavit. Non diu ibi commoratus Alexandriam revertitur, ubi catechiſticam Cathedram moderatus eſt uſque ad annum 228. quo acceptis Epiſcopi ſui commendatitiis Epiſtolis diſceſſit, & in Achajam perrexit. Eo in itinere, cum per Palæſtinam tranſiret, ad ſacrum Presbyteratus ordinem ab Epiſcopis illius Regionis provectus fuit annum agens 42. Hac promotione per Epiſcopos facta in homine ditionis non ſuæ audita, graviter exarſit Demetrius, & aucta in eum invidia, & licet exulceratum animum Origenes Alexandriam regreſſus mollire precibus ſtuderet, nihil tamen profecit; ſed Demetrius, coacta ex aliquot Ægypti Epiſcopis Synodo, Sacerdotii honore exuendum, & Eccleſiæ ſocietate ſejungendum decrevit. Cæſaream Palæſtinæ conceſſit Origenes, ubi celebriorem Scholam fundavit, & diſcipulum habuit ac auditorem S. Gregorium Thaumaturgum, alioſque magno numero viros ſanctitate & ſapientia claros. Athenas poſtea profectus eſt, ſeu potius excurrit; aliquamdiu tamen Cæſareæ in Cappadocia, urgente S. Firmiliano, moratus eſt, deinde in Arabiam accerſitus, ut Beryllum Epiſcopum Boſtrenorum, qui in hæreſim lapſus fuerat docendo, Chriſtum, antequam ſeſe humano alligaret corpori, nihil habuiſſe proprium, ſed Deum divinitate paterna tantum, non propria ac ſua fuiſſe, diſputando convinceret, & ab errore revocaret, quod illi feliciſſime ceſſit, & ad errorem ſuum ejurandum Beryllum adduxit. Poſt aliquot annos iterum accitus eſt Origenes in Arabiam a frequenti Epiſcoporum Concilio, ubi exorta nova hæreſi, quæ animam ſtatim a morte una cum corporibus perire, atque itidem cum corporibus in extrema die excitatum iri, ſentiebat, hæreticos rationum ſuarum momentis convictos, & edoctos ad meliorem mentem traduxit. Imperante Decio, ſeptima in Eccleſia perſecutio exorta eſt, in qua Origenes præ cæteris diutiſſime vexatus fuit; fortitudine tamen incredibili ſæviſſimos ſuſtinuit cruciatus a fidei hoſtibus eo atrociores, quod perſecutoribus unum id fuit propoſitum, omnes Martyrii cruciatus innocentiſſimo homini infligere, eumdem vero ſperata per mortem Martyrii mercede privare. Non deſunt tamen, qui narrant, ipſum, ut carcere & pœnis eximeretur, thura

Demetrii Epiſcopi Alexandrini invidia.

Cæſareæ Presbyter ordinatur.

In Græciam proficiſcitur circa annum 228.

Beryllum Epiſcopum ab hæreſi revocat.

Dira ſuſtinuit tormenta pro Chriſti fide.

ORIGENES. Diis immolare ſimulaſſe; verum putida hæc eſt habenda calumnia ab aliquo tanti Viri invido hoſte conficta, ut ejus nomen & famam labefactaret. Certum eſt enim, Origenem, inter diram & diuturnam lanienam, invictam oſtendiſſe animi fortitudinem & pietatem, nec ullum illi excidiſſe verbum, ſive factum, quod diſcipulum Chriſti non deceret. Jamque novem & ſexaginta Origenes compleverat annos, cum labore & annis confectum tempeſtiva mors Tyri conſumpſit anno poſt Chriſtum ortum 254. Plurima reliquit ingenii ſui monumenta, & quidem egregia. Præcipua, quæ adhuc ſuperſunt ex ejus Operibus, hæc ſunt: 1. Tractatus contra Celſum; cujus egregiam Editionem græco-latinam notis illuſtratam edi curavit Spencerus. Elias Bouheravius Miniſter Proteſtantium Rupellenſium Tractatum hunc gallice vertit. 2. Magna homiliarum copia cum Sacræ Scripturæ commentariis. 3. Philocalia, pluresque Tractatus. 4. Suorum Hexaplorum fragmenta a P. Montfauconio duobus Tomis in folio collecta. 5. Liber de principiis, cujus non extat niſi interpretatio latina non admodum accurata. Magnas liber iſte Origenis in Eccleſiam contentiones invexit & diſſidia; nonnulli ſiquidem eum ceu hæreſum & errorum ſentinam traducebant; at Pater Halloixius ex Societate Jeſu ejus apologiam adornavit, quod alii quoque celeberrimi ac eruditiſſimi Scriptores præſtitere. Verum quidquid ſit de erronea doctrina Origenis, illud certo conſtat, numquam pertinaciter & contra Eccleſiæ definitiones errata ſua propugnaſſe. Immo e contra in omnibus ejus Operibus admirabilis modeſtia, manſuetudo, ſuavitas, humilitas, cum portentoſa ingenii vi, ſublimitate & acumine, nec non eximia doctrina & ampliſſima eruditione conjunctæ emicant, & merito celebrantur. Dum interim moribus erat integerrimis, prolixa in ipſo vigebat Veritatum Evangelicarum propugnandarum voluntas, jejuniis, vigiliis, aliiſque aſperitatibus ſe pene confecit; ſi in quos incidit errores, id præter ejus voluntatem omnino contigit, & ut felicius objecta Manichæorum & Philoſophorum dilueret. Ampliorem Operum Origenis Editionem adornavit Pater de la Rue Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti, cujus tria priora Volumina græco-latina in folio jam lucem adſpexere (1). Qui plura de Vita & Operibus Origenis noſſe cupit, Dupinum adeat Tomo 1. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Dominum Foſſæum in libro, cui titulum fecit *Hiſtoria Tertulliani, & Origenis*, P. Doucinum Jeſuitam in ſua *Origeniſmi hiſtoria* (2).

Obiit anno 254.

Præcipua ejus Opera.

Variæ de Origenis doctrina opiniones.

Meliores Editiones.

Origenis Errata.

Errores Origeni adſcripti pleriqne in ejus Opere *Periarchon*, ſeu *de principiis*, quod erat veluti Theologiæ Prodromus, leguntur. Id nobis nonniſi ex Ruffino innoteſcit, qui illud latio donavit, (*a*) & ut ipſe fatetur, quantum potuit correxit & emendavit, præcipue

(1) Prodiit Pariſiis Volumen quartum anno 1759. cum Origenianis Danielis Huetii.
(2) Vide Dictionarium Hiſtor. Advocati.
(a) *Ruf. in Præf.*

pue quoad Trinitatis Myſterium; adhuc tamen in illo opiniones legimus temerarias plane & ſingulares, Eccleſiaſticæ traditioni haudquaquam conformes, quæque poſthabita Origenis auctoritate communiter ab omnibus rejiciuntur Theologis. In hocce *de principiis* Tractatu funditus diruere aggreditur Valentinianorum, & Marcioniſtarum, & ſimilium hæreſim, qui ut mali cauſſam invenirent, duo adſtruebant principia, duoque comminiſcebantur hominum & ſpirituum genera, aliud eſſentia ſua bonum, aliud vero natura malum. (*a*) Contra quos propugnabat Origenes, Deum unum eſſe natura ſua bonum & immutabile: *omnem vero creaturam eſſe mutabilem, & tam boni, quam mali capacem.* Hinc malorum cauſſam in creaturæ rationalis defectibilitatem revocandam, quæ cum (*b*) *virtutem voluntatis acceperit, ea abutitur voluntate in malis deſideriis.* ORIGENES.

Tamquam baſim, atque certum, & ineluctabile fundamentum libertatem ſtatuit arbitrii, (*c*) quam luculentis confirmat Scripturæ teſtimoniis, & omnia hæreticorum objecta diluit. Verum in conſectariis deductis a recta ſemita divertit, & ultra legitimam metam excurrit; (*d*) putat ſiquidem creaturarum inæqualitatem ex earumdem meritis proficiſci. Arbitratur enim, Deum ante corpora certum ſpirituum numerum creaſſe, quorum plerique peccatis ſe coinquinarunt, & juxta eorum criminum gravitatem in quædam corpora ad hoc ideo creata detruſi ſunt, atque ita, qui puri Spiritus erant, facti ſunt vel animæ, vel Angeli, aut aſtra, aut homines: putat enim, Angelos anima conſtare & corpore tenuiſſimo, & *pro meritis ſuis gradum illum dignitatis, quem obtinent, adeptos eſſe.* (*e*) Aſtra quoque animata eſſe affirmat; proinde nonniſi honeſtiſſimos eſſe lucidoſque carceres ſidera putat, queis animæ detinentur minus criminoſæ ac ſint illæ, quæ in ſublunaribus occluduntur. Inter Spiritus itaque ille, cui præ cæteris omnibus caritate (*f*) perfectiſſime Deo adhæſit, meruit illi quam arctiſſime conjungi, adeo ut divelli ab illo non poſſet, & hic factus eſt anima Chriſti; cæteri autem Spiritus vertibiles facti ſunt & obnoxii viciſſitudinibus mali & boni. Ipſamet beatorum Spirituum felicitas eos nequaquam impeccabiles reddit, ne quid ſibi amplius tribuant quam Deo; ſicut ex adverſo (*g*) *ipſe noviſſimus inimicus* (Satanas) deſtrui debet, non ut *ſubſtantia ejus, quæ a Deo facta eſt, pereat; ſed ut propoſitum & voluntas inimica, quæ non a Deo, ſed ab ipſo proceſſit, intereat: nihil enim omnipotenti impoſſibile eſt, nec inſanabile eſt aliquid factori ſuo;* unde liberandos aliquando Dæmones cenſet, ut *ſit Deus omnia in omnibus.* Hoc tamen (ſubdit) (*h*) *non ad ſubitum fieri, ſed paulatim & infinitis ac latentibus ſæculis,*

(a) *Lib. 1. cap. 5. 6. 8.* (b) *Lib. 3. cap. 1.*
(c) *Ibid.* (d) *Lib. 1. cap. 8.*
(e) *Ib. cap. 7.* (f) *Lib. 2. cap. 3.*
(g) *Lib. 3. cap. 6.* (h) *Ibid. cap. 5.*

ORIGENES. *lis, cum poſt hujus corruptionem erit alius Mundus; ſicut & antequam hic eſſet, fuiſſe alios credimus; non tamen putandum eſt, plures Mundos ſimul eſſe, ſed poſt hunc alios futuros.* Immo videtur aſſerere, nullum vel fuiſſe, vel futurum tempus ſine Mundo: *otioſum enim eſt dicere, naturam Dei otioſam eſſe, & abſurdum vel putare, quod bonitas aliquando non fecerit, & omnipotentia aliquando non egerit potentatum.*

Has abſurdas opiniones ex Platonis Philoſophia, cujus callentiſſimus fuit, hauſerat. Inter cætera autem præcipuum illud adoptavit, quo tamquam certum ſtatuitur, pœnas omnes medicinales eſſe, nec niſi ad ſanitatem patientis ordinari, utpote quod accommodatiſſimum ſibi ad conciliandam divinam bonitatem cum ſumma juſtitia videretur, potius quam æternos admittere in Inferno cruciatus. Nihil promit, quod Sacræ Scripturæ teſtimoniis fulcire non conetur, ſed frequentiſſime in alienum ſenſum detortis. (*a*) Triplicem Scripturæ ſenſum optime diſtinguit, litteralem videlicet, ſeu grammaticalem, figuratum ſive allegoricum, & myſticum ſive anagogicum. Judæorum errores & hæreticorum inſanias redarguit, dum ad litteram intelligenda putabant, quæ nonniſi allegorice dicta erant, & dum in omnibus latentia Myſteria ſcrutabantur; verum & ipſe ſenſus myſtici nimius venator, & litteralis deſertor, vel contemptor, frequenter in id, quod in aliis culpat, impingit. Iſti ſunt præcipui Origenis errores ita in Tractatu de Principiis comprehenſi, ut per totum opus diffundantur, & ad ſuum ſcopum collineare videantur.

Origenis Apologia. Pro comperto eſt, Adamantium opiniones ſuas Lectori ſubdubitanter ſemper proponere, ejuſque judicio ſubjicere. Primo ſiquidem Eccleſiæ Catholicæ fidem exponit, & quid tanquam certum tenendum a Catholicis, declarat; reliqua vero tamquam problemata divendit, de quibus ſumma animi modeſtia quid ipſe ſentiat, pandit & promit. Hoc igitur modo excuſandi Adamantii errores ab ipſo certe traditi, plures enim ſunt, de quibus tamquam ab hæreticis in ſuis operibus per dolum intruſis conqueritur. Cæterum inficiari nemo poteſt, ejus volumina pluribus ſcatere erroneis doctrinis, ſive ab ipſo dubitanter propoſitis, ſive ab hæreticis doloſe ſubinvectis, quæ ob Auctoris doctrinam, virtutem, nominiſque celebritatem ſectatores nactæ ſunt, & propugnatores, unde ſequentibus ſæculis graviſſimæ exortæ ſunt in Chriſtianam Rempublicam turbationes & ſcandala (*b*).

Origenis italice verſa ſolum habetur *Homilia de Pœnitentia*. Legitur in *Speculo Pœnitentiæ* Jacobi Paſſavanti Florentini. Opus italicum pluries impreſſum, Venetiis 1586. & 1608., & Florentiæ 1681, 1723. 1725. Ex Argelato & Paitonio.

A R.

(a) *Lib. 4. cap. 2.*
(b) *Fleury Tom. 2. lib. 5. n. 59.*

Origenes.

ARTICULUS SECUNDUS.

Analyſis nonnullorum Origenis Operum.

PRÆCIPUUM & maximum Origenis Opus Alexandriæ inceptum, in Cappadocia, cæteriſque itinerum ſuorum locis continuatum, ac denique 28. annorum ærumnabili labore Tyri completum, Hexapla complectitur. Sunt autem hæc diſtinctæ Sacræ Scripturæ Editiones diſtinctis columnis digeſtæ, ut uno veluti conſpectu variæ Interpretationes præ oculis habeantur. (*a*) Tres concinnavit ex his collectionibus, quas græcis vocibus Hexapla, Octopla, Tetrapla juxta columnarum numerum appellatas voluit. Hexapla ſiquidem ea vocabantur, quæ ſex columnas continebant, quarum prima hebraicum textum hebraicis litteris complectebatur: ſecunda eumdem textum litteris græcis, in gratiam illorum, qui hebraicum idioma intelligerent, legere tamen neſciebant; tertia columna verſionem Aquilæ (1), quarta Symmachi (2), quinta τῶν Septuaginta, ſexta Theodotionis (3). Septuaginta Interpretationem quarto poſuit loco, ut media inter græcas verſiones facilius cæteræ cum illa conferri poſſent, quippe quæ magis authentica habebatur, & ex qua cæteræ erant emendandæ. Octopla præter recitatas Interpretationes binas alias græcas complectebantur recenter in doliis repertas, quarum cum ignorarentur auctores, quintæ & ſextæ nomine deſignabantur. (*b*) Quintam Editionem repertam fuiſſe Hierichunte in doliis circa finem Imperii Caracallæ narrat Origenes. (*c*) Sexta pariter Editio in doliis inventa fuit Nicopoli ad Actium tempore Alexandri Severi. Octopla itaque octo conſtabant columnis; in prima hebraicus legebatur textus hebraicis litteris exaratus; in ſecunda idem litteris græcis; in tertia verſio Aquilæ; in quarta Symmachi; iu quinta Septuaginta; in ſexta Theodotionis; in ſeptima quinta verſio; in octava ſexta verſio; & hoc pacto Interpretatio Septuaginta medium tenebat locum. Quælibet verſio in columnarum apice prima nominis Auctoris littera deſignabatur.

Hexapla Origenis.

(*a*) *Euſeb. 6. 16. S. Epiphan. de menſ. n. 19.*

(1) Aquila Ponticus Synope natus Aſtronomicæ artis callentiſſimus Sacram Scripturam in græcum tranſtulit idioma circa annum Chriſti 129. Ejus verſio hebræum textum de verbo ad verbum græcum reddit.

(2) Symmachus Samaritanus ad Judæos deſcivit, deinde chriſtianam amplexus fidem Biblia in græcum vertit circa annum Chriſti 169.

(3) Theodotio Epheſi, non Synope in Ponto natus, ut placet D. Epiphanio, primum Tatiani diſcipulus, inde Marcionis aſſecla, denique ad Judæos transfuga Vetus Teſtamentum in græcum vertit. Ejus interpretatio cæteris Aquilæ & Septuaginta liberior eſt.

(b) *Scult. lib. 5. n. 43.*

(c) *Epiphan. de Menſ. n. 181. & Euſeb. 6. 16.*

ORIGENES,

tur. Alpha Aquilam deſignabat, Sigma Symmachum, Theta Theodotionem, Interpretatio Septuaginta, ſicut reliquæ binæ verſiones anonymæ ſolis notis græcis earum numerum deſignantibus notabantur.

Cum vero exemplaria tot columnas amplectentia non niſi gravi ære comparari poſſent, Origenes Tetrapla concinnavit nonniſi quatuor, & quidem utiliores, magiſque neceſſarias Verſiones complectentia; ſcilicet prima columna Aquilæ verſionem exhibebat; ſecunda Symmachi; tertia Septuaginta; quarta Theodotionis. (*a*) Alium etiam laborem aggreſſus eſt, ut ſola Septuaginta Verſio loco cæterarum omnium eſſet. Edidit itaque Verſionem illam, eique addidit quidquid ulterius in hebræo habebatur juxta Verſionem Theodotionis, ſignatum (*b*) tamen aſteriſcis; quod vero apud Septuaginta legebatur in hebræo non contentum, obelis notavit, quaſi quid delendum. (*c*) At progreſſu temporis Amanuenſium oſcitantia, & deſidia, ſublatis Aſteriſcis & Obelis, factum eſt, ut puriori Septuaginta Verſione careamus. Suis hiſce ſtudiis ac laboribus Adamantius, abſit, ut Septuaginta Interpretationis, quam & Apoſtoli citaverunt, & Eccleſia ſemper retinuit, quæque ſola in uſu erat in tota Græcia, auctoritatem vel tantillum minutam vellet; ſed ſolum in eum collineabat ſcopum, ut prælaudata Interpretatio & emendata legeretur, & facilius difficultates tollerentur (1).

Homiliæ & Commentaria Origenis.

Dum in Palæſtina moraretur Origenes, ac ſuis laboribus Eccleſiæ prodeſſe pergeret, ſuas ad populum homilias exſcribi permiſit. Jam ſexageſimum decurrerat annum, cum ex frequenti loquendi conſuetudine, non præmeditatas ad populum homilias habebat, quas Notarii (2), dum loqueretur, exſcribebant. Porro homilia græce idem ſonat ac latine ſermo, & eo nomine compellabantur familiaria colloquia in Collectis ad populum habita, ad indicandum, diſtinguenda eſſe ab Orationibus elaboratis, & omnibus Rethorici apparatus floſculis ornatis, ſed ſolum ſpectanda ceu domeſtica colloquia Magiſtri ad diſcipulum, vel tamquam Patris ad filios privatæ inſtructiones. Supra mille collectæ fuerunt Origenis homiliæ. Circa hæc tempora vigintiquinque Commentariorum in Sanctum Matthæum Volumina conſcripſit, & alia plura in Prophetas Minores. Fortaſſis primus dicendus, qui totam explanaverit Sacram Scripturam; plures ſiquidem præceſſerant, qui partem Scripturæ fuerant interpretati. Origenis

---

(a) *Orig. Tom. 15. in Matth. pag. 381.*
(b) *Hieron. Præf. in Pentat. Epiſt. 104.*
(c) *Hieron. Epiſt. 89. ad Aug. cap. 6.*

(1) Clariſſimus Bacchinius duobus in folio Voluminibus fragmenta omnia eximii & magni hujus Operis complexus eſt. Legendus eſt Bacchinius in ſuis Vindiciis Canonicarum Scripturarum.

(2) Notarii apud Antiquos audiebant ſcriptores illi arte pollentes quibuſdam notis compendiariis, quarum quælibet integram dictionem complectebatur, quæ audiebant exſcribendi, adeo in ſcribendo veloces, ut quod velociori ſermone diceretur, momento eodem exciperent.

genis commentaria, ſive explanationes ad tres claſſes revocari poſſunt; nonnulla enim brevioribus conſtant notis & ſcholiis ad difficiliora loca Sacræ Scripturæ; nonnulla ampliſſimas & fuſas complectuntur explicationes, quibus tota ingenii ſui vela ventis ſpirantibus pandit (*a*); nonnulla denique conciones ſunt & homiliæ ad populum, in quibus ad doctrinas morales & breves exhortationes, Auditorum captui ſe accommodans, deſcendit (*b*). Maxima adhuc nobis ſupereſt Homiliarum, & Commentariorum Origenis pars; at pleraque, verſiones ſunt liberiores Ruffini, S. Hieronymi, aliorumque ignotorum Scriptorum. In illis tamen & uberrima doctrinæ copia, & eximia pietas eluceſcunt. Ex illis plures erui poſſunt antiquiores Eccleſiæ mores & conſuetudines, quarum nonnullas hic compendioſe exhibemus. ORIGENES.

Conciones habebantur omnibus diebus Dominicis, & ſextis feriis, quas Chriſtiani, Hebræorum more, Paraſceven, ideſt præparationem appellabant, quia eo die neceſſaria in ſubſequenti Sabbato parabantur. Duobus iſtis diebus ad Eccleſiam conveniebant fideles; conqueritur tamen Origenes, nonnullos fuiſſe, qui ſolum in ſolemnioribus feſtis adeſſent, & quidem non inſtructionis & doctrinæ gratia, ſed potius ſolaminis & relaxationis cauſſa. „ (*c*) Aliqui veſtrum (ſcribit) ut recitari audierint quæ leguntur, ſtatim diſcedunt. „ Nulla inquiſitio ad invicem, nulla collatio.... nulla ad Presbyteros interrogatio. Alii ne hoc ipſum quidem patienter expectant, „ uſquequo lectiones in Eccleſia recitentur. Alii vero nec ſi recitatum ſciunt, ſed in remotioribus Dominicæ domus locis ſæcularibus fabulis occupantur". Exprobrat etiam Chriſtianis nimiam temporalium rerum, agriculturæ, negotiationis, litium ſollicitudinem, & quod ad ſacrarum litterarum intelligentiam non eam adhibent curam, quam in humanis addiſcendis litteris impendunt, pro quarum acquiſitione nihili pendunt ſive expenſas pro libris & Magiſtris, ſive longinquas peregrinationes. Addit, ſe adoleſcentes ad Scripturarum lectionem frequenter hortari, at incaſſum & fruſtra.

Pro recta Scripturarum intelligentia has regulas tradit. Jubet, ut qui in Eccleſia docent, (*d*) *ea, quæ loquuntur ad populum, non propriis præſumpta ſententiis, ſed divinis munita teſtimoniis proferant*. Quod confirmat exemplo Apoſtoli, *qui dictorum ſuorum auctoritatem ſufficere poſſe non credit, niſi doceat, in lege & Prophetis ſcripta eſſe quæ dicit*. (*e*) Eos vituperat, qui *proprium ſenſum aptant Evangelio non ita intelligentes, ut Dominus locutus eſt, cum potius Spiritus Sancti, qui locutus eſt in Petro & Paulo & cæteris Apoſto-*

(a) *Hieron. Præf. hom. in Ezechielem.*
(b) *Rufin. præf. in num. in Exodum, hom. 7. in Iſajam hom. 5.*
(c) *Hom. 12. in Exodum num. 2.*
(d) *In Caput 3. Epiſt. ad Rom. lib. 3. pag. 504.*
(e) *Hom. 2. in Ezech. Hom. 11. in Jerem.*

ORIGENES. *Apoſtolis*, ſenſum ſequi deberent & mentem. Ipſe vero frequenter eos allegat, qui ante ſe Scripturam ſunt interpretati, licet eorum nomina non promat. Hæreticis Scripturam allegantibus non eſſe fidendum; at tanta veneratione proſequendam dicit, (*a*) *ut quæ ſolœciſmi forma dicuntur in Scripturis, nemo emendationis obtentu audeat commutare*. (*b*) *Si quando legens Scripturam* (inquit) *impingas cogitatione ad lapidem offenſionis, incuſa te ipſum, nec quia clauſas audis & ſignatas Sacras Scripturas*, ab earum lectione abſtinendum; mirum enim eſſe non debet, ſi cum verbum Dei contineant, non ſtatim intelligamus, (*c*) *quemadmodum ſunt, & in rebus a Deo procreatis, quæ ab humana natura difficile, aut minime inveniuntur, nec tamen accuſare fas eſt univerſorum opificem*. Ad rectam alicujus textus intelligentiam docet, cæteros omnes expendendos, in quibus de eadem re ſermo habetur, aut idem verbum uſurpatum invenitur, & primo quidem litteralem & obvium quærendum ſenſum, deinde anagogicum & ſpiritualem. Litteralem & obvium ſenſum, (*d*) *brevem, contemptibilem, & nihil magnum habentem* dicit, (*e*) at frequentius longe melior eſt alius per ipſum adhibitus. Sibi apologiam contexit, dum eos vituperat, qui omnia litteraliter dicebant explananda, & *allegoricas expoſitiones* reſpuebant. Fatetur tamen, in parabolis unum fere ſemper eſſe ſimilitudinis objectum; cæteras vero parabolæ circumſtantias, ſicut & verba, non eſſe ſcrupuloſe penſanda. „(*f*) Nemo (ſcribit) poteſt „audire Verbum Dei, niſi prius fuerit ſanctificatus, ideſt ſanctus „corpore & ſpiritu.... ingreſſurus eſt enim paulo poſt ad cœnam „nuptialem, manducaturus eſt de carnibus agni, potaturus eſt po„culum ſalutis". Ex quibus verbis apparet, celebrari poſt conciones vel homilias Euchariſtiam conſueviſſe. Addit poſtea alibi: „(*g*) „Vos, qui noſtris divinis myſteriis intereſſe conſueſtis, noſtis, quo„modo cum ſuſcepiſtis Corpus Domini, cum omni cautela & ve„neratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati „muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & recte cre„ditis, ſi quid inde per negligentiam decidat. Quod ſi circa corpus „ejus conſervandum tanta utimini cautela, & merito utimini, „quomodo putatis minoris eſſe piaculi Verbum Dei neglexiſſe"? Et alibi: „(*h*) Quando ſanctum cibum, illudque incorruptum acci„pis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & „bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum „tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipſum, imitare „hunc Centurionem, & dicito: *Domine non ſum dignus ut intres* „*ſub tectum meum*". Ecce origo illius cæremoniæ & nunc in

„Eccle-

(a) *Philoc. cap.* 8. (b) *ib. cap.* 10.
(c) *Ibid. cap.* 2. (d) *In Matth. tract.* 12.
(e) *Ibid. tract.* 25. (f) *In Exod. hom.* 11. *pag.* 172.
(g) *Hom.* 13.
(h) *Hom.* 5. *in diverſa Ed.* 1619. *pag.* 285. *Tom.* 1.

Eccleſia vigentis, dum diſtribuitur Euchariſtia. Morem etiam dandi oſculum pacis notat, dum ſcribit: (*a*) *Mos Eccleſiis traditus eſt, ut poſt orationem oſculo ſe invicem ſuſcipiant fratres. Hoc autem oſculum ſanctum appellat Apoſtolus ut caſtum ſit, & pacem habeat in charitate non ficta.* Origenes.

De Sacris Ordinationibus & Eccleſiæ Miniſtrorum officiis ſcribit: „ (*b*) Diſcant Eccleſiarum Principes, ſucceſſores ſibi non „ eos, qui conſanguinitate generis juncti ſunt, nec qui carnis pro„ pinquitate ſociantur, teſtamento ſignare, neque hæreditarium tra„ dere Eccleſiæ principatum, ſed referre ad judicium Dei“. Et alibi: „ (*c*) Requiritur in ordinando Sacerdote & præſentia popu„ li, ut ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex „ omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute e„ minentior, ille eligitur ad Sacerdotium“. Præſentia itaque populi requirebatur ſolum, ne quis conqueri poſſet, aut ulla de illius Electione oriretur dubitatio. Addit: „ (*d*) Non ſemper Princeps „ populi, & Eccleſiæ Judex per Dei arbitrium datur, ſed prout „ merita noſtra depoſcunt.... pro meritis populi, aut in verbo & „ opere potens a Deo tribuitur rector Eccleſiæ, aut ſi malignum „ faciat populus in conſpectu Domini, talis Eccleſiæ judex datur, „ ſub quo famem & ſitim populus patiatur, non famem panis, „ neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Domini“. Et alibi: „ (*e*) Qui vocatur ad Epiſcopatum, non ad principatum „ vocatur, ſed ad ſervitutem totius Eccleſiæ. Neque enim ad prin„ cipatum Eccleſiæ venit, qui ſalvari vult; & ſi præeſt, ſed ad ſer„ vitutem Eccleſiæ, ſi oportet dicere, & de Evangelio: *Principes* „ *quidem gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent in il*„ *lis Magiſtratus vocantur. Non ſic autem erit in vobis, ſed qui* „ *vult veſtrum eſſe major, erit omnium minimus*“.

Inter poſtrema Adamantii opera locatur egregius ejus Tractatus contra Celſum Epicureum, qui, imperante Adriano, librum calumniis & injuriis ſcatentem adverſus Chriſtianam Religionem conſcripſerat. Hunc refellendum ſuſcepit Origenes, adhortante & impellente Ambroſio amico ſuo (1); ſicque tractationem ſuam aggreditur, dicens: (*f*) *Satius fuiſſet imitari Salvatorem & Dominum Jeſum Chriſtum, qui falſis gravatus teſtimoniis obticuit, & ad crimina objecta nihil reſpondit, ſciens tota ſua vita & actis inter Judæos ſpectatis melius falſitatem delationis coargui, unde & coram Judicibus ſiluit.* Addit (*g*): Jeſus igitur *ſemper falſis teſtimoniis* Analyſis Tractatus contra Celſum Ed. Pariſ. de la Rue.

(a) *In Epiſt. ad Rom. lib.* 10. *cap.* 16. *pag.* 683.
(b) *In Numer. hom.* 22. *pag.* 356.
(c) *In Levit. hom.* 6. *pag.* 216. (d) *In Judic. hom.* 4. *pag.* 467.
(e) *In Iſajam hom.* 6. *pag.* 116.
(1) Ambroſius vir eruditus & nobilis de Chriſtianæ doctrinæ puritate ab Origene edoctus ab hæreſi Valentinianorum receſſerat.
(f) *Lib.* 1. *in Præf. n.* 1. (g) *n.* 2.

ORIGENES.

niis premitur.... Silet quidem nunc quoque, nec reſpondet voce: cæterum cauſſam ſuam agit, dum per germanorum diſcipulorum vitam reclamat ac refellit omnia mendacia. (*a*) Suam reſponſionem (ſubdit) veris fidelibus inutilem futuram, & *certe Paulus ea percenſens, quæ a charitate ſeparare alios ſoleant, verba non ponit in hoc numero;* dicit igitur, *ſe non ſcripſiſſe fidelibus, ſed aut prorſus ignaris Chriſtianæ fidei, aut infirmis in fide.*

Non ſolum peculiaria Celſi ſophiſmata detegit & convellit, ſed & funditus diruit, ac Chriſtianæ Religionis veritatem patefacit non meris ratiocinationibus, ſed certiſſimis documentis, Prophetarum vaticiniis, quibus Chriſtus prænuntiatus fuit, miraculis per ipſum patratis, & ſuorum diſcipulorum moribus, & converſatione. Addit, adverſarium credulitatem Chriſtianis objicere, ſed dicit: *illam ſine examine fidem experti quam ſit pleriſque utilis fatemur commendari iis, qui relinquere negotia non poſſunt.* Totam vitæ rationem ex credulitate pendere quorumdam principiorum & officiorum, quæ omnibus communia ſunt. Quod confirmat exemplo Philoſophorum: (*b*) *Quis enim* (ſcribit) *ad Philoſophiæ* „ſtudium incitatus, „ in aliquam Philoſophorum ſectam, aut forte, aut quod in talem „ magiſtrum incidit, ſe conjiciens, aliter ſe eidem applicat, quam „ quia credat illam præſtantiorem cæteris "?... unde non ratione quapiam, ſed cæco quodam impetu feruntur. Stoicæ exempli cauſſa adhæſit, cæteraſque rejecit. Ergo ſi ratio docuit credendum eſſe uni cuipiam eorum, qui ſectas conduxerunt, quanto magis Deo? (*c*) Addit, *ſimplicitatem in eloquendo Scripturarum noſtra-* „ *rum, quam Celſus aliique criminantur, & utilem eſſe & neceſ-* „ *ſariam, quæ non ſolum vera doceret, ſed etiam vulgi alliceret* „ *animos; donec ſinguli hortationibus inducti ad arcana ſub ver-* „ *bis in ſpeciem ſimplicibus latentia immitterentur. Unde paucis* „ *utilitatem attulit, ſi tamen ullam attulit, compta, & accurata* „ *Platonis oratio. Itaque Platonem videre licet a ſolis litteratis* „ *legi....* (*d*) At quæ apud nos maxime pulcra & divina ſunt, „ ea tum audemus in concionibus publicis proferre in medium, „ cum præſto eſt intelligentium Auditorum copia; arcaniora au- „ tem ſilentio prætermittimus, cum qui audiunt, ſimpliciores no- „ bis videntur, & opus habere ſermonibus, qui metaphorico la- „ ctis nomine deſignantur. Didicerunt ſiquidem ab Apoſtolo Paulo, „ ne temere cuique Spiritui crederent ".

Quantum ad Prophetarum vaticinia notat, libris Judæorum merito fidem eſſe habendam. „ (*e*) Si enim Barbarorum & Græcorum „ hiſtoriis adjungimus fidem.... ſi eorum quiſque ſumma fide nar- „ ravit, quæ ad ſe pertinebant, cur ſolis Judæorum prophetis ab- „ rogemus fidem "? *Judæorum* autem & *Moyſis* antiquitatem patere dicit; tum quia (*f*) *Ægyptii, Phœnices, & Græci Judæorum teſtifican-*

(a) *n.* 3. (b) *Lib.* 1. *n.* 10. (c) *Lib.* 6. *n.* 2.
(d) *Lib.* 3. *n.* 52. (e) *Lib.* 1. *n.* 14. (f) *n.* 16.

ſicantur antiquitatem, *tum ex his*, *quæ in duobus libris Joſephi de antiquitate & Tatiani junioris libro adverſus Gentiles cuivis videre licet* .... Addit ideo „ (*a*) apud Judæos fuiſſe Prophetas, ſiquidem in datis ſibi legibus contineri, credere conditori, quemadmodum acceperant, nec a lege occaſionem ſumere debuerint ad Gentilium Deorum multitudinem deficiendi, & vera Religio falſis inferior appareret ". (*b*) Refert deinde præcipua Prophetarum vaticinia de Chriſti nativitate, paſſione, morte, aliiſque adventus ſui circumſtantiis, & obſervat, poſt *Jeſu adventum* Judæos nullos habuiſſe prophetas, non miracula, aliaque divinæ protectionis argumenta, quæ omnia ad Chriſtianos tranſiere. (*c*) Prophetarum vaticiniis opponebat Celſus Gentilium oracula. Verum oſtendebat Origenes, a ſapientioribus, & cordatioribus nullam illis præſtitam fuiſſe fidem, & ſi forte quid præter naturam in illis videbatur, & pravos Vatum mores, & Pythoniſſæ *putidos afflatus* clare oſtendere, ea ab immundis ſpiritibus proficiſci, dum e contra (*d*) *Dei Prophetæ vitæ genus ſectati difficile imitatu*, *conſtans*, *liberum*, *& mortis periculorumque metu inconcuſſum*, *fuerunt a Providentiā electi*, *quibus Divinus Spiritus*, *ejuſque eloquia committerentur*. Obſcuritatem eſſe quidem & falſis oraculis, & veris vaticiniis communem; at oracula ſemper manere obſcura & ambigua, dum Prophetæ (*e*) *quæcumque audientibus ad morum emendationem utile erat primo aſpectu intelligi*, *ea juxta Dei voluntatem nulla obſcuritate protulerunt*; *ea vero ænigmatum*, *allegoriarum*, *obſcurarum locutionum*, *parabolarum*, *aut proverbiorum involucris texerunt*, *quæ arcanius quid & profundius haberent*, *ſenſuſque latentes ad vulgi captum non attemperatos*. Ideo ſervata quam diligentiſſime eorum ſcripta, ut poſteris doctrina, monitis, & inſtructione prodeſſent „ & obſcura non invenirentur ab ignavis & ſegnibus, ſed qui laborem non fugitant, & virtutis veritatiſque ſtudio omnia ſuſtinent, ſcrutati invenirent .... (*f*) hinc ſi prudentes ſcrutari Scripturas velint, earum intellectum aſſequi poterunt. Equidem multis in locis obſcuræ ſunt, ſed non abſque ullo ſenſu, ut ait Celſus; neque enim ſtupidus aut impoſtor eas explanare, aut ad quamcumque rem accommodare pro libito poterit ".

Concedebat Celſus, vera eſſe, quæ de Jeſu magnifica opera & miracula a diſcipulis ſuis erant enarrata, „ (*g*) at eodem illa numero habenda eſſe dicebat, ac ea, quæ præſtigiatores faciunt majora ſemper ac majora pollicentes, & quæ faciunt qui ſunt Ægyptiacis artibus eruditi, qui medio in foro, paucis obolis venerandas ſuas artes venditant, a quibus Chriſtus illa didicerat ". At Origenes Celſi mendacia refellebat oſtendendo, quod poſita ſemel

(a) *n.* 36. (b) *Lib.* 1. *n.* 50. (c) *Lib.* 7. *n.* 5.
(d) *Ibid. n.* 7. (e) *Ibid. n.* 10.
(f) *Ibid. n.* 11. (g) *lib.* 1. *n.* 68.

ORIGENES.

mel ſuperiori aliqua natura , ſi hæc mala ſit & pernicioſa , alia quoque admittenda ſit bona & benefica ; eapropter ſi falſa & mendacia prodigia per Dæmones ad malum & errorem patrata , ſunt & alia vera & germana , quæ a Deo in bonum & ſalutem hominum prodeunt . Porro vera a falſis diſcernendi prodigia non deſunt luculenta argumenta , nimirum mores & vita illorum , qui ea edunt , eorum doctrina , & qui inde conſequuntur effectus . Moyſes & Prophetæ , Chriſtus & ejus diſcipuli *miraculis ſuis ad morum correctionem adducebant ſpectatores* , & illos inſtruebant *quæ ſit voluntas Dei* oſtendentes *verbis & miraculis quomodo oporteat vivere , & eo ſpectare , ut quæcumque facerent , Deo placerent omnia . Nihil horum præſtigiatores faciunt , quia non poſſunt , aut non conſilium habent , aut nolunt corrigendis hominibus operam dare* . Addit vero (*a*) , *Simonem Magum & Doſitheum ſimilia prodigia facere conatos eſſe , ut eamdem ſibi apud homines conciliarent auctoritatem , at eos nihili faciendos eſſe compertum eſt , & nuſquam gentium videntur nunc Simoniaci* , quamvis nullæ *initio paratæ ſint Simoniacis inſidiæ . Doſitheani vero ... nunc omnino extincti ſunt , ita ut vix triginta reliqui memorentur . Judas quoque Galilæus ... & ante illum Theodas , quoniam ex Deo non erat illorum doctrina , ſublati ſunt , & omnes qui credebant eis , ſubito diſſipati fuerunt* .

Reſurrectionem Chriſti veram fuiſſe , (*b*) non confictam , & præſtigioſam , nullus eſt ambigendi locus , cum certiſſime conſtet de ejus Morte in Cruce , toto inſpectante Judæorum populo , cum aliis ſive obitus , ſive ſepulturæ circumſtantiis in Evangelio diligentiſſime enarratis . Nec audiendus Celſus dum objicit : „ (*c*) Si ſuam
„ divinam potentiam revera innoteſcere voluit , oportuit utique ,
„ ut ſe ſuis adverſariis , ſuo Judici , omnibus omnino ſe oſtende-
„ ret : nam & nobis ex Evangelio certum eſt , eum poſt reſurre-
„ ctionem non perinde ac ante ſe vulgo , & omnibus præbuiſſe con-
„ ſpicuum “ . Nam reponit Origenes , non ad homines pertinere patrandorum miraculorum modum , ſive ordinem præſtituere . Satis ſit noſſe , ipſum apparuiſſe primum Petro , tamquam Apoſtolorum Principi , deinde undecim Apoſtolis , demum pluſquam quingentis fratribus ſimul . „ (*d*) Cæterum cum diſcipuli ſe totos dederint
„ doctrinæ , quam non ſine ſummo periculo , ut hominum tunc vi-
„ ta erat , profiteri poterant , ipſi mihi videntur perſpicuum eſſe , &
„ evidens reſurrectionis argumentum . Hanc enim doctrinam , ſi
„ finxiſſent reſurrexiſſe Jeſum ex mortuis , tanta conſtantia non an-
„ nunciaſſent , ut non ſolum aliis mortis deſpectum inſtillarent , ſed
„ etiam ipſi priores hanc ſubirent .... (*e*) Mirum etiam eſt unde
„ diſcipulis , qui , ut obtrectatores Jeſu dicunt , nec eum a mortuis
„ ſuſcitatum vidiſſent , nec eum divinum quidpiam eſſe perſuaſum
habuiſ-

(a) *Lib. 6. n. 11.* (b) *lib. 2. n. 56.*
(c) *Lib. 2. n. 63.* (d) *Lib. 2. n. 56.* (e) *Lib. 1. n. 31.*

„ habuiſſent, in mentem veniſſet non reformidare quæ Magiſter „ paſſus fuerat, intrepide ſe periculis committere, patriamque re- „ linquere, ut ex voluntate Jeſu doctrinam ſibi ab ipſo traditam „ docerent “ : Eo vel maxime „ (*a*), quod Chriſtus in Crucem „ ſublatus, mortem paſſus eſt, quæ viſa fuit ignominioſa, & quæ „ erat hujuſmodi, ut ea vel jam ante comparata gloria obliterari, „ abalienarique ab ipſo quicumque... decepti fuerant, & ad damnan- „ dum impoſtorem excitari potuiſſent. (*b*) Nam arbitror, neminem „ fore, qui rebus diligenter perpenſis dicat, illos tumultuoſam vi- „ tam propter Jeſu doctrinam electuros fuiſſe, niſi eos vehementer „ perſuaſiſſet, & ex ſuis præceptis vivere, & alios ad ea capeſſen- „ da adducere, præſertim cum, ut ſunt humanæ res, in præ- „ ſens exitii ſe periculum conjiciat quiſquis nova quæcumque pro- „ mulgare audet, infenſoſque ſibi reddere, quicumque ſunt priſcis „ dogmatibus & conſuetudinibus addicti “. Profecto fides adhibenda illis, qui omnes cruciatus, & mortem ipſam ſubire malunt, quam Veritatem Dei vel verbo lædere, & qui bona fide etiam quod Magiſtro & ſibi probroſum eſt, candide narrant & fatentur. „ (*c*) Non enim eis ſecundum artes Græcorum dialecticas aut re- „ thoricas dicendi facultas & diſſerendi ratio inerat, qua Auditores „ ſibi conciliarent... Nunc autem ecquis eſt, qui, cum videt, pi- „ ſcatores & publicanos vel primorum elementorum imperitos (id „ enim de illis Scriptura teſtatur, & Celſus ipſe inſcientiam ſuam „ vere deſcribentibus credit) confidenter de fide Jeſu adjungenda „ non modo apud Judæos diſputare, ſed etiam apud reliquas gen- „ tes proſpere Jeſum annuntiare, non quæſierit, unde illis ineſſet „ perſuadendi facultas? Neque enim erat vulgaris “. (*d*) Non ergo purus *homo Chriſtus*, *qui auſus univerſum orbem ad ſui cultum*, *ſuamque doctrinam attrahere non potuiſſet ſine Deo tantum ſucceſſum habere*, *ſuperareque omnia doctrinæ ſuæ obſtacula*, *etiam Reges*, *Imperatoreſque*, *Senatum ipſum Romanum*, *& omnes omnium populorum Principes*, *& etiamſi Romani multi tentarunt*, *ut delerent nomen Chriſtianorum*, *nihil tamen potuerunt efficere*, *protegente eos manu Dei*, *cujus voluntas erat*, *ut verbum ſuum ex uno Judææ terræ angulo profectum diſſeminaretur per univerſum genus hominum*, & Dæmonum conatus ad Chriſti fidem evertendam, nonniſi ad uberiorem ejus propagationem, & ſolidiorem firmitatem valuere. Nec ſapientes ſolum & morigeros ad ſui ſequelam Chriſtus pertraxit, ſed & ferinos homines, ac pene brutales a paſſionibus abreptos, & ad vitæ morumque mutationem maxime indociles, & hoc brevi tempore; quod profecto nullibi legitur alteri Doctori, vel Doctrinæ contigiſſe.

Hæc ſatis eſt prodigia noſſe & portenta, quæ Gens quælibet ſibi contigiſſe narrat vel fabulatur, (*e*) ſed *videndum quodnam eorum conſi-*

(a) *n.* 30. (b) *n.* 31.
(c) *Ibid. n.* 61. (d) *Lib.* 5. *n.* 50. (e) *Lib.* 8. *n.* 47.

ORIGENES. *conſilium, qui prodigiorum illorum auctores fuerunt: & an, quorum cauſſa prodigia hæc facta ſunt, utilitatem illis, an detrimentum attulerint, an neutrum.... & ſane ſi de prima Chriſtianorum conſtitutione veriſimilis habendus eſt ſermo, dicemus, probabile non eſſe, Apoſtolos, plebejos & ſine litteris viros, ad Chriſtianam Religionem annuntiandam alia re confiſos eſſe, quam collata ſibi, poteſtate & gratia, quæ eorum prædicationis comes erat, ut annuntiata ab ipſis doctrina reciperetur, nec eorum auditores a patriis inſtitutis, iiſque vetuſtate confirmatis abduci, & ad dogmata tam inſolita, tam aliena ab iis, quibus inſtructi fuerant, ſuſcipienda induci potuiſſe, niſi mirifica quadam potentia, rebuſque prodigioſis moti fuiſſent.*

Narrat, ſuo tempore (*a*) *miraculorum patrandorum vim ac poteſtatem penes Chriſtianos eſſe*, (*b*) *vel maxime apud eos, qui ex legis Chriſtianæ præceptis vitam ſuam moreſque exigunt, qui morbos curabant, futura prævidebant, Dæmones ex obſeſſis profligabant ſine ullo magiæ aut incantationis auxilio, ſed ſolis precibus ſimplicibuſque adjurationibus, ſed pronuntiato nomine Jeſu, recitatiſque Evangeliis*. (*c*) Addit, nomen Jeſu pronuntiatum *perturbatos animos componere, Dæmones abigere, mederi morbis*, etiam ab illis aſſumptum, qui mali ſunt. Nam Gentiles quoque Abrahamum non cognoſcentes (*d*) nomen tamen Dei *Iſrael Dei Hebræorum* uſurpabant *contra Dæmones, aliaſque noxias poteſtates*. (*e*) Chriſtiani vero divini nominis virtute, non ſolum ab humanis, ſed etiam ab animantium corporibus, immo & ab ipſis Idolorum fanis Dæmones expellebant; (*f*) & multi cum *viderent, immundos Spiritus flagellari, convertebantur ad Dominum, multi emendabantur, multi ad fidem veniebant*.

Præcipuus Evangelicæ prædicationis fructus habendus eſt morum in melius commutatio. Hinc ſcribit Origenes: „(*g*) Si quis poſſet „ a vitiorum colluvie, a libidine, a nequitia, a contemptu Numinis animas avertere, tantique operis ſpecimen in centum hominibus (exemplo ſit numerus) dediſſet, quos revocaſſet ad meliorem frugem; hunc nemo jure dixerit, ſine Deo centum illos homines a tantis vitiis liberaviſſe.... Quanto fidentius id de Jeſu affirmabit, cum eorum, qui Chriſti doctrinæ adhæſerint, priſtinos cum novis mores comparabit, animadverteretque quantis ſpurcitiis, quantis injuſtitiis, quantis cupiditatibus dediti illi ante fuerint .... quanto autem, ex quo illi doctrinæ ſe dociles præbuere, æquiores, graves, conſtantioreſque ſunt redditi, ut eorum quidam cum eximiæ puritatis amore.... venereis voluptatibus, etiam lege permiſſis, abſtinentes“; & quidem (*h*) *per totum*

(a) *Lib. 1. n. 2.* (b) *Ibid.* (c) *Lib. 1. n. 6.*
(d) *Lib. 4. n. 34.* (e) *Lib. 7. n. 67.*
(f) *Homil. 1. in 1. Reg. n. 10.* (g) *Contr. Celſ. lib. 1. n. 26.*
(h) *Ibid. n. 27.*

totum orbem, *cum Chriſtiana Religio Græciam omnem*, *majorem Barbararum gentium partem ſubegerit*, *innumeraſque animas ad Dei cultum adſciverit*. A ſeditionibus vero adeo abhorret Chriſtiana doctrina, (*a*) ut ejus *legislator omnem prohibuerit hominis occiſionem*, *& docuerit*, *vim homini numquam juſte a ſuis diſcipulis inferri poſſe quamvis injuſtiſſimo*, & ita voluerit *eſſe pacificos*, *ut veluti oves interficerentur*, *nec liceret de perſecutoribus ſumere ſupplicium.... Chriſtiani vero quoniam hanc lenignam*, *manſuetamque legem ſervarunt.... id a Deo conſecuti ſunt*, *qui ſemper pugnavit pro illis*, *quod conſecuti non eſſent*, *etiamſi data fuiſſet illis belligerandi licentia*, nec tamen exterminari ab hoſtibus ſuis potuerunt, quin etiam adeo excreverunt, *ut pauci per intervalla temporum & facile numerabiles pro Chriſtiana religione mortem objerint*. Judæis legem dare neceſſarium fuiſſe dicit, quia cum in Rempublicam a cæteris ſegregatam coaleſcerent, indigebant armis & præliis, (*b*) ne *hoſtes in eos irruentes ſubito omnes & penitus delerent*, *& ut legis transgreſſores punirent:* at Chriſtiani *Romanorum ditioni*, *& temporalibus ſubjecti legibus*, peculiaribus, quoad temporalia, ſtatutis non indigebant.

ORIGENES.

Chriſtianorum amplificandæ ſuæ Religionis ſtudium exponit Origenes, narrans „ (*c*) quoſdam id ſibi negotium ſumpſiſſe, ut non „ ſolum urbes, ſed etiam vicos & villas obambularent, quo alios „ ad pium Dei cultum adducerent. Neque quiſquam dixerit, id „ eos lucri cauſſa facere, quando interdum nec neceſſaria ad vi„ ctum ſumunt, quæ ſi interdum inopia coguntur accipere, id il„ lis ſatis eſt, quantum eſt opus, tametſi plurimi plura illis lar„ giri velint". Deinde ſubdit: „ At nunc fortaſſe cum in mul„ titudine doctrinam hanc amplectentium divites quidam, quidam „ in dignitatibus conſtituti, delicatæ etiam, nobileſque fœminæ „ ſint, quæ eos, qui ab iſta doctrina ſtant, excipiunt, audebit quiſ„ quam dicere, quoſdam gloriolæ deſiderio Chriſtianorum doctri„ nam prædicare. Sed initio Chriſtianiſmi, quando Doctoribus „ maxime periculum impendebat, hæc ſuſpicio non poterat habere „ locum, & hodie major eorum eſt apud exteros ignominia, quam „ apud ſuos gloria eſt". Hocce tamen dilatandæ Religionis ſtudium minime impediebat, (*d*) *quin pertentarent animos illorum*, *qui eos audire cupiebant*, *& privatim illos informarent*, *nec auditores illos in cœtum admittebant*, *antequam ſatis in voluntate honeſte vivendi profeciſſe comperiſſent*. *Tunc tandem illos ſuſcipiebant diſtinctis ordinibus*, *altero eorum*, *qui recens inceperunt*, *nuperque admiſſi ſunt;... altero eorum*, *qui pro viribus ſe comprobarunt id habere propoſitum*, *ut nihil velint*, *niſi quæ Chriſtianis placent....* Erant etiam, qui *in vitam & mores eorum*, *qui admittebantur*, *inquirerent*, *ut ſcelerum reis interdicerent aditum in* com-

---

(a) *Lib. 3. n. 7.* (b) *Lib. 7. cap. 26.*
(c) *Lib. 3. n. 9.* (d) *Lib. 3. n. 51.*

ORIGENES. *commune concilium*, *illorum autem diſſimiles ex animo amplexi*, *meliores in ſingulos dies efficerent*. Non ſtatim Catechumeni ad quælibet credenda temere cogebantur, ſed paulatim de Chriſtianæ fidei veritatibus edocebantur, ſpectatis eorum ingeniis, moribus, & converſatione; qui rudes erant, ſi ea, quæ ipſis proponebantur myſteria, ſe credere profitebantur, *non gravabantur ad ſolidos eoſque ſpirituales cibos accedere*, qui pietatis, aliarumque *virtutum athletis conveniunt*; acriori vero ingenio prædití ad profundiora rimanda arcana per interrogationes & reſponſiones manuducebantur.

Hinc (*a*) Chriſtianorum Eccleſiæ (ſubdebat Origenes) ſuis ſanctis moribus inſtitutæ „ ſi cum populorum conciliis, quibuſcum „ habitant, comparentur, in mundo tamquam lumina ſunt. Ecquis „ enim non fateatur, eos, qui in Eccleſia deteriores ſunt, & in „ meliorum comparatione pejores, præſtantiores eſſe multis eorum, „ qui in popularibus cœtibus vivunt? Atque ut exemplo conferam, „ Eccleſia Dei, quæ eſt Athenis, manſueta eſt & conſtans, ut quæ „ grata ſummo Deo & accepta eſſe ſtudet; contra cœtus Athe„ nienſium turbulentus eſt, nec ulla ex parte ad Eccleſiam ejuſ„ dem loci comparandus. Idem dixeris de Eccleſia Dei, quæ eſt „ Corinthi.... & quæ eſt Alexandriæ, & de Corinthiorum, & „ Alexandrinorum concilio. Et ſi quis hæc candido animo audie„ rit, & in rebus conſiderandis veritatem quæſierit, is eum admi„ rabitur, qui conſilium cepit & perficere potuit, ut Eccleſiæ Dei „ ubique eſſent.... Sic autem & Curiam Eccleſiæ Dei cum Curia „ ſingularum Urbium conferens invenies quoſdam Eccleſiæ Sena„ tores, dignos, qui Dei moderentur civitatem... cum e contrario, „ qui cernuntur paſſim Senatores, eorum mores nihil præſeferunt „ dignum tributa illis dignitate, qua videntur præ civibus emine„ re. Atque ſi eodem modo Eccleſiæ Antiſtitem cum ſingularium „ Urbium Præſidibus comparaveris, intelliges, inter Senatores & „ moderatores Eccleſiæ Dei, etiam eos, qui a cæteris ſupe„ rantur, & apud officiorum obſervantiores haberi poſſunt deſi„ dioſi, in progreſſione ad virtutes præexcellere iis, qui in Urbi„ bus Senatorum & Præſidum dignitatibus præfulgent". Presby„ terium erat veluti Senatus Eccleſiæ, cujus Princeps, & caput Epiſcopus.

Chriſtianorum dogmata univerſo orbi comperta ſupra cæteras omnes Gentes eos excellere luculenter oſtendebant; (*b*) tantum abeſt, ut comparandi forent (quemadmodum inſcite ſimul & impudenter blaterabat Celſus) *aut veſpertilionum agmini*, *aut formicis e nido prorepentibus*, *aut ranis circa paludem conſidentibus*, *aut lumbricis in aliquo cœni angulo congregatis*. Quandoquidem cæteræ (*c*) Nationes *aut animalia rationis expertia*, *aut ſimulacra*, *aut*

(a) *Ibid. n.* 29. 30.
(b) *Lib.* 4. *n.* 23. (c) *n.* 26.

aut alias inſignes hujus mundi res venerabantur, dum e contra Chriſti aſſeclæ *ad omnium conditorem mentem ſuam & cultum erigebant, & ſe totos illi committebant, quem pro certo habebant, ſolum omnibus poſſe ſufficere, cogitationes omnium perſpicere, omnium preces audire*, parati proinde *nec laboribus, nec mortis periculis vel minimum a pietate* recedere, qui *juſtitiam, æquitatem, benignitatem* exacte ſervabant, *qui vehementiſſimam voluptatis libidinem cohibebant*, dum e contra Gentiles *ſe in flagitioſas libidines ingurgitabant nullo pudore, & docentes, hæc non eſſe flagitia*. Inter Chriſtianos *infirmiores & rudiores* hiſce de cauſſis, oh immane quantum! *ſupra Philoſophos, Veſtales, & ſanctiſſimos Pontifices eminebant. Nullus Chriſtianus, qui vere Chriſtianus ſit, vitiis contaminatur, & ſi quis forte vitioſus eſt, noſtris cavet intereſſe cœtibus, & ab orationibus communibus ſe ſubtrahit, niſi forte ſe multitudini furtim commiſceat, quod quidem raro contingit*.

ORIGENES.

Et revera Eccleſia pellebat e ſuo ſinu flagitiis deditos, & ut (*a*) *perditos, ac Deo mortuos lugebat eos, qui libidine, aut quovis alio crimine dejecti eſſent; eoſdem vero quaſi e mortuis excitatos ducebat, ſi eam morum mutationem feciſſent, cujus ratio haberi deberet, tardius tamen admittebantur, quam qui prius recipiebantur, qui poſt profeſſam religionem lapſi erant, & ab omni poſthac dignitate & præfectura in Eccleſia Dei arcebantur*. Fatebatur Celſus, Chriſtianos modeſtiam, & humilitatem colere, at Origenes veræ modeſtiæ, & chriſtianæ humilitatis ideam exhibet, ſcribens: „ (*b*) Neceſſe non eſt, ut qui humiliter ſentit, is indecenter & „ indecore ſe demittat, procumbat humi pronis genibus, infelicium „ ſibi veſtem induat, fœdetque cinere caput.... ſi qui enim præ „ ſua ſimplicitate non intelligentes, in quo ſita ſit humilitas, illa, „ quæ diximus, abjecta factitant,... ignoſcendum illorum ſimplicitati.... Ille humilior & ornatior eſt,... qui ſponte ſe humi„ liat, non ſub quolibet, ſed *ſub potenti manu Dei, & tamen in* „ *magnis & mirabilibus ſuper ſe ambulat* “.

Quod præcipue Celſus exprobrabat Chriſtianis, illud erat, (*c*) eos Chriſtum, ceu Deum colere, & Judæis *crimini dare*, (*d*) *quod Jeſum non exiſtimaverint Deum eſſe*. Unde colligitur, divinitatem Chriſti temporibus Adriani in Catholica Eccleſia cognitam & creditam fuiſſe. Scribit propterea Adamantius: (*e*) *Magi ſumptis ſecum muneribus, quæ veluti ſymbola illi, qui ex Deo & homine mortali eſſet, ut ita dicam, compoſitus, darent, poſtquam didicerunt, ubi natus fuiſſet, ut Regi aurum, ut morituro myrrham, ut Deo thus obtulerunt*. Et poſt plura addit: „ (*f*) Nos vero, qui „ Jeſu de ea quæ in ipſo erat Divinitate dicenti, *ego ſum via ve-* „ *ritas, & vita*, aut aliud ſimile; humanum autem ſe habere „ cor-

(a) *Lib.* 3. *n.* 51. (b) *Lib.* 6. *n.* 15.
(c) *Lib.* 2. *n.* 9. (d) *Lib.* 1. *n.* 34.
(e) *Ibid. n.* 60. (f) *Ibid. n.* 66.

ORIGENES. „ corpus ſic adfirmanti: *nunc autem quæritis me interficere hominem qui veritatem locutus ſum vobis*, fidem habemus: illum „ quid compoſitum fuiſſe profitemur": Subdit etiam: *Docere volebat, in ſe in eſſe quiddam divinius, nempe proprie dictum Dei Filium, Deum Verbum, Dei potentiam, Dei ſapientiam*: & concludit, (*a*) *cum Deus eſſet, viſum fuiſſe in humano corpore, ut noſtro generi prodeſſet*. Incarnationis Myſterium ſic explicat: *Hæc* (*b*) *autem non eo dicimus, ut Filium Dei a Jeſu ſeparemus. Verbum enim Dei cum anima & corpore Jeſu unum maxime poſt diſpenſationem factum eſt*. Et paulo poſt de Chriſti corpore loquens dicit, illud fuiſſe *verum Dei Verbi*, *Sapientiæ*, *Veritatis Templum*; & iterum: (*c*) *De Jeſu autem dicimus, quem utile erat humano generi illum accipi ut Dei filium, ut Deum, qui humana anima & corpore venit*. Et poſtea: (*d*) *Sciant criminatores noſtri quem ab initio Deum Deique filium eſſe credimus, & pro certo habemus eum eſſe Verbum ipſum, Sapientiam ipſam, ipſam Veritatem; mortale autem ejus corpus, & humanam, quæ in ipſo eſt, animam, ad maximam dignitatem evectam fuiſſe.... & ambo in partem vocata fuiſſe divinitatis*. Et de Dei immortalitate loquens, ſic ſcribit: „ (*e*) „ Quod ſi Deus immortalis, Verbum mortali corpore, humanaque „ anima ſuſceptis, videtur Celſo mutari, & aliam formam aſſu„ mere: ſciat ille, Verbum natura manens Verbum nihil eorum „ pati, quæ corpus aut anima patitur.... Ad hæc duplex eſt re„ ſpondendi ratio, quarum alteram natura Divini Verbi, quod Deus „ eſt, alteram anima Jeſu ſuppetet".

Rogabat Celſus, cur Judæi & Chriſtiani aſtra non adorarent, & ſolem, cui reponebat Origenes: „ (*f*) Nulla fuit ratio, cur, „ qui creata omnia generoſe pedibus proculcare.... didicerant.... „ qui ſummo ſtudio ad ſplendidam illam & incontaminatam ſapien„ tiam, ipſum lucis æternæ ſplendorem contenderant... ſenſibili ſolis, „ & lunæ, & ſtellarum lumine percellerentur. Sicut enim qui pro„ pter ſenſibile hoc & cæleſte lumen ſolem, lunam, & ſtellas ado„ rant, non adorant ſcintillam noſtri hujus ignis aut lucernam... „ ſimillime quibus perſpectum eſt, quomodo Deus ſit lux, & filius „ Dei *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, & qui dixerit „ de ſe *ipſo*; *ego ſum lux Mundi*, ii ſolis, & lunæ, & ſtellarum „ lucem tamquam pro parva ſcintilla habent præ Deo.... nec il„ la ullo modo adorare poſſunt. Neque hæc de ſole, luna, & „ ſtellis dico, quod tanta Dei opera deprimere velim.... ſed quia „ compertum habeo, Dei, ejuſque Unigeniti divinitatem... omni„ bus eſſe ſuperiorem". Notat etiam infinitam Verbi Divini a creaturis diſtantiam, dum ſcribit: „ (*g*) Nullus increatum, & o„ mnis creaturæ primogenitum digne poterit cognoſcere, ut Pater, „ qui

(a) *Ibid. n.* 68. (b) *Lib.* 2. *n.* 9.
(c) *Ibid. n.* 10. (d) *Lib.* 3. *n.* 41.
(e) *Lib.* 4. *n.* 15. (f) *Lib.* 5. *n.* 10.
(g) *Lib.* 6. *n.* 17.

„ qui eum genuit, neque Patrem, ut animatum Verbum, quod Sa- „ pientia & Veritas ejus eſt “. Celſo dicenti, (*a*) *Deum ne Verbo quidem eſſe comprehenſibilem*, ſic reſpondet: „ Id diſtinguendum cen- „ ſeo. Nam ſi de verbo, quod in nobis eſt, ſive interiori, ſive de „ eo quod profertur, ſermo ſit; fatebimur & nos, Deum compre- „ henſibilem non eſſe verbo. Si autem conſideraverimus iſtud: *in* „ *principio erat Verbum*, & *Verbum erat apud Deum*, & *Deus* „ *erat Verbum*, affirmaverimus huic Verbo comprehenſibilem eſſe „ Deum “. Nam vox *Logos* græca utrumque ſignificat, & verbum exterius prolatum, & verbum mente conceptum; & paulo poſt: „ (*b*) Ecquis alius ſalvam facere, & ad ſummum Deum perdu- „ cere humanam animam poteſt, quam Deus Verbum? qui cum „ eſſet in principio apud Deum, propter eos, qui carni agglutinati, „ immo caro ſunt, factus eſt caro, ut capiatur ab eis, qui vi- „ dere ipſum non poterant quatenus Verbum erat, & apud Deum, „ & Deus erat “.

ORIGENES.

Objiciebat Chriſtianis Celſus, injuſte alias Gentes Chriſtianos redarguere, quod plures Deos colerent, cum ipſi (*c*) præter *Deum hominem nuperrime exortum* & *Dei miniſtrum ſupra modum venerentur*: at reſpondebat Origenes verbis Chriſti, *ego* & *Pater unum ſumus*, & *Pater in me eſt*, & *ego in Patre*; & refutatis illis, qui ex laudatis verbis unitatem Perſonæ inferebant, concludit: *Unum igitur Deum Patrem* & *Filium colimus*, ... *neque hominem nuperrime exortum*, & *qui antea non erat*, *ſumma veneratione proſequimur*. Ex his itaque certis & luculentiſſimis Adamantii teſtimoniis depromptis ex Opere maxime completo, quod præ cæteris nobis ſupereſt, mens eſt deducenda, & doctrina Origenis Eccleſiæ Dogmatibus omnino conformis, & ad eorum amuſſim explicanda, & intelligenda verba, & phraſes, quæ duriores videntur, & minus congruæ, vel etiam verbis adverſantes, & dictis Sanctorum Patrum, qui poſt Nicænam Synodum ſcripſere.

V. Bull. de- fenſ. Fid. Nic. ſect. 2. cap. 9. ſeſſ. 12.

Quod præ cæteris negotium faceſſit, illud eſt, quod habetur in libro de Oratione, ubi docet (*d*), *ſolum Patrem orare oportere*, *nec eum nos orare debere*, *qui Pontifex conſtitutus eſt a Patre*, & *advocati munus accepit a Patre*, *ſed per Pontificem*, & *advocatum*: at ex his, quæ mox ſubjicit, clare indicat, ſe ita dixiſſe, ne quis ita oraret Patrem, & Filium *in plurali numero*, quaſi putaret duos eſſe Deos, ſed juxta conſuetudinem vetuſtiſſimam & univerſalem Eccleſiæ eſſe orandum, (*e*) *laudandum* & *glorificandum Patrem per Jeſum Chriſtum in Sancto Spiritu*. Docet etiam in hocce Tractatu de oratione non ſolum *Pontificem Chriſtum orare*, *ſed* & *Angelos*. (*f*) Quod confirmat ex libro Tobiæ, nec notat, Judæos illius

Vid. Origeniana lib. 2. q. 2. n. 29.

(a) *Lib. 6. n. 65.* (b) *Ibid. n. 68.*
(c) *Lib. 8. n. 12.* (d) *n. 15.*
(e) *Lib. de Orat. n. 33.* (f) *n. 11.*

Origenes. illius libri auctoritatem rejicere (1). Auctoritate vero libri Machabæorum probat (*a*), Sanctos in Cælis pro nobis orare, & ſubdit: Etenim *cum una ex præcipuis virtutibus... ſit charitas in proximum, quam ii qui jam dormierunt Sancti multo magis in eos, qui in vita militant, habere putandi ſunt.* (*b*) Docet, *tribus temporibus per diem orandum, ſed nec noctis tempus ſine oratione tranſigendum*, quod Scripturæ comprobat teſtimoniis. Refellit etiam (*c*) *argumenta eorum, qui nihil precibus effici putant, adeoque ſuperfluum eſſe dicunt orare*, quia 1. Si Deus *futurorum præſcius eſt, & ipſa oportet fieri, vana eſt oratio*. 2. *Si omnia juxta Dei voluntatem fiunt, & ſtabilia ſunt ipſius decreta, nec quicquam eorum, quæ vult, mutari poteſt, vana eſt oratio*, oſtendens, in divina præſcientia, & in divinis decretis etiam orationes contineri, quibus conſtituit gratiam & bona petita largiri. Poteſtatem remittendorum peccatorum Apoſtolis conceſſam illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis &c.* cognoſcit & confitetur; unde ſubdit, hanc poteſtatem (*d*) *Apoſtolis, & qui ſimiles Apoſtolis ſunt Sacerdotibus* convenire,... *qui ſciunt, quænam peccata in Deum, & quando, & quomodo* remittere & retinere debent; *& omnes habemus poteſtatem remittendi peccata in nos admiſſa.*

ARTICULUS TERTIUS,

Præſtantiora Origenis documenta, Dogmata, Mores, & Diſciplinam ſpectantia.

Origenis de Sacra Scriptura doctrina. ORIGENES pro certo habet, & late probat, Sacrarum Scripturarum Scriptores organa fuiſſe Sancti Spiritus, & utriuſque fœderis libros (*e*) uſque ad minimum apicem fuiſſe divinitus inſpiratos. Prophetæ, ut ipſe putat (*f*), *mente non excidebant, nec ex neceſſitate Spiritus loquebantur*, cum vaticinabantur, ſed *poteſtatem habebant, cum vellent dicere, & cum vellent tacere*. Nihil prorſus invenitur (*g*) *inutile aut vanum* in Scripturis, nihil proinde ab eis (*h*) *obtruncandum*. Ut Scripturarum conſequamur intelli-

(1) Quod in hoc loco non notat Origenes, alibi tamen in hocce eodem libro n. 14. diſerte dicit ſcribens: *Librum Tobiæ rejiciunt Judæi quaſi non Canonicum.*

(a) *Ibid.* (b) *n.* 12. (c) *n.* 5. 6.
(d) *n.* 28. (e) *Lib.* 4. *de Princip. n.* 1. *pag.* 156.
(f) *In Ezech. hom.* 6. *pag.* 401. *Tom.* 1. *Genebr.*
(g) *In Hier. pag.* 149. *Tom.* 1. *Huet.*
(h) *In Ezech. pag.* 201. *Huet.*

telligentiam (*a*), ejus ſenſum magno animi ſtudio meditari debemus, (*b*) & *loquentes ab auditoribus* diligenter diſtinguendi. (*c*) In pluribus quidem locis obſcura eſt; at talis nobis non eſſet (*d*), ſi uberiori ſpiritu & mentis acumine donaremur. (*e*) Humanarum litterarum cognitio ad Scripturarum intelligentiam aliquantulum utilis, & nihil ad eam promovendam validius, quam fervens oratio cum firma fide conjuncta. ORIGENES.

(*f*) *Triplicem in Scripturis divinis* (dicit) *intelligentiæ inveniri modum, hiſtoricum, moralem, & myſticum.*

Mos erat in eccleſia, ut Dominica die Sacræ legerentur Scripturæ, ſic enim ſcribit: (*g*) *Dominica die ſemper Dominus pluit manna de Cælo; ſed & hodie ego dico, quia pluit Dominus manna de Cælo: cæleſtia namque ſunt eloquia iſta, quæ a nobis lecta ſunt;* ea die igitur ſimul conveniebant fideles. At Origenes conqueritur, plures (*h*) *non convenire ad audiendum Verbum Dei, & vix feſtis diebus ad Eccleſiam procedere; & hoc non tam deſiderio verbi, quam ſtudio ſolemnitatis, & publicæ quodammodo remiſſionis obtentu.* Illos quoque redarguit (*i*), *qui ut recitari audierint, quæ leguntur, ſtatim diſcedunt: nulla ex his quæ audierint inquiſitio ad invicem, nulla collatio, nulla interrogatio Sacerdotibus,* & eos, *qui ne hoc quidem patienter expectant uſquequo lectiones in Eccleſia recitentur,* & alios, *qui nec ſi recitentur ſciunt, ſed in remotioribus dominicæ domus locis ſæcularibus fabulis occupantur.* Fideles objurgat, qui (*k*) *plurimum, immo totum tempus mundanis occupationibus terunt, & ad audiendum Verbum Dei parum admodum vacant;* (*l*) *qui magnis impendiis, ſtudio ac labore, ſtudia quærunt humana.*

Cum autem Verbi Dei explicationem Sacra ſequeretur Synaxis, & Euchariſtia conſecraretur; hinc Origenes dicit (*m*): „ Nemo poteſt audire Verbum Dei, niſi prius ſanctificatus fuerit, ideſt niſi „ fuerit Sanctus corpore & ſpiritu.... ingreſſurus enim eſt paulo „ poſt ad cœnam nuptialem; manducaturus eſt de carnibus Agni, „ potaturus eſt poculum ſalutis ".

Mens Origenis eſt, in Scripturis, & in Religionis dogmatibus (*n*) *illam ſolam credendam eſſe veritatem, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione.* Illam vero dicit certo cuſtodiendam traditionem, quæ per *ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita uſque ad præſens in Eccleſia permanet.* De Traditione.

(a) *In Matth. pag.* 210. *ibid.* (b) *In Cant. pag.* 51. *ib.*
(c) *In Pſal. pag.* 40. *ibid.* (d) *In Hier. pag.* 109. *ibid.*
(e) *Philoc. pag.* 41. 43. (f) *Hom.* 5. *in Levit. Ed. Geneb. pag.* 78.
(g) *Hom.* 7. *in Ex. pag.* 49. *Geneb.*
(h) *Hom.* 10. *in Gen. pag.* 20. *Geneb.*
(i) *Hom.* 12. *in Ex. pag.* 61. *Geneb.*
(k) *Hom.* 10. *in Gen. pag.* 20. *Geneb.*
(l) *Hom.* 12. *in Ex. Geneb.*
(m) *Hom.* 11. *in Ex. pag.* 60. *Geneb.*
(n) *Periar. lib.* 1. *pag.* 404. *Ed. Geneb.*

ORIGENES.

De Trinitate Perſonarum, & Unitate ſubſtantiæ.

Admittenda eſt (dicit) (*a*) *trium diſtinctio perſonarum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto,... ſed horum unus eſt fons; una enim ſubſtantia eſt, & natura Trinitatis*; licet enim Pater & Filius duæ ſint Perſonæ, una tamen & eadem eſt in utroque ſubſtantia, Filius (*b*) *eſt Patri coæternus, ejuſdem cum illo ſubſtantiæ, imago inviſibilis Dei inviſibilis, ejus Verbum, Sapientia æterna, via & ſplendor gloriæ Patris, cui eſt æqualis*. Pater totam magnitudinem ſuam Filio communicavit, qui eſt primogenitus omnis creaturæ, (*c*) *per quem facta ſunt omnia*. Filius non eſt a Patre diviſus, & ideo ſcriptum eſt (*d*): *quicumque me receperit, recipit eum qui miſit me*. (*e*) *Eſt in Patre, & exivit a Patre*, ut ad nos deſcenderet forma viſibili, & (*f*) *ipſe inviſibilis eſt, naturæ* (*g*) *incorporeæ, & unus ſpiritu*. Quamvis a Patre miſſus, non eſt hoc tamen ei *contumeliæ* (*h*), quaſi eſſet inferior, & alterius a Patre ſubſtantiæ. *Nec* (*i*) *putandum, Trinitatis deſeri naturam, ſi nominum ſervantur officia, una enim eſt Deitas in Trinitate agnoſcenda*. (*k*) Spiritus Sanctus tertia eſt Trinitatis Perſona; *alius eſt enim & ipſe a Patre & Filio*. Illum putat Hebræis ignotum, (*l*) nec *eum accipere concupiſſe* qui tamen per Prophetas locutus eſt, (*m*) & miſſus eſt a Patre, ut cum Filio ſalutem hominum operaretur; (*n*) ipſe eſt qui peccata dimittit, *quamvis certum eſt, a Trinitate peccata dimitti*, licet hoc peculiariter Scriptura tribuat Filio, quemadmodum Patri appropriat Mundi creationem, (*o*) Filio Sapientiam, & Spiritui Sancto ſanctificationem. Ex Sancto Baſilio (*p*) etiam didicimus, Origenem pluribus ſuis ſermonibus ſuper Pſalmos finem imponere conſueviſſe per Spiritus Sancti glorificationem, & ſuis in S. Joannem homiliis, conceptis verbis unam Divinitatem in adoranda Trinitate confiteri. Quæ teſtimonia, & alia, quæ & nunc quoque in Adamantii ſcriptis legimus (*q*), ipſum ab erroribus, de quibus fuit inſimulatus, immunem fuiſſe oſtendunt.

De Incarnatione & Divinitate Jeſu Chriſti.

(*r*) Nec minus catholice de Verbi Divini Incarnatione ſentit, nam

(a) *Hom. 12. in Num. pag. 135. Ed. Geneb.*
(b) *Apud S. Athan. lib. de Decr. Nic. Syn. pag. 232.*
(c) *Contr. Celſ. lib. 6.*
(d) *In Matth. Hom. 1. Ed. Huet. pag. 325.*
(e) *In Joan. pag. 306. Ed. Hu.*
(f) *Hom. 4. in Gen. pag. 12. Ed. Geneb.*
(g) *Contr. Celſ. lib. 6. Geneb.*
(h) *Hom. 2. in Eſai. Tom. 1. pag. 350. Geneb.* (i) *Ibid.*
(k) *Hom. 12. in Num. pag. 135. Tom. 1. & Tom. 2. in Jo. pag. 56. Ed. Geneb.*
(l) *Hom. 18. in Jer. Tom. 1. pag. 173. Ed. Huet.*
(m) *In Jo. Tom. 2. pag. 58. Ed. Huet.*
(n) *Hom. In Iſai. 1. pag. 350. T. 1. Ed. Geneb.*
(o) *Periarch. lib. 1. cap. 3.*
(p) *Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 29.*
(q) *Hom. 37. in Lucam Ed. Geneb. pag. 158.*
(r) *Cont. Celſ. lib. 3.*

nam docet (1), Corpus a Verbo in utero Virginis aſſumptum corpus fuiſſe reale & materiale, cæteris hominum corporibus per omnia ſimile, vulnerabile, & morti obnoxium (*a*), ideo de ejuſdem carnis veritate nullum eſſe ambigendi locum (*b*), unitum quoque Verbum animæ humanæ per ſummam participationem, & ab ea numquam ſeparandum (*c*). Duas eſſe in Chriſto naturas divinam & humanam, (*d*) in una perſona copulatas. (*e*) Hinc Chriſtus ſimul & Deus verus & homo verus.

ORIGENES.

Obnoxius fuit Chriſtus triſtitiæ, cæteriſque animi affectibus, ſicut & morti, non quatenus Deus, (*f*) ſed *ſecundum humanam naturam*. Propter hominum ſalutem factus eſt homo, (*g*) *ut caperetur ab eis, qui alioquin nec videri quidem poterat in quantum Verbum erat, & apud Deum erat, & Deus erat*. (*h*) Et quidem voluntarie, non invitus, contumelias paſſus eſt, & oblatus eſt quia ipſe voluit, ut tolleret peccata Mundi. Per Jeſum Chriſtum Patrem orare debemus, & per ipſum ipſi gratias agere, ac noſtræ per ipſum ad Patrem preces & vota dirigenda (*i*), quod tamen non impedit quod *ſicut offerimus poſtulationes Patri, ita offerimus poſtulationes & Filio, & Spiritui Sancto, & ſicut offerimus gratiarum actiones Deo, ita gratias offerimus Salvatori* (*k*). Ante Reſurrectionem ad inferos deſcendit, ut Sanctos ibidem detentos liberaret.

Notat, Phlegonem ethnicum Scriptorem (*l*) *de defectu ſolis ſub Tiberio Cæſare, quo imperante conſtat Jeſum crucifixum, deque magnis ejus temporis terræmotibus ſcripſiſſe*, in Chriſto futurorum notitiam agnoviſſe, & fateri, quæ Chriſtus erat vaticinatus, eveniſſe, licet a vero aberret, Petrum cum Chriſto confundendo.

Credidiſſe tamen videtur Origenes (*m*), eclipſim, ſicut & terræ motus, cæteraque prodigia, non toti fuiſſe orbi conſpicua, ſed *in Jeruſalem tantum facta*. Notat etiam, Cruci affixos mori non (*n*) conſueviſſe, niſi poſt biduum, triduumqqe; unde colligit *beneficium Dei fuiſſe*, quod Chriſtus poſt tres horas expiraverit, & *meritum orationis ejus magis, quam violentia Crucis*.

De Virginitate Deiparæ, & quomodo concepit & peperit.

Jeſum natum confitetur ex *muliere* (*o*) *non virum paſſa & more fœminarum gravida, ſed ex pura & caſta virgine*, & quidem Spiritus Sancti virtute, & integra ſemper manente ejuſdem virginitate.

(1) Vide Origenianas Differt. Huetii.
(a) *Cont. Celſ. lib.* 4. (b) *Ibid. lib.* 6.
(c) *Ibid. Lib.* 1. (d) *Lib.* 2. (e) *Lib.* 1.
(f) *Tract.* 35. *in Matth. Tom.* 2. *pag.* 105. *Ed. Geneb.*
(g) *Cont. Celſ. lib.* 6. (h) *Lib.* 8.
(i) *Lib.* 8. *in Ep. ad Rom. pag.* 382. *Ed. Geneb.*
(k) *Hom.* 9. *in Jerem. Ed. Huet. Tom.* 1.
(l) *Lib.* 2. *cont. Celſ.*
(m) *Tract.* 35. *in Matth. pag.* 128. *Tom.* 2. *Ed. Geneb.*
(n) *Ibid. pag.* 131. (o) *Lib.* 10. *cont. Celſ.*

ORIGENES.

tate. Nec tamen (*a*) *in contaminationem miſſam, & contaminatam divinam naturam, ſive quod manſiſſet in mulieris corpore,... ſive hoc ipſo quod corpus ſumpſiſſet; non aliter, quam qui putant radios ſolis pollui contactu cœni, vel cadaveris, nec ibi quoque puritatem ſuam ſervare.*

Mariam ſemper (*b*) Virginem permanſiſſe teſtatur, nec alium habuiſſe Filium præter Jeſum, qui nonniſi in apocryphis libris (*c*) Faber lignarius dicitur. Et obſervat, aliquos in ea fuiſſe ſententia, ut crederent, illos qui in Scriptura (*d*) fratres Chriſti audiunt, filios fuiſſe Joſeph, ſed ex alia conjuge.

De Angelorum natura & officiis.

Angelos docet (*e*) eſſe *incorporeos*, (*f*) & natura hominibus præſtantiore, & a Dæmonica plane diverſa; nominibus donari (*g*) *ſuo miniſterio convenientibus*, (*h*) per ipſorum miniſterium nobis ad vitam neceſſaria ſuppeditari, quippe qui præſunt (*i*) *frugibus*, *vino*, *arborum fructibus*, *aquis*, *aeri*; (*k*) illos omnia noſſe, etiam internas cogitationes noſtras, (*l*) *adjuvare contendentes ad ſalutem*, & *Deum invocantes*, *eorum preces ad Deum deferre in Cœlum per unicum Pontificem ſummo Deo; ipſum quoque* (Angelum) *pro ſibi commiſſo deprecari*, & dona Dei, quæ nobis largiri dignatur, ad nos deferre.

De natura animæ, eiuſque poſt obitum corporis ſtatu.

Teſtatur Origenes, in Eccleſia Chriſtiana ſemper pro certo habitum (*m*), *poſt diſceſſum a corpore ſupereſſe & vivere animam humanam*, nec cum illo perire (*n*), ſed *cum ex hoc mundo diſceſſerit*, inquit, *& pro ſuis meritis diſpenſabit, ſive vitæ æternæ, ac beatitudinis hæreditate potietur, ſi hoc ei ſua geſta præſtiterint, ſive igne æterno, ac ſuppliciis mancipabitur.... cum & illud definitum ſit in Eccleſiaſtica prædicatione, omnem animam rationabilem eſſe liberi arbitrii & voluntatis, ſubſtantiam habere propriam, & propriam vitam* a vita & ſubſtantia corporis plane diverſam: quod clarius (*o*) alibi explicat dicens, *rationalem animam præſtantiorem eſſe omni creatura corporea, ut ſubſtantiam inviſibilem & incorpoream* (*p*), *quæ portat imaginem cæleſtis* (*q*); *eſt Templum Dei*, in ſe omnium virtutum ſemina complectitur. Sed addit, ab Eccleſia minime definitum (*r*) *de anima*, *utrum ex ſemine traducis ducatur, ita ut ratio ipſius, vel ſubſtantia inſerta ipſis ſeminibus corporalibus habeatur; an vero aliud habeat initium, & hoc ipſum initium ſi genitum eſt, an non genitum; vel certe ſi intrin-*

(a) *Lib. 6. pag. 504.* (b) *In Matth. pag. 223. Tom. 1. Huet.*
(c) *Cont. Celſ. lib. 6.* (d) *In Matth. Tom. 1. Ed. Huet. pag. 223.*
(e) *Lib. 1. cont. Celſ.* (f) *In Matth. Tom. 1. Ed. Huet. pag. 396.*
(g) *Lib. 3. contr. Celſ.* (h) *Lib. 1. cont. Celſ.*
(i) *Lib. 8. cont. Celſ.* (k) *In Jo. pag. 209. Tom. 2. Huet.*
(l) *Lib. 8. cont. Celſ. pag. 524.* (m) *Lib. 1. cont. Celſ. in init.*
(n) *In procem. lib. 1. Periar. pag. 404.* (o) *Cont. Celſ. lib. 7. in fin.*
(p) *Hom. 2. in Jer. Tom. 1. pag. 65. Ed. Huet.*
(q) *In Matth. Tom. 1. pag. 444. Ed. Huet.*
(r) *Procem. Periar. Ed. Geneb. pag. 420. Tom. 1.*

trinſecus corpori inditur, *nec ne*. Ipſe tamen aliquorum veterum videtur opinioni adhærere putantium, Deum ante corpora quemdam animarum creaſſe numerum, quæ poſtea in corpora illaberentur, eique unirentur (1). ORIGENES.

(*a*) *Definitum*, dicit, *Eccleſiaſtica prædicatione*, *omnem animam rationabilem eſſe liberi arbitrii & voluntatis*, nec nos *neceſſitate cogi vel agere recte*, *vel male*. (*b*) Nam ſi a virtute electionis auferatur poteſtas, ipſam virtutem omnino labefactari certum eſt. (*c*) Omnes rationales animas ejuſdem eſſe naturæ, nullamque earum vitioſam e manibus Creatoris prodiiſſe; (*d*) ſed *ipſa anima ſe in ſervitutem redegit per delictum*. Impoſſibile tamen Deo non eſt corruptionem vincere, quæ in aliquibus ex conſuetudine peccandi velut altera natura facta eſt (*e*); qui tamen e vitiorum cœno emergere poſſunt (*f*), & divina ſervare mandata, ſed gratiæ auxiliis, cujus potentiſſima virtus nos quodammodo (*g*) invitos & reluctantes trahit ad ſalutem, & quæ non ſolum ſponte venientes ad Deum invitat, ſed (*h*) *trahit & cogit* etiam nolentes, ab eis (*i*) odium in Chriſtianam Religionem auferendo, & ita in agnita veritate confirmando, ut pro Religione mortem oppetere non formident. Nullus umquam bonum aliquod (*k*) ſine gratia operatus eſt; & ſine illius adjutorio (*l*) Deum quærere & invenire non valemus. (*m*) Gratia nobis ad fidem neceſſaria eſt, quippe quia Fides eſt donum Dei. (*n*) Si Juſti Dæmones vincebant, id gratiæ auxiliis deputabant, nec umquam gloria alicujus boni operis ſibi tribuebant, cum optime noſſent, (*o*) per Jeſum Chriſtum ſe obtinuiſſe victoriam. De Gratia & libero arbitrio.

Pluribus in locis Origenes docet, omnes homines peccato (*p*) naſci inquinatos originali, quod probat ex Baptiſmo infantibus dato. Duo diſtinguit peccatorum genera (*q*), *alia magna*, quæ nos lethalia appellamus, *alia minora*, quæ venialia dicimus. (*r*) Hæc non auferunt vitam gratiæ ab anima; illa vero animam occidunt, nec cum vita gratiæ conſociari poſſunt; (*ſ*) *parva tamen peccata* De peccato originali, & actuali.

non

(1) Vid. Orig. Comment. in Joan. Tom. 5. pag. 75. Tom. 2. Huet.
(a) *In Proœm. Periarc.* (b) *Lib.4. cont. Celſ.* (c) *Lib.3. Ibid.*
(d) *In Epiſt. ad Rom. pag. 347. Tom. 2. Geneb.*
(e) *Lib. 3. contr. Celſ.*
(f) *Tract. 35. in Matth. pag. 114. Tom. 2. Geneb.*
(g) *Hom. 7. in Luc. Tom. 2. pag. 138. Ed. Geneb.*
(h) *Hom. 20. in Num. Tom. 1. pag. 158. Geneb.*
(i) *Lib. 1. contr. Celſ.* (k) *Lib. 6. contr. Celſ.*
(l) *Lib. 7. contr. Celſ.*
(m) *In Joan. Tom. 2. Ed. Huet. pag. 324.*
(n) *Hom. 6. in Ex. pag. 4. Tom. 1. Geneb.*
(o) *Hom. in Joſue Tom. 1. pag. 192. Geneb.*
(p) *Lib. 4. contr. Celſ.*
(q) *Hom. 9. in Ezech. pag. 408. Tom. 1. Geneb.*
(r) *Hom. 12. in Levit. pag. 102. Tom. 1. Geneb.*
(s) *Hom. 23. in Num. pag. 164. Tom. 1. Geneb.*

non negligenda, *quoniam ex uno peccato generatur & aliud*; (*a*) & hæc *pœnitentiæ lacrymis* redimi, & culpa *ſemper reparari poteſt*. (*b*) At graviora peccata nonniſi *per pœnitentiam pleniſſimæ ſatisfactionis* peccator *in ſe abjicere valet*.

ORIGENES.

De Eccleſia.

(*c*) *Eccleſia ab initio humani generis, & ab ipſa conſtitutione Mundi* incepit. (*d*) Chriſtus, qui Synagogæ ſponſus erat, eam deſeruit, ut ſe Eccleſiæ conjungeret, cujus eſt anima, (*e*) *quoniam ſicut anima vivificat & movet corpus, quod ex ſe ipſo vivum motum non habet; ita Verbum mira energia corpus ſuum incitans ad ea, quæ debet facere, movet ſimul membra Eccleſiæ ſingula*. Ideo ad mentem Origenis Eccleſiam definire poſſumus, Corpus Chriſti myſticum per Dei Filium animatum, & fideles hujus Corporis membra. (*f*) *Extra Eccleſiam nemo ſalvatur*; & ideo hæretici, quamdiu in ſuo perſeverant errore, (*g*) *Regnum Dei poſſidere non poſſunt*; (*h*) malos tamen in ſuo ſinu complectitur Chriſtianos, etiam illos (*i*), qui licet fidem ex corde ſuo abjecerint, eam tamen exterius profitentur. In ſola vero Eccleſia reperitur poteſtas dimittendi peccata (*k*), quam *peccatorum remiſſionem fides hæretica non conſequitur*, (*l*) ſicut & *ſacrificia, quæ ab hæreticis, vel ſchiſmaticis offeruntur, prophana ſunt*. (*m*) Eccleſia *viſibilis* eſt, & *una*, licet per totum terrarum orbem a ſolis ortu uſque ad occaſum diffuſa.

De Eccleſiæ Ordinibus.

De Eccleſiaſtica loquens Hierarchia varios in ea Ordines agnoſcit, dicit enim (*n*), *Chriſtum eſſe Eccleſiæ caput; Sacerdotes autem poſſe dici oculos, Diaconos cæteroſque Miniſtros manus; & populum pedes eſſe Eccleſiæ*. Erant igitur Origenis ætate præter Epiſcopos, Sacerdotes & Diaconos, alii etiam Eccleſiæ Miniſtri. (*o*) Erant & Viduæ & Virgines inter Laicos peculiari honore dignatæ. In Epiſcopi ordinatione præter Dei electionem, (*p*) *requirebatur & præſentia populi, ut ſciant omnes, & certi ſint, quia, qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium*. Mirum propterea eſſe non debet, ſi adeo ſui temporis Epiſcopos laudibus extollat

(a) *Hom.* 15. *in Levit. pag.* 109. *Tom.* 1. *Geneb.*
(b) *Hom.* 12. *in Levit. pag.* 102. *Tom.* 1. *Geneb.*
(c) *Hom.* 2. *in Cant. pag.* 331. *Tom.* 1. *Geneb.*
(d) *In Matth. pag.* 357. *Huet.*
(e) *Cont. Celſ. lib.* 6. *Geneb. pag.* 499. *& ſeq.*
(f) *Hom.* 3. *in Joſue pag.* 183. *Tom.* 1. *Geneb.*
(g) *Apud Pamphyl. in Apolog. Tom.* 1. *Geneb. pag.* 481.
(h) *Hom. in Matth. pag.* 440. *Tom.* 1. *Huet.*
(i) *Hom.* 21. *in Joſue pag.* 203. *Tom.* 1. *Geneb.*
(k) *Hom.* 2. *in Levit. pag.* 72. *Tom.* 1. *Geneb.*
(l) *Ibid. pag.* 75. (m) *Cont. Celſ. lib.* 2.
(n) *Tract.* 5. *in Matth. pag.* 37. *Tom.* 2. *Geneb.*
(o) *In Ep. ad Rom. lib.* 8. *pag.* 388. *Ed. Geneb. Tom.* 2.
(p) *Hom.* 6. *in Levit. pag.* 82. *Tom.* 1. *Geneb.*

tollat Origenes in libris adverſus Celſum, & ſcribat (*a*), *Senatores Eccleſiaſticos* ſaltem *quoſdam dignos ubique gentium adminiſtrare divinitus conſtitutam Rempublicam . . . & Magiſtratus Eccleſiæ, etiam qui inter collegas paulo frigidius verſantur in officio, tamen in morum & virtutum ratione vulgaribus Senatoribus & Magiſtratibus præexcellere.* ORIGENES.

Admonet, ad Epiſcopatum aſſumptos (*b*) non ad principatum & dominatum vocatos, ſed ad ſervitium Eccleſiæ, quod ea animi modeſtia & humilitate præſtare debent, ut & præſtantibus æque ac recipientibus ſit utile. (*c*) Publice arguendos peccatores, ut cæteri in officio contineantur, & poteſtate tradendi illos Sathanæ raro admodum & parce utendum, nec peccatores ceu hoſtes reſpiciant, vel pœnis corporalibus puniant: (*d*) *Omnia enim crimina, quæ vindicari vult Deus, non per Antiſtites & Principes Eccleſiarum, ſed per Mundi Judices voluit vindicari.* (*e*) Ut ſe faciles præbeant, monet, exemplum Chriſti imitari, qui fœminas alloquebatur, pueris manus imponebat, & diſcipulorum pedes abluit.

De Sacramento Baptiſmi.

Qui (*f*) *idololatriæ tenebris relictis, ad divinæ legis audientiam accedebant, Catechumenorum aggregabantur numero.* In tres claſſes eos diſtribuit; prima (*g*) *recens admiſſorum*, quibus Eccleſiaſticis collectis intereſſe non concedebatur, ut eorum voluntas attentius exploraretur, & exorciſmis prius mundarentur; altera *nondum aſſecutorum luſtrationis ſymbolum*, quippe qui ad Baptiſmum nondum ſatis diſpoſiti; tertia eorum, qui *ubi videbantur eo profeciſſe, ut honeſtæ vitæ forent cupidi*, in Eccleſiaſticos cœtus introducebantur; ex his *aliquot ordinati erant, qui inquirerent in vitam & mores accedentium, ut non conceſſa facientes, candidatos religionis arceant a ſuis conventibus; cæteros horum diſſimiles excipiant ex animo, & quotidianis acceſſibus meliores faciant.* (*h*) Narrat, Catechumenos, immo & ipſos fideles tentatos aliquando *ire ad Idola*, unde eis dicebatur: *illum & illum hominem in illo Idolo Dæmon curavit ab illo languore, illud & illud divinavit.* (*i*) Catechumenos antequam ad *ſalutarem aquam* admitterent, hortabantur, ne *abſque cautela & diligenti circumſpectione ad Baptiſma accederent, ſed oſtenderent primum fructus dignos pœnitentiæ, & facerent aliquid temporis in converſatione bona, ac ſe mundos a cunctis ſordibus vitiiſque ſervarent.* (*k*) Poſt hæc autem *ad myſticum Baptiſ-*

(a) *Lib.* 3. *Ed. Geneb. Tom.* 2. *pag.* 450.
(b) *In Matth. pag.* 409. *Tom.* 2. *Huet.* (c) *Ibid. pag.* 422.
(d) *Lib.* 9. *in Epiſt. ad Rom. cap.* 14. *pag.* 398. *Edit. Geneb.*
(e) *In Matth. pag.* 421. *Tom.* 1. *Huet.*
(f) *In Matth. pag.* 421. *Ed. Huetii.*
(g) *Cont. Celſ. lib.* 3. *Edit. Geneb. pag.* 453. *& ſeq.*
(h) *Hom.* 7. *in Iſaiam pag.* 358. *Tom.* 1. *Geneb.*
(i) *Hom.* 21. *in Luc. Tom.* 2. *pag.* 147. *Ed. Geneb.*
(k) *Hom.* 4. *in Joſue pag.* 184. *Tom.* 1. *Ed. Geneb.*

ORIGENES.

Baptiſmi ſontem veniebant; & conſiſtente Sacerdotali, ac Levitico ordine initiabantur venerandis illis magnificiſque Sacramentis, quæ norunt illi, quibus noſſe fas eſt. Mos ſemper fuit Eccleſiæ baptizare (*a*) *in aquis viſibilibus, & in chriſmate viſibili*, (*b*) *ac in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* & ſubdit: *Cum non habeatur legitimum Baptiſma, niſi ſub nomine Trinitatis:* ac notat: *Apoſtolorum temporibus, non, ut nunc fieri videmus, typus tantummodo myſteriorum his, qui baptizabantur, ſed virtus eorum ac ratio tradebatur, & tamquam ſcientibus & edoctis; quia qui baptizantur, in morte Chriſti baptizantur, & conſepeliuntur ei per baptiſmum in mortem.... ut in novitate vitæ ambulare debeant.* Subdit: (*c*) *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſcepit etiam parvulis baptiſmum dare;* quod evincere dicit peccati originalis labem; unde & ſcribit: (*d*) *Cum Baptiſma Eccleſiæ in remiſſionem peccatorum detur, & ſecundum Eccleſiæ obſervantiam etiam parvulis Baptiſmus detur, ſi nihil eſſet in parvulis, quod ad remiſſionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia Baptiſmi ſuperflua videretur.* Obſervat, (*e*) *unumquemque fidelium, cum primum venit ad aquas Baptiſmi.... renuntiare Diabolo, & polliceri, non ſe uſurum pompis ejus, neque operibus ejus, neque ullis omnino ſervitiis ejus, nec voluptatibus pariturum.*

De Euchariſtia.

Origenis ævo firmiſſime credebant fideles (*f*) *cum precibus, & gratiarum actione.... panes Corpus jam per precationem factos ſanctum quoddam, & ſanctificans utentes eo; cum ſano propoſito* ſe comedere (*g*) & *ſumere veram Chriſti carnem, & bibere ejus ſanguinem, cujus manna typus fuit; hinc* (*h*) *qui divinis intererant myſteriis, ſuſcipiebant Corpus Domini cum omni cautela, &* cum ſumma *veneratione ſervabant, ne ex eo parum quid decideret, & ne conſecrati muneris aliquid dilaberetur, ac reos ſe credebant, & recte* credebant, *ſi quid inde per negligentiam decideret.* (*i*) *Paſcha celebrabant edendo carnem Verbi,* (*k*) *& tempore myſteriorum in Eccleſia oſcula ſibi invicem dabant fideles*, pacis ſymbola, & quæ caſta erant, & ſancta dicebantur, & veræ charitatis mutuæ pignora & argumenta. (*l*) Ut participes eſſe poſſent panis, cui benedicitur, *Sancti* eſſe debebant, ideſt ab omni ſpirituali infirmitate ſoluti, & abſque peccato. (*m*) Euchariſtiæ myſterium dicit *ſcien-*

(a) *Lib. 5. Ep. ad Rom. pag. 350. Tom. 2. Ed. Geneb.*
(b) *Ibid. pag. 351.* (c) *Ibid. pag. 353.*
(d) *Hom. 8. in Levit. Tom. 1. pag. 90. Ed. Geneb.*
(e) *Hom. 12. in Num. pag. 137. Tom. 1. Ed. Geneb.*
(f) *Lib. 8. cont. Celſ. Ed. Geneb. pag. 524.*
(g) *Hom. 7. in Num. Tom. 1. pag. 122. Ed. Geneb.*
(h) *Hom. 13. in Ex. Tom. 1. pag. 63. Ed. Geneb.*
(i) *Lib. 8. cont. Celſ. Ed. Geneb. pag. 522.*
(k) *Hom. 1. in Cant. Cant. pag. 316. Tom. 1. Geneb.*
(l) *In Matth. pag. 233. Tom. 1. Huet.*
(m) *Hom. 9. in Levit. pag. 98. Tom. 1. Geneb.*

ſcientibus notum eſſe, & ignorantibus patere non poſſe: infidelibus enim celabatur; (*a*) illud non uno in loco *adorabile & adorandum* appellat. ORIGENES.

(*b*) *Criminoſi, quorum peccata manifeſta erant*, de Eccleſia expellebantur, at quorum *peccatum evidens non erat*, de *Eccleſia* non *ejiciebantur*. (*c*) Publice peccatores etiam *ab oratione communi* excludebantur, & communio illis denegabatur etiam flagitantibus, ut ſuo exemplo alios a peccatis abſterrerent. (*d*) *Libidine contaminati ſæviore diſciplina* excipiebantur, & a fidelium communione longius arcebantur. Addit: (*e*) *Juxta mei quidem animi ſenſum multo nocentior eſt hæreticus bonæ vitæ.... eo, qui doctrinam converſatione maculat;... & licet mores compoſitos & ornatos habeat*, nihil tamen veræ virtutis in eo elucet, nec ipſum Martyrium in hæreticis laudabile, & eorum virtutes ſunt *decipula animæ*, quæ incautos fallunt. Non facile peccatoribus veniam dandam, eorum dolorem & triſtitiam eſſe oportere cum morum & vitæ emendandæ propoſito conjunctam (*f*), *nam* qui ſeipſos deflent *& lugent ob malefacta præterita, ac mox mutationem præſeferunt, quæ reſipiſcentes decet, Deus condonat errata præterita, eam oblivionem impetrante virtute, quæ in locum profligatorum ex anima vitiorum ſucceſſit*. Utilitatem Confeſſionis peccatorum (*g*), *quæ etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus*, oſtendit ex eo, quod quando *ipſi noſtri accuſatores ſumus, nequitiam Diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus*. Inter media ad delenda peccata enumerat *temporales pœnas* (*h*), quibus nos Deus affligit, (*i*) *Baptiſmum, Martyrium*, injuriarum condonationem, fraternam correctionem, charitatem, pœnitentiam laborioſam, ſacram unctionem, & manus impoſitionem per Presbyteros Eccleſiæ juxta S. Jacobi Apoſtoli monitum. Poteſtatem remittendi peccata Apoſtolis per illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, conceſſam confitetur, & addit, (*k*) *hanc poteſtatem Apoſtolis, & qui ſimiles Apoſtolis ſunt Sacerdotibus* convenire, *qui ſciunt quænam peccata in Deum, & quando & quomodo remittere & retinere debeant*; & ſubdit: *Omnes habemus poteſtatem remittendi peccata in nos admiſſa*. De Pœnitentia, & Extrema Unctione.

Ex Origene (*l*) *inanis dicitur omnis actus, & omnis ſermo, in quo* De Moralibus quibuſdam doctrinis.

(a) *Hom. 5. in Iſajam pag. 354. Tom. 1. Geneb.*
(b) *Hom. 21. in Joſue pag. 203. Tom. 1. Geneb.*
(c) *Tract. 35. in Matth. pag. 115. Tom. 2. Geneb.*
(d) *Hom. 12. in Jer. pag. 122. Tom. 1. Huetii.*
(e) *Hom. 7. in Ezech. pag. 405. Tom. 1. Geneb.*
(f) *Cont. Celſ. lib. 3. Ed. Geneb.*
(g) *Hom. 3. in Levit. pag. 70. Tom. 1. Ed. Geneb.*
(h) *Hom. 14. in Levit. pag. 108. Ed. Geneb.*
(i) *Hom. 2. in Levit. pag. 68. Ed. Geneb.*
(k) *De Orat. n. 28. Ed. De la Rue Tom. 1. pag. 255.*
(l) *Hom. 25. in Num. pag. 168. Tom. 1. Geneb.*

ORIGENES. *in quo non eſt intrinſecus aliquid pro Deo, vel pro mandato Dei, & de his omnibus* (*a*) *in die judicii reddenda eſt ratio*. Præceptis Decalogi ideo non ſtatutas *pœnas* dicit, quia Deus (*b*) *vult*, ut non *metu pœnæ, ſed amore pietatis patris præcepta cuſtodiamus*. At peccatoribus, & præcipue adulteris & homicidis manet mortis pœna, ut intelligamus, quod *ſi filii obedientes eſſe noluerimus, contemptores puniemur ut ſervi*. Subdit: (*c*) *Quando facimus mandatum Dei, & in conſcientia noſtra vanæ gloriæ ſordes reſpergimus, ut placeamus hominibus .... quamvis faciamus præceptum Dei, tamen illud abſque querela non facimus, & injuſte id, quod juſtum eſt, ſequimur. Deus non vult aliunde accipere dona, niſi a ſanctificatis Iſrael*, ideſt a fidelibus in eum credentibus. *Nam Gentilis etiamſi aliquid honeſtum habere videatur in moribus, hoc ipſo quod non Deo adſcribit animi virtutem, ſed jactantiæ ſuæ deputat, non eſt ſanctificata hujuſmodi probitas*. (*d*) *Opera autem bona, quæ fiunt ab infidelibus, in hoc ſæculo eis proſunt* (ad bona temporalia ſcilicet obtinenda) *non & in illo ad conſequendam vitam æternam*. (*e*) *Deum diligere nullus modus, nulla menſura eſt, niſi hæc ſola, ut ei totum exhibeas quantum habes .... Diligere vero proximum eſt menſura aliqua*, nam pro proximorum *meritis & honore, etiam dilectionis librari debet modus*. (*f*) Auctoritate D. Pauli probat Origenes, juſtos poſſe a juſtitia excidere, ſcribens, *quod poſſit interdum divinus ignis extingui etiam in Sanctis & fidelibus. Audi Apoſtolum .... dicentem, Spiritum nolite extinguere*.

Hiſtorica Geſta. Ex Origene didicimus, quod ſuo ævo (*g*) *oſtendebatur apud Bethlehem ſpelunca, ubi natus eſt* Chriſtus, *& in ea ſpelunca, præſepe, ubi faſciis obvolutus eſt*. S. Petrum, Nerone imperante, Romæ crucifixum capite deorſum, & pedibus ſurſum poſitis, & D. Paulum ibidem capite fuiſſe obtruncatum. (*h*) Ex traditione veniſſe dicit, *corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum, ubi crucifixus eſt Chriſtus*, (*i*) & primum hominem *ſexta hora creatum*, propter quod *conveniebat, Chriſtum pro ſalute ejuſdem hominis morientem, in ipſa hora ſexta ſuſpendi*. (*k*) Poſt mortem S. Joannis Baptiſtæ Judæos poteſtate ſpoliatos ſententiam mortis in criminoſos pronunciandi. (*l*) Diſcipulos in caſtellum Emmaus euntes *Simonem* & *Cleo-*

(a) *Hom. 1. in Pſal. 38. pag. 297. Tom. 1. Geneb.*
(b) *Hom. 11. in Levit. pag. 100. Ed. Geneb.*
(c) *Hom. 2. in Lucam pag. 135. Tom. 2. Geneb.*
(d) *Tract. 35. in Matth. pag. 110. Tom. 2. Geneb.*
(e) *Hom. 3. in Cant. pag. 337. Geneb.*
(f) *Hom. 25. in Gen. pag. 28. Tom. 1. Geneb.*
(g) *Lib. 1. cont. Celſ. Ed. Geneb. Tom. 2. pag. 425.*
(h) *Tract. 35. in Matth. pag. 126. Tom. 2. Geneb.*
(i) *Ibid. pag. 128.*
(k) *In Matth. pag. 229. Tom. 1. Huetii.*
(l) *In Joann. pag. 7. Tom. 2. Huet.*

& *Cleopham* nominat. (*a*) *Eo menſe* (ſcribit) *qui apud Romanos Januarius nuncupatur, Baptiſmum Domini factum eſſe agnoſcimus*, cum triginta eſſet annorum. (*b*) *Quartadecima Luna* ultimum Paſcha comediſſe. (*c*) *Remiſſionem peccatorum, & beneficium reſurrectionis Adamum conſecutum* dicit. (*d*) *Lingua per Adam primitus data, ut putamus, hebræa* fuit. (*e*) *Hebræos ſuam*, narrat, *patriam linguam habuiſſe, priuſquam in Ægyptum deſcenderent, & hebraicas litteras ab Ægyptianis diverſas fuiſſe, quibus Moyſes uſus ſcripſit quinque illos codices ſacros apud Judæos habitos.* (*f*) *Mulier habens alabaſtrum unguenti nardi piſtici pretioſi non illa peccatrix, ſed ſancta.* Non *quatuor fuiſſe* mulieres Mariæ nomine vocatas in Evangelio, ſed *ſolum tres*. (*g*) Judæos Romanis obſtitiſſe, ne Cæſaris ſtatuam in Templo collocarent. (*h*) *Incantatorum Ægyptiorum potentia non erat ſimilis mirificæ Moyſis gratiæ; ſed hanc divinitus acceptam exitus declaravit, illam vero fuiſſe meras præſtigias.* (*i*) In Judæa aliquando etiam ante feſtum Paſchæ meſſem colligi obſervat, adeo ut azymi panes ex novo tritico efformarentur. (*k*) Narrat ævo ſuo *miraculorum patrandorum vim ac poteſtatem penes Chriſtianos fuiſſe.* (*l*) Alexandriæ *paucos* fuiſſe Chriſtianos numero collatos cum Gentilibus & Judæis eamdem urbem incolentibus.

ORIGENES.

ARTICULUS QUARTUS.

Aſcetica Vitæ Spiritualis Documenta ex Origene.

I. UT in quibuſdam corporis membris, ſi malum ad intima penetraverit, medicamentis quibuſdam ad extimam ſuperficiem materiam attrahit medicus, moleſtiſſimas inflammationes & dolores plures iis, quos, antequam curaretur, ſuſtinebat, afferens; ſic Deum arbitror occultam malitiam, quæ ad intimam animam penetravit, tractare.... Abditam pravitatem foras extrahit, ut aperta fiat, ut congruentem curationem adhibeat. (*Comment. in Exod.*)

Spirituales morbos Deus nos ſentire concedit, ut eorum ſanationem quæramus, & curemus.

II. *Quia*

(a) *Hom. 1. in Ezech. pag. 390. Tom. 1. Geneb.*
(b) *Tract. 35. in Matth. pag. 108. Tom. 2. Geneb.*
(c) *Ibid. pag. 126.*
(d) *Hom. 11. in Num. pag. 132. Tom. 1. Geneb.*
(e) *Cont. Celſ. lib. 3. Ed. Geneb. pag. 446.*
(f) *Tract. 35. in Matth. pag. 109. Tom. 2. Geneb.*
(g) *In Matth. pag. 481. Tom. 1. Huetii.*
(h) *Cont. Celſ. lib. 3.*
(i) *In Jo. pag. 230. Tom. 2. Huetii.*
(k) *Lib. 1. cont. Celſ. in initio.*
(l) *Hom. 1. Pſal. in 36. pag. 276. Tom. 1. Geneb.*

Origenes.

Tunc Deus maxime iraſcitur, cum non punit peccatores.

II. *Quia expurgavi te, & non es purgatus, non iraſcar tibi amplius, neque æmulabor propter te amplius.* Ergo quibus non iraſcitur peccantibus, ut ita dicam, bile incenſus non iraſcitur. (*Ibidem.*)

Benefacit nobis Deus puniendo in hac vita.

III. Exiſtimamus, & dolorem & laborem & caſtigationem, quæ a Deo inferuntur, iis ſemper conducere, qui patiuntur; & graviſſima, quæ Deo tribui putantur nomina, furor & ira, arguere & erudire dicuntur, ut hic; *Domine ne in furore tuo argueris me, neque in ira tua erudieris me.* (*Ibidem.*)

Prius evellenda mala, poſtea ferenda bona.

IV. *Poſui te ut diſpergas, & diſſipes, & ædifices & plantes.* Primum eſt ut mala auferantur a nobis; non poteſt in loco ædificationis malæ ædificare Deus. (*Hom. 1. in Jerem.*)

Utilis nobis & Dei benignitas & ſeveritas.

V. Si Deus benignus eſſet tantummodo, bonitatem ejus contemneremus: ſi ſeverus tantummodo, deſperatio ſalutis nos propter peccata, quæ fecimus, præcipitaret in vitia. (*Hom. 4. Jerem.*)

Per bona opera, & per ſanctas cogitationes Filii Dei noſcimur.

VI. *Omnis qui peccatum facit ex Zabulo natus eſt.* Toties ex Zabulo naſcimur, quoties peccamus.... Neque ſemel dicam juſtum ex Deo natum, ſed per ſingula virtutis opera ſemper juſtus ex Deo naſcitur.... Si enim ſemper ex Patre naſcitur Dominus, etiam tu in ſimilitudinem ejus, tantum adoptionis ſcriptum habens, ſemper generaris a Deo per ſingulos intellectus, per ſingula opera, & efficeris Filius Dei in Chriſto Jeſu. (*Hom. 9. in Jerem.*)

A Majoribus majorem Deus poſtulabit rationem.

VII. *Potentes potenter tormenta patientur.* Plus a me exigitur quam a Diacono; plus a Diacono quam a Laico. Qui vero totius Eccleſiæ arcem obtinet, pro omni Eccleſia reddet rationem. (*Hom. 11. in Jerem.*)

Inutiliter ſe peccatum exuiſſe putet, qui a peccandi occaſione non recedit.

VIII. *Ne reſpexeris retro, & ne ſteteris in tota regione....* Dimiſiſti Sodomam, ne revertaris in Sodomam. Dimiſiſti vitia atque peccata, ne regrediaris ad ea.... *Ne reſpexeris retro:* non ſufficit ad ſalutem, niſi & conſequens obſervaveris, *ne ſteteris in tota regione:* non enim expedit incipienti proficere ut ſtet in regionibus Sodomorum, ſed expedit *ut ſalveris in monte*, in quo ſalus eſt, ideſt nomine Jeſu Chriſti. (*Hom. 13. in Jerem.*)

Qui a Deo poſtulat partem habere cum Sanctis, poſtulat & pati cum illis.

IX. In oratione dicimus: *Deus omnipotens, da nobis partem cum Prophetis, da cum Apoſtolis Chriſti tui.* Hæc loquentes, non ſentimus quod petimus: re enim hoc dicimus; fac nos ſic odio haberi, ut odio habiti ſunt Prophetæ; & da nobis verba talia, ſuper quæ perſecutionem patiamur: da in iſtas incidere calamitates, quas Apoſtoli ſuſtinuerunt. Dicere quippe: *da mihi partem cum Prophetis & Apoſtolis*, nolentem pati id, quod Prophetæ & Apoſtoli, injuſtiſſimum eſt. (*Hom. 14. in Jerem.*)

Deus non deſerit niſi deſerentes.

X. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Non deficiunt igitur de petra ubera, ſed illi dereliquerunt fontem aquæ vivæ, non autem fons aquæ vivæ deſeruit ipſos. Etenim a nemine Deus elongat ſemetipſum, ſed qui *elongant* ſemetipſos ab eo, *pereunt*. (*Hom. 18. in Jer.*)

Nemo poteſt Deum ſimul & Mundum diligere.

XI. Fieri nequit, ut ſimul exiſtat amor erga Mundum cum amore erga Deum. (*Comment. in Joan. Tom. 19.*)

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

S. CYPRIANUS

Eccleſiæ Doctor, Epiſcopus Carthaginenſis, & Martyr.

ARTICULUS PRIMUS.

Vitæ S. Cypriani Breviarium.

S. CYPRIANUS, qui & *Thaſcius* in Actis Paſſionis ſuæ appellatur, Carthagine in Africa natalem ſortitus eſt; at quo anno, quibuſve parentibus, ignoratur. Illud dumtaxat noviſſe datum eſt, illuſtri genere, & ex primoribus inter Carthaginenſes Senatores prognatum. Magno in pretio a concivibus ſuis habitus fuit, & cum divitiis abundaret, clientum, & amicorum turbam attraxit illi indivulſe adhærentium, ut illi honorem exhiberent, & ſimul ſibi conciliarent tanti viri neceſſitudine exiſtimationem. Politioribus litteris operam ſtudioſe navavit, & in philoſophicis mire profecit, & cæterarum quoque ſcientiarum copioſam ſibi ſupellectilem comparavit, ſed præcipue in tantam gloriam venit eloquentiæ, ut Oratoriam quoque publice ſummo omnium plauſu, & laude Carthagine docuerit. Ex modo, quo Scripturæ allegat teſtimonia, græcas quoque litteras non ignoraſſe luculenter apparet.

S. CYPRIAN. Quis fuerit ante converſionem.

Deus, Cyprianum ex Gentilitatis tenebris ad lucem Evangelicæ veritatis vocaturus, miniſterio uſus eſt Cæcilii *viri juſti, & laudabilis memoriæ*, & ætate tunc, & honore Presbyteri (*a*), qui, ut phraſi utar S. Hieronymi (*b*), fuit alter Jonas, qui hunc Ninive Regem *ad pœnitentiam adduxit, & ex ſolio ſuperbiæ ſuæ deſcendere compulit*, atque humilitatem & chriſtianam amplecti ſimplicitatem adegit. Hunc Cyprianus grato animo ſemper *toto honore, atque omni obſervantia* poſtmodum dilexit *obſequenti veneratione ſuſpiciens, non jam ut amicum animæ coæqualem, ſed tanquam novæ vitæ parentem*. Carthagine Baptiſmum S. Cyprianus ſuſcepit, ut creditur, circa annum Chriſti 246. Philippi vero Imperatoris tertio.

Cypriani converſio; morum mutatio per Baptiſmum anno 246. ſuſceptum.

(a) *Pontius in Vita S. Cypriani n. 4. Edit. Venetæ* 1728.
(b) *In cap. 3. Jonæ.*

Continentiam amplectitur. Bona pauperibus diſtribuit. Quæ ſtudia.

Quanta Cypriani converſio lætitia, & gaudio Chriſtianos affecit, tanto mœrore Gentiles implevit, qui irriſionis cauſa impoſterum illum non Cyprianum, ſed Coprianum, quod græce *fimum* ſignificat, compellarunt. Baptiſmi ſuſcepti gratia ſacrarum litterarum lectioni, ac ſtudio totum ſe dedit, non Neophytorum adhuc in fide recentium limites ſervans, ſed ardore fidei, & ſtudii ſui fervore prætergrediens. Laudibus, quibus continentiam, & caſtitatem extollunt Sacræ Scripturæ oracula, permotus (*a*) *nihil magis credidit* Deo dignum, quam ſi *continentiam tueretur*, *& ſi concupiſcentiam carnis robuſto*, *atque integro ſanctimoniæ vigore calcaret*. Matrimonio itaque abrenuntiavit. Præterea ſemper ad altiora anhelans *omnia ſua & bona*, *& prædia ad indigentiam pauperum ſuſtentandam diſtraxit*, ne ſuburbano quidem, & amœno ſibi reſervato hortulo, quem venditum voluit, ejuſque pretium egenis diſtribuit; divitias vero ſemper aſpernatus eſt, & ambitionem ſæculi invicem calcavit, ſuumque corpus aſperiori mortificatione ſubegit.

Primum Presbyter, dein Epiſcopus creatur.

Virtutum ſuarum fragrantia per totam Carthaginenſem Eccleſiam late diffuſa in cauſa fuit, ut Apoſtoli monitum, ne Neophyti ad Sacerdotium eveherentur, minime obſervaretur, ſed paulo poſt ejus Baptiſmum ad Presbyterii gradum, deinde *judicio Dei*, *& plebis favore* ad Epiſcopatum eveheretur: mortuo enim Donato Epiſcopo Carthaginenſi, Cyprianus anno 248. ſufficitur. Verum elapſis duobus annis Eccleſiam ſuam deſerere coactus eſt, ingruente Decii perſecutione. A ſui ſeceſſus loco plures piis, & ſaluberrimis refertas doctrinis plebi, & Clero dedit epiſtolas. Ad ſuam reverſus Eccleſiam, Concilia coegit, quibus plura ſtatuit de pœnitentiæ ſtadio ab iis, qui in perſecutione lapſi fuerant, decurrendo, priuſquam ad pacem, & Eccleſiæ communionem reciperentur, & alios ad diſciplinam ſpectantes canones conſtituit. Feliciſſimum Presbyterum, & Privatum hæreticum, qui eo ipſo abſente Carthaginenſem Eccleſiam turbaverant, damnavit. S. Cornelio Papæ in Romanum Pontificem electo favit, ejuſque electionem cum ſuis in Epiſcopatu Collegis adverſus Novati, & Novatiani (1) ſchiſma tutatus eſt.

Varia ſui Epiſcopatus geſta, & eventus.

(a) *Pont. in vita S. Cypriani.*

(1) Novatus Presbyter fuit Africanus, *qui*, ut ſcribit S. Cyprianus, *in Africa primum diſcordiæ, & ſchiſmatis incendium ſeminaverat*. Romam venit, ubi Novatiano adhæſit Romano Presbytero, quem in Pſeudopontificem adverſus Cornelium eligi curavit anno 252. Novatus, & Novatianus acriter propugnabant, ad Eccleſiæ communionem illos non eſſe recipiendos, qui perſecutionis tempore in idololatriam lapſi eſſent. Schiſma itaque conflarunt, & ſectam conſtituerunt. Eorum diſcipuli poſtmodum rigorem hunc ſervandum dixerunt cum illis omnibus, qui in crimina lapſi fuerant publica pœnitentia punienda. Eccleſiæ ligandi, atque ſolvendi negarunt poteſtatem, ſecundas nuptias reprobarunt, eoſque omnes iterum baptizabant, qui in Eccleſia Catholica baptiſmum receperant. Plures Orientis Epiſcopi ſeveram Novatiani diſciplinam approbarunt, verum paulo poſt reſipuerunt, & communem Eccleſiæ doctrinam ſunt ſecuti.

eſt. Aliud celebravit Concilium anno 252. in quo nonnulla edidit Decreta Victorem Presbyterum, & Baptiſmum infantium reſpicientia. Anno inſequenti defuncto Lucio Romano Pontifice, ejus loco Stephanus ſuffectus eſt. In hujus Pontificatu magna illa exorta eſt diſputatio, & celebris de valore Baptiſmatis ab Hæreticis dati. Cyprianus, pluresque alii Africanarum Eccleſiarum Epiſcopi rebaptizandos arbitrabantur, qui ab Hæreticis Baptiſmi lavacrum acceperant. Contra Stephanus, Romanæ Eccleſiæ traditionem ſecutus, totis viribus obſiſtebat, validum eſſe docens Baptiſmum in nomine Trinitatis in quacunque hæreſi collatum. Plura hac de cauſa utrimque habita Concilia; verum ſequenti ſæculo tota Catholica Eccleſia Cornelii ſententiam amplexata eſt. Deinde S. Cyprianus, jubente Proconſule, exul in urbem Curubitanam ſexdecim leucis a Carthagine diſſitam anno 257. furente Valeriani perſecutione, deportatus eſt; verum undecim poſt menſes illi conceſſum fuit, ut in hortis Carthagini proximis commoraretur, donec tandem Proconſulis Galerii Maximini juſſu comprehenſus, & ad ejus Tribunal advectus fuit. Interrogatus quomodo vocaretur, & num Chriſtianorum eſſet Epiſcopus, juſſus eſt idolis ſacrificare: at Cyprianus reſpondit: *Non facio*. Iterum Proconſul, ut ſibi conſuleret, hortatus, ejuſque conſtantiam, & in fide firmitatem proſpiciens, colloquutus cum concilio, ſententiam dixit in hæc verba: *Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet*; & Cyprianus dixit, *Deo gratias*. Poſt hanc ſententiam, turba fratrum dicebat: *Et nos cum ipſo decollemur*, & propter hoc tumultus fratrum exortus eſt. Cyprianus ad locum martyrii interim ductus eſt, ibique ſuperiorem exuit tunicam, ſupra quam plicatam genuflexit, deinde dalmatica ſe expoliavit, quam Diaconis tradidit, & in linea ſtetit Carnificis præſtolatus adventum, cui triginta quinque aureos dandos juſſit: poſtea manu ſua oculos ſibi texit; at cum lacinias manuales ligare ſibi non potuiſſet, Julianus Presbyter, & Julianus Subdiaconus ei ligaverunt; linteamina autem, & manualia a fratribus ante eum mittebantur, queis ejus ſanguinem colligerent. Ita capite obtruncato Beatus Cyprianus paſſus eſt, Tuſco & Baſſo conſulibus anno 258. eadem die, qua præcedenti anno de ſuo obitu revelationem acceperat. Ejus corpus propter Gentilium curioſitatem in proximo poſitum eſt, inde per noctem ſublatum cum cereis, & facibus ad areas Macrobii Candidiani procuratoris cum voto, & triumpho magno deductum eſt.

S. Cyprian.

A Proconſule interrogatur.

Acta Martyrii S. Cypriani.

Ex libris S. Cypriani extant epiſtolæ una ſupra octoginta, aliique tractatus. Ejus Operum inſigniores melioreſque editiones ſunt Pameliana anno 1568. Rigaultii anni 1648. Oxonienſis 1682. & Baluzii, cui præfationem addidit D. Prudens Maran Benedictinus (1). Omnia S. Cypriani Opera ſolidis doctrinis, & momentoſis documentis diſciplinam ſpectantibus referta ſunt. Inter Sanctos Patres elegantiſſime ſcripſit, ſty-

Ejus libri, & Editiones.

(1) Iterum Venetiis recuſa prodiit anno 1728.

S. CYPRIAN. ſtylus gravis, ſublimis, eloquens, & chriſtianæ doctrinæ dignitati reſpondens. S. Cyprianus, Lactantio judice, inter diſertos Patres primatum tenet; præcipue tamen celebrantur Tractatus de lapſis, de unitate Eccleſiæ, de operibus miſericordiæ, & eleemoſyna. Omnia S. Cypriani Opera in Gallicum ſermonem tranſtulit Dominus Lombert. Ejus vitam conſcripſere Pontius Diaconus (1), & Dominus Gervaſius Abbas Trapenſis.

S. Cypriani Opera italice verſa hæc habentur. I. *Liber* ſeu *Sermo de Mortalitate* ſine anno, loco, & Typographi nomine. Extat in Bibliotheca Zeniana O. PP. Habetur & in Rethorica Jaſonis de Nores, & typis impreſſus Patavii 1577. II. *Sermonem* ſeu *Librum de Eleemoſyna* Italiæ donavit Annibal Caro, impreſſum apud Aldum 1569. cum duabus Orationibus S. Gregorii Nazianzeni pariter italice verſis. III. Tractatus *adverſus fœminarum luxum* excerptus ex Libro *de diſciplina, & habitu virginum* italice redditus fuit, & typis impreſſus Romæ ex Typographia R. C. A. anno 1684. IV. *Tractatum de duplici Martyrio* inter S. Cypriani Opera apocrypha, italice vertit D. Raphael Monachus Florentinus, additis *Vita & Paſſione* ejuſdem S. Epiſcopi & Martyris Florentiæ 1567. *Ex Argelato & Paitono.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Synopſis præcipuorum S. Cypriani Operum.

De Unitate Eccleſiæ Tractatus conſcriptus ann. 257.

CONSCRIPTUM a S. Cypriano de Unitate Eccleſiæ Tractatum anno 257. conſentiunt eruditi omnes. Ut cognovit Roma reverſos Confeſſores illos, qui Novatianorum ſchiſma amplexi fuerant, Tractatum ſuum de Unitate Eccleſiæ illis obtulit S. Cyprianus, quem libentiſſime excepturos non dubitavit, quippe qui in ipſo traditam doctrinam jam approbaverant exemplo ſuo, ad unitatem Eccleſiæ redeundo. Licet in hocce Tractatu præcipue Novatianum, & Feliciſſimum, qui Eccleſiam ſuam diro ſchiſmate turbaverant, præcipue inſectetur, tela tamen ſuppeditat adverſus cujuſcumque ſchiſmatis auctores.

Analyſis hujus tractatus juxta Ed. Venet. 1758.

Primo loco fideles admonet, ut a chriſtiana ſimplicitate minime prudentiam diſſocient; nec enim ea ſolum (*a*) *perſecutio metuenda, quæ ſubruendis, ac dejiciendis Dei ſervis aperta impugnatione graſſatur,.... ſed plus metuendus, & cavendus inimicus, cum laten-*

(1) Pontius Diaconus fuit S. Cypriani, eique in exilio, & uſque ad mortem, cujus teſtis oculatus fuit, indivulſe adhæſit. Ejus vitam rogantibus fidelibus ſcripſit.

(*a*) *Pag.* 458. *Ed. Ven.*

latenter obrepit, *cum pacis imagine fallens occultis acceſſibus ſerpit*, ut contingere ſolet in hæreſi, & ſchiſmate, in quæ aliquando ſenſim fine ſenſu pertrahuntur fideles, ac ab Eccleſiæ per novos errores unitate ſeparantur. „ (*a*) Hoc autem fit (ſcribit S. Cy- S. CYPRIAN.
„ prianus) dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæ-
„ ritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſervatur. Quæ ſi quis conſi-
„ deret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non
„ eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur
„ Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus*, *&*
„ *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, *& portæ infero-*
„ *rum non vincent eam &c....* Super illum unum ædificat Eccle-
„ ſiam ſuam:.... & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectio-
„ nem ſuam parem poteſtatem tribuat,... tamen ut unitatem mani-
„ feſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua aucto-
„ ritate diſpoſuit;.... & primatus Petro datur, ut una Chriſti
„ Eccleſia, & cathedra una monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes,
„ & grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi con-
„ ſenſione paſcatur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur". Ad hanc confirmandam unitatem (*b*) allegat Cyprianus Canticorum textum, ubi dicitur: *Una eſt columba mea*, figura Eccleſiæ Chriſti Sponſæ; & illum ex D. Pauli epiſtola ad Epheſios, in quo Sacramentum unitatis oſtendit dicens: *Unum corpus*, *& unus ſpiritus*, *una ſpes vocationis veſtræ*, *unus Dominus*, *una fides*, *unum baptiſma*, *unus Deus*. Poſtea ſubdit: „ Epiſcopatus unus eſt, cujus a
„ ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque una eſt, quæ
„ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quo-
„ modo ſolis multi radii, ſed lumen unum; & rami arboris mul-
„ ti, ſed robur unum tenaci radice fundatum; & cum de fonte
„ uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur ex-
„ undantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avel-
„ le radium ſolis a corpore, diviſionem lucis unitas non capit....
„ Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios
„ ſuos porrigit. Unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur,
„ nec unitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in univerſam terram
„ copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit:
„ unum tamen caput eſt, & origo una, & una mater fœcundita-
„ tis ſucceſſibus copioſa.... Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adul-
„ teræ jungitur, a promiſſis Eccleſiæ ſeparatur, nec perveniet ad
„ Chriſti præmia.... Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt.
„ Habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non ha-
„ bet Matrem. Si potuit evadere quiſquam, qui extra Arcam Noe
„ fuit, & qui extra Eccleſiam fuerit, evadit".

Plures deinde affert D. Cyprianus tum Veteris, tum Novi Teſtamenti figuras, quibus Eccleſiæ unitas deſignatur. Inconſutilis tunica Chriſti *non dividitur omnino*, *nec ſcinditur .... ſed integra*

(a) *Pag. 461.* (b) *Pag. 464.*

S. CYPRIAN. *veſtis accipitur*, *& incorrupta*, *atque indiviſa tunica poſſidetur*, unde *poſſidere* non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit, & dividit Eccleſiam Chriſti. (*a*) Domus Rahab, in qua ſoli habitantes in everſione Hierichuntina ſalvabantur; Agnus Paſchalis, *qui in domo una* edebatur; columba, in qua venit Spiritus Sanctus, quæ *ſimplex animal & lætum*, *non felle amarum*, *non morſibus ſævum;* hæc omnia figura erant Eccleſiæ, *in qua noſcenda ſimplicitas*, *hæc caritas obtinenda*, *ut columbas dilectio fraternitatis imitetur*, *ut manſuetudo*, *& lenitas agnis*, *& ovibus æquetur*. Dein ſubdit: „ (*b*) Nemo exiſtimet, bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. „ Triticum non rapit ventus .... inanes paleæ tempeſtate jactantur.... Hinc hæreſes & factæ ſunt frequenter, & fiunt.... ut „ probentur fideles, & perfidi detegantur, & ante Judicii diem „ hic quoque jam juſtorum, atque injuſtorum animæ dividantur, „ & a frumento paleæ ſeparentur “.

Deinde adverſus Novatianum inſurgens ejus ſchiſmaticam ordinationem vituperat, in qua omnes Eccleſiaſticæ diſciplinæ leges violatas dicit, & Baptiſma ab ipſo datum (*c*) *non Deo*, *ſed Diabolo filios generare* aſſerit, nam *per mendacium nati veritatis promiſſa non capiunt*. Et quia Novatianus ſe tueri poterat dicto Chriſti Domini: *Ubi fuerint duo*, *vel tres congregati in nomine meo*, *ego cum eis ſum;* ſic verba illa interpretatur S. Cyprianus, dicens primo, *non multitudini*, *ſed unanimitati deprecantium plurimum tribui*. *Si duobus*, inquit, *ex vobis convenerit in terra*, *unanimitatem prius poſuit*, *concordiam pacis ante præmiſit*, *ut conveniat nobis*, *fideliter*, *& firmiter docuit*. Secundo, Dominum illis verbis (*d*) *de Eccleſia ſua locutum*, *& ad eos*, *qui ſunt in Eccleſia.... cum ſimplicibus ſcilicet*, *atque pacatis*, *cum Deum timentibus*, *atque Dei præcepta ſervantibus*. *Quomodo autem poteſt ei cum aliquo convenire*, *cui cum corpore ipſius Eccleſiæ*, *& cum univerſa fraternitate non convenit? Quomodo poſſunt duo*, *vel tres in nomine Chriſti colligi*, *quos conſtat a Chriſto*, *& ab ejus Evangelio ſeparari? Neque enim pacem apud Deum habere poſſunt*, *qui cum fratre pacem per zeli diſcordiam non habent... An ſecum eſſe Chriſtum cum collecti fuerint*, *opinantur*, *qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur?* (*e*) *Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis fuerint*, *macula iſta nec ſanguine abluitur*. *Inexpiabilis*, *& gravis culpa diſcordiæ nec paſſione purgatur; eſſe Martyr non poteſt*, *qui in Eccleſia non eſt*. *Ad Regnum pervenire non poterit*, *qui eam*, *quæ regnatura eſt*, *derelinquit*.... (*f*) *Exhibere ſe non poteſt Martyrem*, *qui fraternam non tenuit caritatem.... Ardeant licet flammis*, *& ignibus traditi*, *vel objecti beſtiis animas ſuas ponant*, *non erit illa fidei corona*, *ſed pœna perfidiæ*, *nec religioſæ virtutis exitus glorioſus*, *ſed deſperationis interitus*. *Occidi talis poteſt*, *coronari*

(a) *Pag.* 468. 469. (b) *Pag.* 470. (c) *Pag.* 471.
(d) *Pag.* 472. (e) *Pag.* 473. (f) *Pag.* 475.

nari non poteſt. Hujus autem rationem reddit, quia Schiſmatici *Dei præceptis & monitis* non obtemperant, quæ in caritate includuntur, & Regnum Dei conſequi non valent, qui Dei legem non cuſtodiunt. Deinde Novatianum aſſimilat Chore, Dathan, & Abiron, (*a*) *qui ſibi contra Moyſen, & Aaron Sacerdotem ſacrificandi licentiam vindicare conati ſunt....* & Oziæ Regi, qui *thuribulum ferens .... lepræ varietate in fronte maculatus eſt, quia violenter ſacrificium ſibi aſſumpſit; & filiis Aaron, qui impoſuerunt altari ignem alienum.... & in conſpectu ſtatim Domini vindicantis extincti ſunt.... Pejus hoc crimen eſt, quam quod admiſiſſe lapſi videntur.*

S. Cyprian.

Poſt pauca animadvertit S. Cyprianus, mirandum non eſſe, *etiam de Confeſſoribus quoſdam ad iſta procedere.... neque enim confeſſio immunem facit ab inſidiis Diaboli ....* „ Cæterum nunquam in „ Confeſſoribus fraudes, & ſtupra, & adulteria poſtmodum videre- „ mus, quæ nunc in quibuſdam videntes ingemiſcimus, & dole- „ mus. Quiſquis ille Confeſſor eſt, Salomone major, aut melior, „ aut carior Deo non eſt, qui tamen quamdiu in viis Domini „ ambulavit, tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat conſecu- „ tus, obtinuit; poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & „ gratiam Domini... Confeſſio exordium gloriæ, non meritum jam „ coronæ .... nam *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus* „ *erit*.... Et Judam inter Apoſtolos Dominus elegit, & tamen „ Dominum Judas poſtmodum prodidit. Non tamen idcirco Apo- „ ſtolorum fides, & firmitas cecidit, quia proditor Judas ab eorum „ ſocietate defecit “. Denique totam tractationem claudit hortando fideles, ut *recedant a delinquentibus, immo fugiant, & Apoſtolorum unanimitatem imitentur*, & eorum, qui Apoſtolorum prædicatione converſi *anima & mente unum agebant*. Poſtea ſubdit: „ In nobis vero ſic unanimitas diminuta eſt, ut & largitas opera- „ tionis infracta eſt. Domos tunc, & fundos venumdabant, & the- „ ſauros ſibi in Cælo reponentes, diſtribuenda in uſus indigentium „ pretia Apoſtolis offerebant. At nunc de patrimonio nec deci- „ mas damus, & cum vendere jubeat Dominus, emimus potius, & „ augemus “.

Tractatus de Lapſis ſcriptus circa annum 251.

Ceſſante penitus perſecutione Africana circa feſtum Paſchæ anni 251. S. Cyprianus Carthaginem reverſus eſt, & Concilium coegit, ut de Lapſis opportuna conderentur decreta, & Tractatum hac de re compoſuit, quem in Concilio recitavit, & poſtea Romam miſit ad Confeſſores, qui Novatiano Schiſmati adhæſerant, ut ſcirent ſe lapſos acriter arguere, & tamen ſaluti opportuna remedia non omittere.

Synopſis hujuſce Tractatus.

Primo itaque loco oſtendit, quod ſi „ (*b*) cladis cauſa cognoſci- „ tur, & medela vulneris invenitur, Dominus probare familiam „ ſuam voluit; & quia traditam nobis divinitus diſciplinam pax

M 4 longa

(a) *Pag.* 476. (b) *Pag.* 433.

S. CYPRIAN. „ longa corruperat, jacentem fidem .... cenſura cæleſtis erexit; & „ cum peccatis noſtris amplius mereremur, Dominus ſic cuncta „ moderatus eſt,... ut exploratio potius, quam perſecutio videre- „ tur.... Nam non in Sacerdotibus religio devota, non in mini- „ ſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus „ diſciplina.... Quid non perpeti tales pro peccatis ejuſmodi me- „ reremur?... (*a*) & tamen ad prima ſtatim verba minantis ini- „ mici maximus fratrum numerus fidem ſuam prodidit, nec pro- „ ſtratus eſt perſecutionis impetu, ſed voluntario lapſu ſe ipſum „ proſtravit.... (*b*) Non expectaverunt ſaltem, ut aſcenderent „ apprehenſi, ut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, ſi- „ ne congreſſione proſtrati, nec hoc ſibi reliquerunt, ut ſacrificare „ Idolis viderentur inviti.... Infantes quoque parentum manibus „ vel impoſiti vel attracti, amiſerunt parvuli, quod in primo ſta- „ tim nativitatis exordio fuerant conſecuti ". Contra hos imbecil- les præcipue inſurgit in hocce Tractatu S. Epiſcopus, & teſtimo- niis Sacræ Scripturæ illis oſtendit, (*c*) *relinquendam potius pa- triam, & patrimonii faciendam jacturam, quam immundum tan- gere, & feralibus cibis pollui.... Poteſt excuſationem doloris ob- tendere, qui victus eſt in dolore,... ſed quæ vulnera oſtendere vi- cti poſſunt,... ubi non fides congreſſa cecidit, ſed congreſſionem perfidia prævenit?* (*d*) „ Non hoc ideo dico (ſubdit) ut fratrum „ cauſas onerem, ſed ut magis fratres ad preces ſatisfactionis inſti- „ gem.... Sic oportet & Dei Sacerdotem non obſequiis decipien- „ tibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere ". Non deerant tamen, qui nimia temeritate *contra Evangelii rigorem, contra Do- mini ac Dei legem* veniam concederent lapſis obtentu miſericordiæ, & clementiæ. Verum S. Cyprianus iſtis oſtendit, hanc miſericor- diam potius eſſe crudelitatem dicendam, & pacem datam *irritam eſſe, & falſam, periculoſam dantibus, & nihil accipientibut pro- futuram.... Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam crimi- nis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, an- te offenſam placatam indignantis Domini, & minitantis* non eſſe dandam lapſis pacem, *nam non eſt pax illa, ſed bellum*. „ (*e*) „ Credimus quidem, poſſe apud Judicem plurimum Martyrum me- „ rita, & opera iſtorum; ſed cum Judicii dies venerit, cum poſt „ occaſum ſæculi hujus, & mundi ante Tribunal Chriſti populus „ ejus adſtiterit ".

Non renuebat tamen S. Cyprianus Martyrum morientium preci- bus aliquid indulgere, qui orabant, ut lapſis venia concederetur, & pax; at non ſemper illorum poſtulationibus acquieſcebat, niſi quando quod juſtum foret, expetiiſſent: nam æquum non arbitraba- tur peccatores abſolvere, antequam congrua ſatisfeciſſent pœniten- tia; eo vel maxime, quod *non ſtatim videri poteſt de divina ma-* *jeſta-*

(a) *Pag.* 436. (b) *Pag.* 437. (c) *Pag.* 438.
(d) *Pag.* 442. (e) *Pag.* 445.

S. Cyprian.

jeſtate conceſſum, quod fuerit humana pollicitatione promiſſum. Nam & Moyſes pro peccatis populi petiit, nec tamen peccantibus veniam cum petiiſſet accepit.... „ In Evangelio Dominus loqui-„ tur dicens: *Qui confeſſus me fuerit coram hominibus, ego confi-„ tebor eum coram patre meo, qui in Cælis eſt: qui autem me ne-„ gaverit, & ego negabo eum.* Si negantem non negat, nec con-„ fitentem confitetur. Non poteſt Evangelium in parte conſiſtere, „ & in parte nutare; aut utrumque oportet valeat, aut utrumque „ vim veritatis amittat. Si negantes rei criminis non erunt, nec „ confitentes præmium virtutis accipient. Porro ſi fides, quæ vi-„ cerit, coronatur, neceſſe eſt, ut victa perfidia puniatur... Nemo, „ fratres dilectiſſimi, nemo infamet Martyrum dignitatem, nemo „ eorum gloriam deſtruat & coronas “.

Hortatur poſtea lapſos, ut dignos faciant pœnitentiæ fructus; & ut eos ſalutari repleat confuſione, *eorum, qui negaverunt, ſupplicia, & triſtes exitus* eorum oculis ſubjicit perpendenda. Narrat, *unum ex his, qui ſponte Capitolium negaturus aſcendit, poſtquam Chriſtum negavit, obmutuiſſe.... Aliam in balneis conſtitutam... illic ab immundo ſpiritu correptam laniaſſe dentibus linguam, quæ fuerat vel paſſa, vel impie locuta.* Deinde addit: „ (*a*) Præſen-„ te ac teſte me ipſo accipite, quid evenerit. Parentes forte fu-„ gientes, dum trepidi minus conſulunt, ſub nutricis alimento „ parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad Magiſtra-„ tum. Illi ei apud Idolum, quo populus confluebat, quod carnem „ necdum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod ta-„ men & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. „ Recepit filiam poſtmodum mater. Sed facinus puella commiſſum „ tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius „ potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum eſt, ut ſacrifican-„ tibus nobis eam ſecum mater inferret: Sed enim puella mixta „ cum Sanctis, precis noſtræ, & orationis impatiens, nunc plora-„ tu concuti, nunc mentis æſtu cœpit fluctuabunda jactari, & ve-„ luti tortore cogente, quibus poterat indiciis conſcientiam facti in „ ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero ſole-„ mnibus adimpletis, Calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, „ & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem ſuam parvulam „ inſtinctu divinæ Majeſtatis avertere, os labiis obturantibus pre-„ mere, Calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctan-„ ti licet de Sacramento Calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus, „ & vomitus. In corpore, atque ore violato Euchariſtia permane-„ re non potuit.... Hoc circa infantem.... (*b*) At vero ea, quæ „ ætate provecta, & in annis adultioribus conſtituta ſacrificantibus „ nobis latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſibi ſumens, & „ veluti quædam venena lethalia intra fauces, & pectus admittens, „ angi, & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit; & preſ-

„ ſu-

(a) *Pag.* 449. (b) *Pag.* 451.

S. CYPRIAN.

„ ſuram non jam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & „ tremens concidit.... Et cum quædam arcam ſuam, in qua Do- „ mini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde „ ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et quidam alius, „ quia & ipſe maculatus, ſacrificio a Sacerdote celebrato, partem „ cum cæteris auſus eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere, „ & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus in- „ venit “.

Præter illos, qui nec acerbitate tormentorum coacti immolaverant, alii erant, qui ſacrificia Idolis non obtulerant quidem, at libellos acceperant, eos ſacrificaſſe teſtantes, unde & *Libellatici* dicti; hos reos abnegatæ fidei declarat S. Cyprianus, & pœnitentiæ ſubjectos decernit. „ (*a*) Illa profeſſio (inquiebat S. Epiſcopus) „ denegantis, conteſtatio eſt chriſtiani, quod fuerat abnuentis. Fe- „ ciſſe ſe dixit quidquid alius faciendo commiſit. Cumque ſcriptum „ ſit: *Non poteſtis duobus Dominis ſervire*, ſervivit ſæculari Do- „ mino, qui obtemperavit ejus edicto; magis obedivit humano „ imperio, quam Deo.... Minus plane peccaverit non videndo „ Idola.... non polluendo manus ſuas funeſtis ſacrificiis, nec ſce- „ leratis cibis ora maculando. Hoc eo proficit, ut ſit minor cul- „ pa, non ut innocens conſcientia. Facilius poteſt ad veniam cri- „ minis pervenire: non eſt tamen immunis a crimine “. Eos ita- „ que hortatur, ut facinus ſuum ſponte *confiteantur, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimant, ut ſatisfactio, & remiſſio per Sacerdotes facta apud Dominum grata ſit*. „ (*b*) Putaſne „ (ſubdit) tu Dominum cito poſſe placari, quem verbis perfidis „ abnuiſti?.... Orare oportet impenſius, & rogare, diem luctu „ tranſigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere, tempus omne la- „ crymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere, in ci- „ nere, & cilicio, & ſordibus volutari,.... juſtis operibus incum- „ bere, eleemoſynis frequenter inſiſtere.... Poteſt Deus in accे- „ ptum referre quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fe- „ cerint Sacerdotes.... Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia „ facti ſui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & fidei de ipſo „ lapſus ſui dolore conceperit, exauditus & adjutus a Domino, „ quam contriſtaverat, nuper lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſo- „ lam Dei veniam merebitur, ſed & coronam “.

Tractatus de Oratione Dominica ſcriptus circa Ann. Chriſti 252.

Inter celebriora S. Cypriani Opera merito connumeratur Tractatus de Oratione Dominica. S. Auguſtinus illum cum laude commemorat pluribus in locis ſuorum Operum, hortaturque Valerianum, & alios Dei ſervos ad ejus lectionem, qua diſcant præcipue a Deo petere gratiam implendi, quod ipſe jubet. Illum legit etiam Monachis Adrumetinis (*c*), & oſtendit illis, quemadmodum docuerit & gratiæ, & orationis neceſſitatem. Hortatur etiam Sanctos Hilarium, & Proſperum ad eum legendum, ut perci-

(a) *Pag.* 452. (b) *Pag.* 457. (c) *Epiſt. ad Valer.*

cipiant (*a*), *quemadmodum docuerit, omnia, quæ ad mores noſtros pertinent, quibus recte vivimus, a patre noſtro, qui in Cælis eſt, expoſcenda, ne de libero præſumentes arbitrio, a Divina gratia decidamus;* unde antidotum hæreſi Pelagianæ jam diu ante præparaſſe. Et revera S. Hilarius ſatis indicat, hunc Tractatum magno in pretio habuiſſe, immo tanquam opus abſolutiſſimum exiſtimaſſe, quoniam ſcribit (*b*): *De orationis autem Sacramento neceſſitate nos commentandi Cyprianus vir ſanctæ memoriæ liberavit.* Pontius Diaconus illum poſt librum de *Unitate Eccleſiæ* collocat, & dicit, hocce Tractatu S. Cyprianum *docuiſſe filios Dei* (*c*) *pacem, & Evangelicæ precis* legem. Exaratus creditur a Cypriano poſt Decii perſecutionem, ideſt vel ſub finem anni 251. vel ſub initium ſubſequentis, dum plena pace Eccleſiam ſuam moderabatur.

S. CYPRIAN.

Synopſis ejuſdem Tractatus.

Tres complectitur partes Tractatus. In priore S. Cyprianus oſtendit, orationem Dominicam eſſe omnium excellentiſſimam, ſumme ſpiritualem, & ad impetrandum efficaciſſimam, quippe quam ipſe Jeſus Chriſtus nos docuit, ut per ipſum Patrem oraremus; & quando dixit, *horam venire, quando veri adoratores adorarent Patrem in ſpiritu, & veritate*, ad hanc reſpexiſſe orationem, quam docturus erat diſcipulos; unde ſubdit: „ (*d*) Aliter orare, quam docuit, non „ ignorantia ſola ſit, ſed & culpa, quando ipſe propoſuerit, & „ dixerit: (*e*) *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis.* Oremus itaque, ſicut Magiſter Deus docuit. Amica & „ familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare, ad aures ejus aſcendere Chriſti oratione. Agnoſcat Pater Filii ſui verba, cum precem „ faciamus.... Nam cum dicat, quodcumque petierimus Patrem „ in nomine ejus, dabit nobis, quanto efficacius impetramus, quod „ petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione?... Sit „ autem, ſubdit, orantibus ſermo, & precatio cum diſciplina quietem continens, & pudorem.... Placendum eſt divinis oculis, & „ habitu corporis, & modo vocis.... Magiſterio ſuo Dominus ſecreto orare nos præcepit in abditis, & ſemotis locis, in cubiculis ipſis". Quando vero *in unum cum fratribus convenimus, & ſacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ, & diſciplinæ memores eſſe debemus, non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus.*

Altera vero pars Dominicæ Orationis complectitur explicationem. Obſervat itaque, nequaquam nos orare dicentes: (*f*) *Pater meus, qui es in Cælis, aut da mihi panem meum quotidianum... nam publica eſt nobis & communis oratio, & quando oramus, non pro uno, ſed pro toto populo oramus, quia totus populus unum ſumus.* Quando vero dicimus *Pater noſter, qui es in Cælis*, „ conteſtamur, nos renunciaſſe terreno, & carnali Patri, & patrem „ ſo-

(a) *Ibid.* (b) *Comment. in cap. 6. Matth.*
(c) *Pont. in Vita n. 7.* (d) *Pag. 484.*
(e) *Marc. 7.* (f) *Pag. 486.*

S. Cyprian.

„ ſolum noſſe, & habere cœpiſſe, qui ſit in Cælis. Appellamus
„ etiam *Patrem noſtrum*, ideſt eorum, qui credunt, eorum, qui per
„ eum ſanctificati, & gratia ſpiritualis nativitatis reparati filii Dei
„ eſſe cœperunt. Subdimus: *Sanctificetur nomen tuum:* non quod
„ optemus Deo, ut ſanctificetur orationibus noſtris, ſed quod peta-
„ mus ab eo, ut nomen ejus ſanctificetur in nobis.... ideſt qui
„ in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cœpimus, per-
„ ſeveremus". Et pari ſenſu cum dicimus: *Adveniat Regnum*
„ *tuum;* „ regnum Dei repræſentari nobis petimus.... Nam Deus
„ quando non regnat?... Noſtrum regnum petimus advenire a Deo
„ nobis repromiſſum, Chriſti ſanguine, & paſſione quæſitum, ut
„ qui in ſæculo ante ſervivimus, poſtmodum Chriſto dominante
„ regnemus, ſicut ipſe pollicitus eſt.... Addimus quoque, & di-
„ cimus: *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra*, non ut
„ Deus faciat, quod vult, ſed ut nos facere poſſimus, quod Deus
„ vult.... quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia,
„ & miſericordia tutus eſt.... (*a*) Fieri autem petimus volunta-
„ tem Dei in cælo, & in terra; quod utrumque ad conſummatio-
„ nem noſtræ incolumitatis pertinet, & ſalutis. Nam cum corpus
„ e terra, & ſpiritum poſſideamus e Cælo, ipſi terra, & cælum
„ ſumus, & in utroque, ideſt corpore, & ſpiritu, ut Dei volun-
„ tas fiat, oramus.... & petimus, ut cum inter carnem, & ſpi-
„ ritum ſit colluctatio, inter duo iſta ope, & auxilio Dei concordia
„ fiat, ut dum & in ſpiritu, & in carne voluntas Dei geritur,
„ quæ per eum renata eſt, anima ſervetur. Procedente oratione
„ poſtulamus: (*b*) *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*.
„ Quod poteſt & ſpiritualiter, & ſimpliciter intelligi, de ſpiritua-
„ li videlicet pane, & de terreſtri.... Hunc autem panem ſpiri-
„ tualem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus,
„ & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, interceden-
„ te aliquo graviori delicto.... a cæleſti pane prohibeamur....
„ (*c*) Poteſt vero & ſic intelligi, ut qui ſæculo renuntiavimus, &
„ divitias, & pompas fide gratiæ ſpiritualis abjecimus, cibum no-
„ bis tantum petamus, & victum, & quidem diurnum, nec in
„ diem craſtinum deſideria petitionis extendamus.... Poſt hæc &
„ pro peccatis noſtris deprecamur dicentes: *Et remitte nobis debita*
„ *noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris*. Quibus verbis
„ admonemur, quod peccatores ſumus, & quod pro peccatis oran-
„ do, indulgentiam a Deo poſſumus obtinere.... Adjunxit plane,
„ & addidit legem, certa nos conditione, & ſponſione conſtringens,
„ ut ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod & ipſi
„ debitoribus noſtris dimittimus.... (*d*) Pacificos enim, & con-
„ cordes, atque unanimes eſſe in domo ſua Deus præcepit,... ut
„ qui filii Dei eſſe cœpimus, in Dei pace maneamus, & quibus
„ ſpi-

(a) *Pag.* 491. (b) *Pag.* 494.
(c) *Pag.* 495. (d) *Pag.* 497.

„ ſpiritus unus eſt, unus ſit & animus & ſenſus.... Neque enim S. CYPRIAN.
„ in ſacrificiis, quæ Abel, & Cain obtulerunt, munera eorum
„ Deus, ſed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui
„ placebat in corde “: & docet omnes, „ quando ad Altare mu-
„ nus offerunt, ſic venire cum Dei timore.... cum concordiæ pa-
„ ce.... (*a*) Admonet etiam Dominus ut in oratione dicamus:
„ *Et ne nos patiaris induci in tentationem*. Qua in parte oſtendi-
„ tur, nihil contra nos adverſarium poſſe, niſi Deus ante permi-
„ ſerit... Datur autem poteſtas adverſus nos Mali dupliciter, vel
„ ad pœnam, cum delinquimus, vel ad gloriam, cum probamur...
„ Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur
„ infirmitatis, & imbecillitatis noſtræ... ne quis ſe inſolenter ex-
„ tollat.... ne quis ſibi aut confeſſionis, aut paſſionis gloriam
„ ſuam ducat.... (*b*) In noviſſimo autem ponimus: *Libera nos a*
„ *malo*, comprehendentes adverſa cuncta, quæ contra nos in hoc
„ mundo molitur inimicus.... Quando autem dicimus: *Libera nos*
„ *a malo*, nihil remanet, quod ultra adhuc debeat poſtulari,
„ quando ſemel protectionem Dei adverſus malum petamus; qua
„ impetrata, contra omnia, quæ Diabolus, & mundus operantur,
„ ſecuri ſtamus, & tuti. “

In tertia vero parte S. Cyprianus orationis conditiones expendit. I. docet, orationem eſſe debere perſeverantem, & aſſiduam exemplo Chriſti Domini, qui orans, & frequenter deprecans *fuit* (*c*), *recedens* in ſolitudinem, & adorans, & (*d*) *exivit in montem orare*, *& fuit pernoctans in oratione Dei*. Orabat autem Dominus non pro ſe; quid enim pro ſe innocens precaretur? ſed pro delictis noſtris. II. „ Quando ſtamus ad orationem, vigilare & incum-
„ bere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, &
„ ſæcularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum
„ cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione
„ præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo: *Surſum corda*; & reſpon-
„ det plebs: *Habemus ad Dominum* “. III. Oratio non infructuoſis, & nudis precibus ad Deum veniat, ſed bonis operibus, & eleemoſynis conſocietur. Sic Tobias, & Cornelius exaudiri meruerunt, quia ſuas preces bonis operibus, & eleemoſynis cumularunt. IV. Omnibus diei horis orandum, imo *nec noctibus ab oratione* ceſſandum, quia Chriſtianis, qui *filii lucis ſunt*, *ſemper dies eſt*; unde Canticorum Sponſa ex perſona Eccleſiæ loquens, dicebat: *Ego dormio*, *& cor meum vigilat*. Notat etiam ſingillatim horas ab Eccleſia orationi deſtinatas, (*e*) tertiam nimirum, ſextam, & nonam, atque addit: „ Et mane orandum eſt, ut reſurrectio Domini
„ matutina oratione celebretur... recedente item ſole, ac die ceſ-
„ ſante rurſus orandum, ut ſuper nos lux denuo veniat, Chriſti
„ ſcilicet adventus lucis æternæ gratiam præbiturus. “.

In

(a) *Pag.* 499. (b) *Pag.* 500. (c) *Marc.* 1.
(d) *Luc.* 6. (e) *Pag.* 503.

S. CYPRIAN.

Tractatus de eleemoſyna Synopſis.

In hocce de operibus, & eleemoſyna Tractatu ſtatim initio S. Cyprianus, pluribus ex Scriptura congeſtis teſtimoniis, oſtendit, gratiam poſt Baptiſmum amiſſam, juſtitiæ, & miſericordiæ operibus nos poſſe recuperare... (*a*) *Nam ſicut lavacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur, ita & eleemoſynis, atque operationibus juſtis delictorum flamma ſopitur. Et quia ſemel in baptiſmo remiſſio peccatorum datur, aſſidua & jugis operatio, baptiſmi inſtar, imitata Dei rurſum indulgentiam largitur....* (*b*) *Eleemoſynis etiam petitiones noſtræ efficaces fiunt; eleemoſynis vita de periculis redimitur; eleemoſynis anima a morte liberatur.* Quod comprobat exemplo Thabitæ, quæ *operationibus juſtis, & eleemoſynis* dedita, ut ad vitam revocaretur, promeruit. Ideo *in Evangelio Dominus.... nihil crebrius mandat & præcipit, quam ut inſiſtamus eleemoſynis dandis, nec terrenis poſſeſſionibus incubemus, ſed... diſtractis rebus omnibus pretioſam margaritam, hoc eſt, vitam æternam Chriſti cruore pretioſam.... mercari ſtudeamus.*

Deinde divitum excuſationes, quas obtendunt, ut ab eleemoſynis abſtineant, expendit: „ (*c*) Si vereris, inquit, & metuis, ne ſi „ operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione fini„ to ad penuriam forte redigaris, eſto in hac parte intrepidus, eſto „ ſecurus; finiri non poteſt, unde in uſus Chriſti impenditur, unde „ opus cæleſte celebratur. Nec hoc tibi de meo ſpondeo, ſed de „ Sanctarum Scripturarum fide, & divinæ pollicitationis auctorita„ te promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus Sanctus, & di„ cit: (*d*) *Qui dat pauperibus, nunquam egebit, qui autem aver*„ *tit oculum ſuum, in magna penuria erit....* quoniam, dum „ gratiarum actio ad Deum pro eleemoſynis, atque operationibus „ noſtris pauperum oratione dirigitur, cenſus operantis Dei retribu„ tione cumulatur “. Poſtquam vero hanc veritatem aliquibus ex Evangelio teſtimoniis confirmavit, ſic contra avaros inardeſcit: „ (*e*) Metuis, ne patrimonium tuum forte deficiat, ſi operari ex eo „ largiter cœperis; & neſcis, miſer, quia dum times, ne res fa„ miliaris deficiat, vita ipſa, & ſalus deficit; & dum, ne quid de „ rebus tuis minuatur, attendis, non reſpicis, quod ipſe minuaris, „ amator magis mammonæ, quam animæ tuæ, ut dum times, ne „ pro te patrimonium tuum perdas, ipſe pro patrimonio tuo pe„ reas. Et ideo bene Apoſtolus clamat, & dicit: (*f*) *Qui volunt* „ *divites fieri, incidunt in tentationem, & in muſcipulam, &* „ *deſideria multa, & nocentia, quæ mergunt hominem in perditio*„ *nem, & in interitum....* Metuis ne patrimonium tuum forte „ deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis? Quando enim factum „ eſt, ut juſto poſſent deeſſe ſubſidia vitæ?... Helias in ſolitudine „ corvis miniſtrantibus paſcitur, & Danieli in lacu ad leonum præ„ dam juſſu regis incluſo prandium divinitus apparatur.... (*g*) „ Vo-

(a) *Pag. 561. Ed. Venet.* (b) *Pag. 563.* (c) *Pag. 565.*
(d) *Proverb. 28.* (e) *Pag. 566.* (f) *1. ad Timoth. 6.* (g) *Pag. 568.*

„ Volucres Deus paſcit, & paſſeribus alimenta diurna præſtan-
„ tur.... Tu Chriſtiano, tu Dei ſervo, tu operibus bonis dedi- S. Cyprian.
„ to, tu Domino tuo caro aliquid exiſtimas defuturum? Niſi ſi
„ putes, quia qui Chriſtum paſcit, a Chriſto ipſe non paſcitur,
„ aut eis terrena deerunt, quibus cæleſtia, & divina tribuuntur.
„ Unde hæc incredula cogitatio, unde impia, & ſacrilega iſta me-
„ ditatio? Quid facit in domo fidei perfidum pectus? Quid qui
„ Chriſto omnino non credit, appellatur, & dicitur Chriſtianus"? Deinde adverſus Matronas inſurgit, quæ ſtibio vultum, & nigrore oculos pingunt, & *egentem*, *ac pauperem* non vident, quæ *locupletes*, *& divites*, *& dominicum celebrare ſe credunt*, *quæ corbam omnino non reſpiciunt*, *quæ in dominicum ſine ſacrificio veniunt*, *quæ partem de ſacrificio*, *quod pauper obtulit*, *ſumunt* (1).

Aliam divites afferebant cauſam, cur ab eleemoſynis abſtinerent, numerum ſcilicet filiorum. At illos refellit S. Cyprianus ex præcepto charitatis, *quæ liberis noſtris Deum præferre jubet* (*a*); *nam ſi Deum toto corde diligimus*, *nec parentes*, *nec filios Deo præferre debemus*.... Præterea *ſi multi ſunt in domo liberi* .... *hoc ipſo operari amplius debes*, *quo multorum pignorum pater es*. *Plures ſunt*, *pro quibus Dominum depreceris*, *multorum delicta redimenda ſunt* .... *multorum animæ liberandæ*. Quod confirmat exemplo Job, qui multorum pignorum pater (*b*) *ſacrificia numeroſa pro filiis offerebat*, *quantuſque erat in domo pignorum numerus*, *tantus dabatur Deo numerus hoſtiarum*. Unde concludit: „ Prævaricator
„ itaque, & proditor pater es, niſi filiis tuis fideliter conſulas,
„ niſi conſervandis eis religioſa, & vera pietate proſpicias.... qui
„ non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & doces filios pa-
„ trimonium potius amare, quam Chriſtum". Divitibus Chriſti minas in Evangelio contentas in memoriam revocat, queis illos terret, qui ipſum in pauperibus non agnoſcunt; & præmia æterna illis promiſſa, qui eſurientibus eſum, ſitientibus potum dederint, nudos operuerint, infirmos, & carceribus clauſos viſitaverint. Cogitandum etiam proponit, *quid ſub Apoſtolis fecerit credentium populus* .... *qui domicilia*, *& prædia venumdabat*, *& diſpenſandam pauperibus quantitatem libenter*, *ac largiter Apoſtolis offerebat*. Denique hortatur *æquitatem Dei patris imitari*, qui neminem a beneficiis ſuis, & muneribus arcet, ſed *omne humanum genus bonitate*, *ac largitate divina æqualiter perfruitur*. Denique ſic tractationem ſuam claudit: „ (*c*) Præclara, & divina res, ſalutaris o-
„ peratio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre
„ præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati, res
„ poſita in poteſtate facientis, res & grandis, & facilis, ſine peri-
„ culo perſecutionis, corona pacis, verum Dei munus, & maxi-
„ mum,

(1) Indicat panem, quo conficiebatur Euchariſtia, & quem divites avari ex pauperum oblatione ſumebant.

(a) *Pag.* 571. (b) *Pag.* 573. (c) *Pag.* 577.

S. CYPRIAN.

„ mum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus „ adjutus præfert gratiam ſpiritualem, promeretur Chriſtum judi- „ cem, Deum computat debitorem “.

ARTICULUS TERTIUS.

Præcipua Sancti Cypriani teſtimonia, Dogmata, Mores, & Diſciplinam reſpicientia.

De Sacra Scriptura.

PLURIBUS in locis ſuorum Operum S. Cyprianus Sacram Scripturam Spiritus Sancti dictatum appellat, unde eam *divinam* (*a*) dicit, & *armamentum* vocat (*b*), ex *quo velut arma pugnantibus ſuggerenda ſunt*, unde contra omnes hoſtes, & adverſus omnia pericula *fidelis inveniatur armatus*, & (*c*) *vocem cœleſtem*, qua *ſervi Dei corroborantur* (*d*) in fide, & theſaurum indefectibilem, quo divina ſapientia multiplex per multos diſtribuitur (*e*), & veluti diſciplinæ Eccleſiaſticæ fundamentum, & baſim (*f*).

De Traditione.

Tanquam axioma certum conſtituit, *ut ſi in aliquo nutaverit, & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam, & Apoſtolicam traditionem revertamur* (*g*), & ideo fidem noſtram iis accommodandam, quæ Apoſtoli vel in ſuis epiſtolis, vel orali, & non ſcripta traditione nos docuere. Et hoc oralis traditionis fundamento innixus valorem Pædobaptiſmatis tuetur, ſicut & ritum deſumit catechumenos interrogandi ante Baptiſmum, & exorciſmorum uſum, & abrenunciationem Diabolo, & pompis ejus ſacro lavacro præmiſſam.

De Chriſtianæ Religionis veritate: nec non de Unitate, & Trinitate Dei.

Chriſtianæ Religionis veritatem comprobat S. Cyprianus ex propheticorum oraculorum de Chriſto impletione, nec non ex ejus miraculis, ac Evangelii dilatatione, Martyrum ſanguine inducta (*h*). Exiſtentiam vero Dei adverſus Gentiles oſtendit ex naturali, quam de ipſo habemus, idea; & ſuam unitatem ex plurium Deorum repugnantia evincit (*i*). Trinitatem Perſonarum ex forma Baptiſmi demonſtrat (*k*), & quod tres Perſonæ *unum ſint*. Nec Spiritum Sanctum poſſe a Chriſto ſeparari, aut ſine Spiritu Chriſtum indui (*l*).

De Incarnatione Verbi: de Duplici Chriſti natura, ejuſque mediationis fructu.

Sermo, & Filius Dei, qui per prophetas omnes retro illuminator, & doctor humani generis prædicabatur, miſſus eſt arbiter gratiæ, & diſciplinæ. Hic eſt virtus Dei, hic ratio, hic Sapientia ejus, & gloria. Hic in Virginem illabitur, carnem per Spiritum Sanctum indui-

(a) *De op. & eleem. p. 561.* (b) *De exhort. ad Mart. p. 609.*
(c) *Ep. 56. ad Thibarit. p. 217.* (d) *De lapſis*
(e) *Epiſt. 75. Firm. ad Cypr.* (f) *Epiſt. 10. Presb. & Diac.*
(g) *Epiſt. 74. ad Pompej.* (h) *De Idol. Vanit.*
(i) *Ibid.* (k) *Epiſt. ad Jubaj.* (l) *Epiſt. 74. ad Pompej.*

S. CYPRIAN.

induitur, Deus cum homine miſcetur. Hic Deus noſter, hic Chriſtus eſt, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducit ad Patrem (*a*). Jeſus Chriſtus igitur & eſt Filius Dei, & filius hominis, (*b*) Deus ſimul, & homo. Si mortuus eſt, *ſpiritum ſponte dimiſit, ut mortem vinceret, & cum paſſus eſſet, ad ſuperos denuo regreditur, ut vim divinæ Majeſtatis oſtenderet* (*c*), *apparuit diſcipulis ſuis, talis qualis & fuerat, ſe videntibus præbuit agnoſcendum, ſimul vinctus, & ſubſtantiæ corporalis firmitate conſpicuus* (*d*), *ipſum Dominum rogare, tum deinde per ipſum Deo Patri ſatisfacere debemus* (*e*).

De Sanctorum interceſſione, & Angelorum miniſterio.

Angelos in omnibus actionibus noſtris fautores habemus (*f*), *& Sancti ſecretorum conſcii divinorum propinquitate familiariſſima clementiam Dei pro noſtris exorant laboribus* (*g*).

De variis poſt mortem hominum ſtatibus: & de precibus pro defunctis.

Tres diſtinguit hominum ſtatus poſt mortem: primus Sanctorum, qui in cælis *Deum vident cum Chriſto, ſalutis, ac lucis æternæ gaudium capiunt* (*h*); ſecundus Damnatorum, *quibus manet carcer æternus, & jugis flamma, & pœna perpetua* (*i*); tertius illorum, qui *pro peccatis longo dolore cruciatuum & mundantur, & purgantur diu igne* (*k*). In hocce poſtremo ſtatu conſtitutos viventium fidelium precibus poſſe adjuvari, nunquam dubitavit S. Cyprianus, qui non uno in loco in more Eccleſiæ poſitum dicit, ut *pro defunctis offeratur, & pro dormitione alicujus celebretur* (*l*), ſed dicit Damnatorum animas, & corpora *ſervanda infinitis cruciatibus ad dolorem; & erit tunc ſine fructu pœnitentiæ dolor pœnæ, inanis ploratio, & inefficax deprecatio* (*m*).

De peccato originali, & actuali: de neceſſitate, ac efficacia gratiæ: de libero arbitrio.

Omnes ſalutem noſtram Chriſto debemus, *qui peccatum ſuum proprium non habens, paſſus eſt pro nobis, ut nos filios Dei faceret* (*n*); & innocens mortuus eſt, ut ſontes liberaret. Duo diſtinguit peccatorum genera; originale, quo *ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ contrahit* (*o*); hoc peccatum originale a S. Cypriano vocatur peccatum *alienum* (*p*), quia qui illud contrahunt, non propria voluntate commiſerunt, ſed in protoparentis voluntate, qua tota humanæ ſobolis ſemina claudebantur. Per hoc peccatum docet, *Adamum divinam ſimilitudinem, quam habebat, perdidiſſe* (*q*), & a nobis *firmitas* corporis cum immortalitate diſceſſit (*r*). *Nec quiſquam ſibi de puro, & immaculato pectore blandiatur, qui ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus. Quiſquis igitur ſe inculpatum eſſe dixerit, aut ſuperbus, aut*

(a) *De Idol. vanit. p.* 538. (b) *Ibid.*
(c) *Ibid.* (d) *Ibid.* (e) *Epiſt. 7. p.* 46.
(f) *Ep. 78. pag.* 381. (g) *De Stella & Magis pag.* 864.
(h) *Ep. 56. pag.* 220. (i) *Lib. ad Demetr. p.* 512.
(k) *Ep. 52. pag.* 176. (l) *Ep. 66. pag.* 272.
(m) *Ad Demetrian.* 524. 525. (n) *Ep. 55. pag.* 218.
(o) *Ep. 59. pag.* 233. (p) *Ibid.*
(q) *De bono patient. p.* 581. (r) *Ibid. pag.* 589.

S. CYPRIAN.

aut ſtultus eſt (*a*). Ex his autem peccatis, alia ſunt *majora*, & *graviora*, alia *minora*, & *levia* (*b*). Peccatores ad Deum regredi *ſolum Domino adjuvante per ejus miſericordiam, & gratiam poſſunt* (*c*)*;* quæ gratia aliquando adeo potens eſt, & efficax, ut *ſi deſuper lumen infunditur, ſi cæleſtis ſpiritus hauritur, quod difficile prius videbatur, quod impoſſibile putabatur eſſe, jam facile geri poſſit* (*d*).

Deus *hæreſes, & errores permittit, manente propriæ libertatis arbitrio, ut dum corda, & mentes noſtras veritatis diſcrimen examinat, probatorum fides integra manifeſta luce clareſcat* (*e*). Quibus verbis arbitrii libertatem adſtruit S. Epiſcopus; quod confirmat teſtimoniis Scripturæ: *Ecce dedi ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum; elige vitam tibi ut vivas* (*f*); oſtendens in noſtro poſitum arbitrio credere, vel non credere, eligere, vel reſpuere, bonum ſequi, vel illud relinquere. Monet tamen, ne in noſtro confidamus libero arbitrio, dum in explicatione Orationis Dominicæ hortatur, ut *protectionem Dei adverſus malum petamus* (*g*), & gratiam, qua mores noſtros ad Dei voluntatem componamus.

De Eccleſia. Nemo extra Eccleſiam *vivere poteſt*, cum domus Dei una ſit, & nemo ſalvus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit (*h*); nec etſi *zizania in ea eſſe* videantur, *nunquam recedendum ab Eccleſia* (*i*)*;* nam *habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem* (*k*). Hinc *fruſtra ſibi blandiuntur, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt;* at de ſua ſalute ſecuri ſunt, qui communione Epiſcopi fruentes communicant cum *Martyribus, cum Confeſſoribus, cum Virginibus, & Viduis, ac cum tota Eccleſia per univerſum Mundum ipſi copulata* (*l*). Et rationem aſſignans, ſubdit: Foris *enim non eſt Eccleſia, nec ſcindi adverſum ſe, aut dividi poteſt* (*m*)*; nam Epiſcopus in Eccleſia eſt, & Eccleſia in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſt* (*n*)*; & ſi quæ contumax, ac ſuperba obaudire nolentium multitudo diſcedat, Eccleſia tamen a Chriſto non recedit; & illi ſunt Eccleſia plebs Sacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſciendum eſt, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe* (*o*)*:* nam Eccleſia illa eſt *catholica, & una, quæ ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit utique*

(a) *De Oper. & eleem. pag.* 562.
(b) *Ep.* 11. *ad Plebem pag.* 58. (c) *Ep.* 49. *pag.* 158.
(d) *Ep.* 1. *pag.* 8. (e) *De unit. Eccl. pag.* 470.
(f) *Teſt. lib.* 3. *cap.* 52. (g) *De Orat. Dominic. pag.* 500.
(h) *Epiſt.* 62. *p.* 244. (i) *Epiſt.* 51. *pag.* 160.
(k) *De Unit. Eccl. pag.* 467. (l) *Epiſt.* 69. *pag.* 296.
(m) *Epiſt.* 76. *p.* 362. (n) *Epiſt.* 69. *pag.* 297.
(o) *Ibid.*

tique connexa, & adhærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata (*a*); hæc eſt illa Eccleſia *a Domino conſtituta* (*b*), & quam Chriſtus *ſanguine ſuo paravit, & condidit* (*c*), *& arbitrio, nutu, & præſentia ſua eam gubernat* (*d*). Sicut & *primatus Petro datur, ut una* Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur (*e*). *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit .... Et paſtores ſunt omnes, & grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcitur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur* (*f*). In hoc itaque ſenſu intelligendum, quod alibi dicit S. Cyprianus ſcribens: *Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur* (*g*). S. Cyprian.

Romana Eccleſia eſt *Petri Cathedra, Eccleſia principalis, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt .... ad quam perfidia habere non poteſt acceſſum* (*h*). Ac inde hæreſes ortas dicit, dum hæretici *conventicula ſibi diverſa conſtituunt, veritatis caput, atque originem relinquentes* (*i*), & cæleſtis Magiſtri doctrinam deſerentes. Epiſcopum Romanum dicit *locum Petri, & gradum Cathedræ Sacerdotalis* tenere (*k*), & quicunque Eccleſiæ *renititur, & reſiſtit, qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit* (*l*)? De Romana Eccleſia.

Ea, quæ præcipue notanda occurrunt in S. Cypriani ſcriptis, de quolibet Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordine, ſunt, quæ ſequuntur. Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores, dum de quibuſdam Presbyteris conqueritur, *Epiſcopo honorem Sacerdotii ſui, & cathedræ non reſervaſſe* (*m*). Epiſcopatus indiviſibilis eſt, & *unus, cujus in ſingulos in ſolidum pars tenetur* (*n*), & ideo Chriſtus Dominus in Evangelio dicit: *Erit unum ovile, & unus Paſtor*. Epiſcoporum ordinationem juris eſſe divini docet, & Epiſcopos *Apoſtolis ſucceſſiſſe* (*o*), & *vicaria ordinatione* ſuccedere (*p*); *manente concordiæ vinculo, & perſeverante Catholicæ Eccleſiæ individuo Sacramento actum ſuum diſponit, & dirigit unuſquiſque Epiſcopus rationem propoſiti ſui Domino redditurus* (*q*). Eorum dignitas ab Evangelio, & Apoſtolorum De Epiſcopis.

N 2 rum

(a) *Ibid.* (b) *Epiſt. 64. pag. 266.*
(c) *Epiſt. 72. pag. 309.* (d) *Epiſt. 69. pag. 297.*
(e) *De Unit. Eccl. pag. 463.* (f) *Ibid. pag. 464.*
(g) *Epiſt. 27. pag. 92.* (h) *Epiſt. 55. pag. 206.*
(i) *De Unit. Eccl. pag. 472.* (k) *Epiſt. 52. pag. 167.*
(l) *De Unit. Eccl. pag. 464.* (m) *Epiſt. 11. pag. 57.*
(n) *De Unit. Eccl. pag. 469.* (o) *Epiſt. 42. pag. 139.*
(p) *Firmil. ad Cypr. epiſt. 75. pag. 307.*
(q) *Epiſt. 52. pag. 177.*

S. CYPRIAN.

rum traditione deſcendit (*a*); ſuarum ovium a Deo ipſo cura Epiſcopis *commiſſa eſt* (*b*).

Obſervat, *eſſe non poſſe* inter Epiſcopos *ſenſum diverſum*, *in quibus unus eſt ſpiritus; & ideo manifeſtum eſt, eum Spiritus Sancti veritatem cum cæteris non tenere, quem videmus diverſa ſentire* (*c*). Conſueverant Epiſcopi ſibi invicem ſcribere in ſignum mutuæ communionis; & ideo cum novus crearetur Epiſcopus, cæteri de ejus fide, ac pietate inſtrui curabant (*d*); mos etiam erat, ut poſt Paſchalia feſta una convenirent, *ut communi omnium conſilio ea, quæ ad bonum Eccleſiæ agenda forent, diſponere, ac limare poſſent* (*e*).

De Presbyteris, Diaconis, aliiſque Clericis.

Presbyteri ſuos habebant Diaconos ſibi inſervientes ad Altare (*f*); cum *Epiſcopo ſedebant in Clero*, & cum ipſo judicabant (*g*). Ad Diaconos vero ſpectabat ad altare Sacerdoti miniſtrare, & *Calicem Euchariſtiæ* offerre præſentibus (*h*); Sacerdotes comitabantur ad Confeſſores carceribus detentos pergentes, ut ſacrificium offerrent (*i*); Eccleſiæ reditus adminiſtrabant (*k*), & cum non adeſſent Presbyteri, *manus imponebant Pœnitentibus, & ad pacem, & communionem Eccleſiæ* recipiebant (*l*); eccleſiaſticis etiam judiciis intererant (*m*), & in Conciliis Romæ, & in Africa locum obtinebant (*n*), & aliquando etiam regebant Eccleſias (*o*). Diaconos deponendi, vel excommunicandi ſolus Epiſcopus *cathedræ ſuæ auctoritate poteſtatem habebat* (*p*). Subdiaconorum (*q*) non ſemel meminit Sanctus Cyprianus, ſicut & *Exorciſtarum* (*r*), *Acolythorum* (*ſ*), *Lectorum* (*t*), & notat ſe *examinare* conſueviſſe, *an congruerent illis omnia, quæ eſſe debent in iis, qui ad Clerum parabantur* (*u*). Lectores Scripturam legebant, & *audientium*, ſeu Catechumenorum *Doctores* erant (*x*), & etiam *Evangelium legebant ex pulpito* (*y*).

De Baptiſmo, & Confirmatione.

Baptizandi jus frequentius reſervabatur Epiſcopis (*z*), ſed cum opus erat, alii quoque Eccleſiæ miniſtri tingebant. Baptiſmum Sacramentum dicit, unde *incipit omnis fidei origo, & ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſſio, & purificandis, ac vivificandis Dei ſervis divina dignatio* (*aa*). In illo omnia ante commiſſa peccata *Chriſti ſanguine, & ſanctificatione purgantur* (*bb*). Infantes etiam *intra*

tra

(a) *Epiſt.* 74. *pag.* 338. (b) *Epiſt.* 69. *pag.* 296.
(c) *Epiſt.* 67. *pag.* 280. (d) *Ibid. pag.* 274.
(e) *Epiſt.* 40. *pag.* 134. (f) *Epiſt.* 28. *pag.* 97.
(g) *Epiſt.* 35. *pag.* 121. (h) *De lapſis pag.* 450.
(i) *Epiſt.* 5. *pag.* 38. (k) *Ep.* 49. *p.* 155.
(l) *Epiſt.* 12. *pag.* 50. (m) *Epiſt.* 55. *pag.* 207.
(n) *Ibid.* (o) *Epiſt.* 68. *pag.* 281.
(p) *Epiſt.* 65. *pag.* 267. (q) *Epiſt.* 24. *pag.* 85.
(r) *Epiſt.* 76. *pag.* 372. (s) *Epiſt.* 28. *pag.* 99.
(t) *Epiſt.* 24. *pag.* 86. (u) *Ibid.* (x) *Ibid.*
(y) *Epiſt.* 33. *pag.* 116.
(z) *Auct. Anonym. de Bapt. Hæret. apud Cypr. Tom.* 2. *pag.* 749.
(aa) *Epiſt.* 73. *pag.* 318. (bb) *De eleem. pag.* 561.

tra octavum diem eſſe baptizandos docebat (*a*), quippe qui firma fide tenebat, *ſpiritualiter non renatos*, *nec Dei filios factos*, *ſuccendi*, *& cremari* poſt mortem (*b*); adulti quoque ad ſacrum non admittebantur lavacrum, *niſi prius præpoſitis Eccleſiæ offerrentur*, & fidei ſuæ ſpecimina exhiberent (*c*). Legitimus Baptiſmus eſt *in nomine Trinitatis* dandus, non vero in ſolo nomine Chriſti (*d*). Qui Baptiſmum ſuſcipiebant, Mundo, & concupiſcentiis carnis renuntiabant (*e*), nam qui *ſpiritu recreati*, *& renati ſunt*, *non jam Mundo*, *ſed Deo vivunt* (*f*). Miniſter priuſquam Baptiſma daret, interrogare debebat catechumenos: *Credis remiſſionem peccatorum*, *& vitam æternam per Sanctam Eccleſiam* (*g*)? Baptiſmo exorciſmi præmittebantur (*h*), & *aquam baptiſmalem prius mundari*, *& ſanctificari a Sacerdote* oportebat (*i*): *ungi quoque* (dicit) *neceſſe eſt eum*, *qui baptizatus eſt*.... *oleo in altari ſanctificato* (*k*). Aqua mergebantur baptizandi, & qui infirmitate detinebantur, ſolum aqua perfundi poterant, unde & ab aliquibus clinici dicebantur (*l*); at quocunque modo adminiſtraretur, ſive immerſione, ſive perfuſione, ſive aſperſione, ratum habebatur. Romæ tamen in Clerum non admittebantur, qui in lecto infuſione abluti fuerant (*m*). Neophytum etiam infantem Miniſter *oſculabatur* (*n*). Præter aquæ Baptiſmum, & aliud *ſanguinis* dari docebat, quo abluebantur Martyres (*o*), *qui baptizantur glorioſiſſimo*, *& maximo ſanguinis baptiſmo* (*p*). Certum etiam tunc temporis habebatur, illos, qui *catechizati*, *ſed priuſquam baptizarentur*, *obirent*, *emolumentum veritatis*, *& fidei* conſequi, *etſi conſummationem gratiæ conſecuti non ſint morte præventi* (*q*), quod Baptiſma ab Auctore ſynchrono *Spiritus Baptiſma* appellatur (*r*). S. Cyprianus in ſua ad Jubajanum epiſtola, Sacramenti, quod Confirmationis dicimus, clare meminit, dum de impoſitione manuum ab Apoſtolis facta ſupra Samaritanos a Philippo baptizatos ſcribit: *Quod nunc quoque apud nos geritur*, *ut qui in Eccleſia baptizantur*, *præpoſitis Eccleſiæ offerantur*, *& per noſtram orationem*, *& manuum impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur*, *& ſignaculo dominico conſummentur* (*ſ*). S. Cyprian.

S. Cypriani ævo Euchariſtia, & *mane*, & poſt cœnam celebrabatur; ſed ipſe potius *mane* celebrare adprobat, & commendat (*t*). Euchariſtiam *corpus*, *& ſanguinem Chriſti* appellat (*u*), & ſacri- De Euchariſtia.

(a) *Ep. 59. p. 231.* (b) *Ad Demetr. p. 523.*
(c) *Ep. 73. p. 316.* (d) *Ep. 73. p. 321.*
(e) *De hab. Virg. p. 412.* (f) *Ad Demetr. p. 522.*
(g) *Ep. 76. p. 365.* (h) *Concil. Cart. p. 697.*
(i) *Ep. 70. p. 300.* (k) *Ibid. pag. 301.* (l) *Ep. 76. p. 368.*
(m) *Cornel. Papa epiſt. ad Fabian. Antioch. apud Euſeb. lib. 5. Hiſtor.*
(n) *Ep. 59. p. 232.* (o) *Ep. 73. p. 325.*
(p) *Ibid. p. 326.* (q) *Firmil. ep. 75. pag. 353.*
(r) *Auct. Anon. apud Cypr. pag. 739.* (s) *Ep. 73. p. 316.*
(t) *Ep. 63. p. 259.* (u) *Ep. 54. p. 189.*

S. CYPRIAN.

ficium, quod *Judaicis ceſſantibus victimis* ſucceſſit (*a*), cujus typus fuit ſacrificium *Melchiſedech*, *qui Sacerdos Dei ſummi fuit*, *qui panem*, *& vinum obtulit*: nam & Chriſtus *ſacrificium Deo Patri obtulit .... panem*, *& vinum*, *ſuum ſcilicet corpus*, *& ſanguinem* (*b*). Addit, Chriſtum ſe *ipſum Patri obtuliſſe*, & Sacerdotes, qui *vice Chriſti funguntur*, ipſum imitantur, & quod ille obtulit, & ipſos offerre, ideſt ipſum Chriſtum (*c*), & in communione *corpus*, *& ſanguinem Domini manibus tangi* (*d*). *Sacerdotes ſacrificia Dei quotidie celebrabant* (*e*), fideles vero *Euchariſtiam ad cibum ſalutis quotidie accipiebant*, *niſi intercedente aliquo graviori delicto abſtinerent* (*f*), & bibebant quotidie Calicem Sanguinis Chriſti. Chriſti corpus *ſuis manibus accipiebant* (*g*) & quidem *cum timore*, *& honore* (*h*), *domum* etiam *deferebant* ſub ſpecie panis ſumendum (*i*); infantibus quoque dabatur (*k*), qui ſine difficultate & tunc temporis ad Sacram Synaxim admittebantur.

De Pœnitentia.

Ii, qui vel ab hæreſi, vel a ſchiſmate ad Eccleſiam revertebantur, *manuum impoſitione* recipiebantur (*l*), Sacerdotibus etiam *occultiora crimina* in confeſſione pandebantur (*m*), & condigna peragebatur pœnitentia. De pœnitentia hæc ſunt S. Cypriani axiomata: 1. corripiendos, qui vel ex ignorantia, vel nimis propere *ante expiata delicta*, *ante exomologeſim factam criminis*, *ante purgatam conſcientiam*, *abſolutionem*, *& pacem poſtulabant* (*n*): 2. veram pœnitentiam complecti, quod *nos in præteritum peccaſſe pœniteat .... & de cætero nos ambulare in viis ejus*, *& præcepta ejus metuere ſpondeamus* (*o*): 3. non ſatis eſſe Deum orare, & veniam petere, *ſed jejuniis*, *fletibus*, *planctibus* illum placare ſtudere debemus (*p*): 4. *Pacem ante tempus pœnitentibus datam*, *falſam eſſe*, *periculoſam dantibus*, *& nihil accipientibus profuturam* (*q*): 5. Sacerdotes eam immature dantes, *qui ovium paſtores eſſe debent*, *lanii fiunt* (r). Qui *probant lapſus ſui dolorem*, *oſtendunt verecundiam .... exhibent modeſtiam*, *provocant in ſe Dei clementiam*, *& debitum honorem Dei Sacerdotibus exhibentes alliciunt in ſe divinam miſericordiam* (*ſ*). *Pœnitentia minor crimine* eſſe non debet (*t*). Illos pœnitentium ſaluti conſulere, qui *non adulatione compoſita*, *ſed ſincera fide proſpiciunt*, *ut vera pœnitentia & gemitu*, *& dolore pleno Dominum deprecentur*, eique ſatisfaciant (*u*). Neceſſarium eſſe *Sacerdotibus ad improborum frænandam contumaciam rigorem*,

(a) *Ep. 63. p. 256.* (b) *Ibid. p. 249.*
(c) *Ibid. pag. 258.* (d) *Ep. 75. p. 366.*
(e) *Ep. 53. p. 189.* (f) *De Orat. Dom. p. 494.*
(g) *De Lapſis p. 444.* (h) *Teſt. lib. 3. cap. 93.*
(i) *De Lapſis p. 451.* (k) *Ibid. pag. 450.*
(l) *Epiſt. 71. pag. 305.* (m) *De Lapſ. p. 453.*
(n) *Ibid. p. 444.* (o) *Ep. 7. p. 46.*
(p) *De lapſ. p. 454.* (q) *Ibid. p. 443.*
(r) *Ep. 10. p. 56.* (s) *Ep. 30. p. 103.*
(t) *De lapſ. p. 457.* (u) *Ep. 28. pag. 97.*

rem, & ad lapſorum ſovendam pœnitentiam lenitatem (*a*). Non deſuerunt ante S. Cypriani tempora in Africa Epiſcopi, qui *pacem mœchis non dandam putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt* (*b*), cum ad pœnitentiam non ſint cogendi, quibus pax & communio pœnitentiæ fructus eripitur. At rigidior hæc diſciplina tempore S. Cypriani mitigata eſt, qui ſcribebat: *Mœchis a nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur* (*c*); ſed ſolum iis denegabatur, *qui pœnitentiam non agentes.... in infirmitatis periculo incipiebant deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum* (*d*). Gratiam pacis, & communionis Eccleſiæ non conſequebantur lapſi, niſi magnis laboribus, quippe qui toto pœnitentiæ ſtadio tenebantur jejuniis, orationibus, vigiliis, lacrymis, cæteriſque mœſtitiæ operibus vacare, ac humi, & in cinere cubare, ſaccum, & cilicia induere, omnem corporis cultum, & ornatum deponere, ac abjicere. Præterea *extra Eccleſiam* cenſebantur (*e*), nec ulli cum illis communicare fas erat, ut apparet ex ſententia excommunicationis lata in Gajum Didienſem Presbyterum, & ejuſdem Diaconum, qui *cum lapſis* communicaverant (*f*). Qui vero excommunicatione ab Eccleſia ejiciebantur, veluti *gladio quodam ſpirituali necabantur* (*g*). Hoc autem ſpirituali gladio uti permittit Epiſcopis adverſus eos, qui *injuriis, & contumeliis* (*h*) eorum dignitatem læderent; quo & ipſe S. Cyprianus non ſemel eſt uſus; at ſolum adverſus graviorum criminum reos, & qui aliis erant offenſioni, & quando opus eſſe ad epiſcopalem dignitatem, & Eccleſiæ honorem tuendum arbitraretur (*i*).

S. CYPRIAN.

De morum doctrina.

Orationi jungenda docet bona opera, & eleemoſynas, quia ſcriptum eſt: *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna* (*k*); nam *orationes noſtræ minus poſſunt, niſi eleemoſynis adjuventur* (*l*). Orationes noſtræ, ut Deo ſint acceptæ, a ſimplici, & humili, & pacifico corde debent proficiſci cum ſpe, & fiducia; & non voce ſola, ſed *& jejuniis, & lacrymis ingemiſcentes, deprecari debemus* (*m*). *Qui precatur, non pro ſe tantum precetur, ſed pro toto populo, quia totus populus unum ſumus* (*n*), *& pro pace Eccleſiæ* (*o*). Jeſus Chriſtus *ipſe orandi formam dedit, quæ Patri* (*p*) gratiſſima eſt, & quæ omnia petenda continet, adeo ut *aliter orare, quam docuit, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa* (*q*). Con-

(a) *Ep.* 45. *p.* 146. (b) *Ep.* 52. *p.* 177.
(c) *Ibid. p.* 176. (d) *Ibid. p.* 179.
(e) *Ep.* 62. *p.* 143. (f) *Ep.* 28. *p.* 97.
(g) *Ep.* 62. *p.* 244. (h) *Ep.* 65. *p.* 267.
(i) *Ep.* 41. *pag.* 125. *& ep.* 55. *p.* 267.
(k) *De Orat. Dom. p.* 502. (l) *De Oper. & eleem. p.* 563.
(m) *Ep.* 7. *p.* 43. (n) *De Orat. Dom. p.* 487.
(o) *Ep.* 7. *pag.* 74. (p) *De orat. Dom. p.* 483. (q) *Ibid.*

S. CYPRIAN.

tinua (ſubdit) *oratione, & prece opus eſt, ne excidamus a regno cœleſti* (*a*): & dum *pro peccatis rogare compellimur, ſalutariter admonemur, quod peccatores ſumus* (*b*); & dum oramus, non *clamoſa petitione* opus eſt, *nec voce, ſed corde* orandum, quia *hoc eſt quod Deus audit* (*c*). Addit præterea S. Cyprianus, *in orationibus tres pueros cum Daniele obſervaſſe .... horam tertiam, ſextam, nonam, Sacramento ſcilicet Trinitatis, quod in noviſſimis temporibus manifeſtari habebat* (*d*). *Quidquid ſimul petitur a cunctis Deus pacis, pacificis exhibetur* (*e*); *conſenſio una, ſimplex, & juncta concordia* neceſſaria eſt, ut *impetremus, quod petimus* (*f*). Nam Deus *magis eſt* cum duobus, *aut tribus unanimiter orantibus, quam cum diſſidentibus plurimis* (*g*). *Nam diſcordans, & diſſidens cum fratribus, nec ſi pro nomine Chriſti occiſus fuerit, crimen diſſenſionis fraternæ poterit evadere* (*h*). *Panem* apud Schiſmaticos, *qui unitatem diſſipant*, edere, & aquam *bibere prohibemur* (*i*). *Quiſquis nec unitatem ſpiritus, nec conjunctionem pacis obſervat .... Epiſcopi nec poteſtatem habere, nec honorem poteſt* (*k*). *Superba eſt obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, ut quis putet a frumento univerſa zizania humano judicio ſeparare; ſed laborandum eſt, ut frumentum eſſe poſſimus* (*l*). Hæretici *nec Altare habent, nec Eccleſiam, & Euchariſtia fieri apud illos non poteſt* (1). Temerarium eſt, *cum jampridem per omnes Provincias, & Urbes ſingulas ordinati ſunt Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri*, ſuper eos creare alios pſeudo-epiſcopos (*m*), *qui nemini ſuccedentes a ſe ipſis oriuntur* (*n*), *& corruptores Evangelii, atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt partim memores, & partim ſubdole comprimentes* (*o*). *Non homines ab Eccleſia dividit, qui conſtituit, & facit Eccleſiam, ſed ipſi* hæretici, & ſchiſmatici *ſciſſi ſunt* (*p*). Periculoſum cum his commiſceri, *cum quibus non eſt Chriſtus, qui charitatem non habentes, Deum non habent, qui licet ardeant flammis, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illis fidei corona, ſed pœna perfidiæ* (*q*). *Hinc hæreſes & factæ ſunt frequenter, & fiunt*, dum Eccleſiam non audiunt, *dum perverſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans non tenet unitatem* (*r*).

De reditibus Eccleſiæ; & eorum uſu: de cura Infirmorum: de Decimis: de concordia fidelium.

Suos habebat Eccleſia cenſus, & reditus, quos in ſingulos menſes

---

(a) *Ibid. pag.* 491. (b) *Ibid. p.* 496.
(c) *Ibid. p.* 485. (d) *Ibid. p.* 503.
(e) *Ep.* 56. *p.* 223. (f) *Ep.* 7. *p.* 44.
(g) *De Unit. Eccl. p.* 472. (h) *De Orat. Dom. p.* 498.
(i) *Ep.* 76. *p.* 360. (k) *Ep.* 52. *p.* 180.
(l) *Ep.* 51. *p.* 160.
(1) Intellige licite, & fructuoſe, in utilitatem videlicet tum dantis, tum accipientis.
(m) *Ep.* 57. *p.* 180. (n) *Ep.* 76. *p.* 362.
(o) *De Unit. Eccl. p.* 471. (p) *Ibid.*
(q) *Ibid. p.* 474. (r) *Ibid. p.* 470.

ſes Clericis diſtribuebat ad eorum ſubſtentationem (*a*), & *pauperibus*, *qui alimentis Eccleſiæ ſubſtentabantur* (*b*); *ii tamen*, *qui in fide ſtantes*, *&* *fortiter militantes caſtra Chriſti non reliquerunt* (*c*); iis quoque, *qui artem ſuam exercere volebant*, *additamenta*, *quantum ſatis erat*, ſuppeditabantur (*d*). Idcirco *corba*, ideſt capſula eleemoſynis excipiendis in Templis ponebatur (*e*). Fideles, etſi pauperes, *materiam pro ſacrificio* ſuppeditabant (*f*): *Decimas* etiam ſolvebant (*g*). Inter Miniſtros Eccleſiæ erant, quibus cura demandata erat deferendi Euchariſtiam pauperibus, & infirmis, & tingendi catechumenos ad mortem ægrotantes. Ex pluribus Operum S. Cypriani locis apparet manifeſte, ævo ſuo *viſiones multas*, *&* *manifeſtas factas eſſe* (*h*), & etiam *puerorum innocens ætas in extaſi videt oculis*, *&* *audit*, *&* *loquitur ea*, *quibus nos Dominus monere*, *&* *inſtruere dignatur* (*i*). Illos vero reprehendit, quibus ea *ſomnia ridicula*, *&* *viſiones ineptæ videbantur* (*k*). Defunctos *deſiderari*, *non plangi debere*, *nec accipiendas eſſe hic atras veſtes*, *quando illi in cælo indumenta alba jam ſumpſerunt* (*l*).

S. CYPRIAN.

De S. Cypriani mente circa Baptiſmum hæreticorum.

In S. Cypriani geſtis, & vita unus tantum apparet nævus, nimirum error, in quem eſt lapſus, de Hæreticorum Baptiſmate. Arbitrabatur ſiquidem Sanctiſſimus Martyr, Hæreticorum omnium Baptiſma nullum eſſe, & invalidum, & omnes a quacumque hæreſi revertentes iterum baptizandos, quia Hæretici Spiritum Sanctum cum non haberent, nec dare aliis poterant. Dignus tamen excuſatione eſt, quippe qui Eccleſiæ unitatem ſemper, & charitatem conſtantiſſime ſervavit, & malam cauſam bona fide tuebatur, quia bonam putabat, & rebaptizandi, vel non rebaptizandi hæreticos morem, tanquam non ad dogmata, ſed ad ſolam diſciplinam pertinentem reſpiciebat, quem qui vel tenerent, vel reſpuerent, minime a fide ſive aberrarent, ſive recederent. Quod manifeſte apparebit ex iis, quæ in epiſtola ad Stephanum Papam ſcripſit.

S. Cypriani epiſtola ad S. Stephanum Papam.

Videns S. Cyprianus, de Hæreticorum Baptiſmo controverſiam potius quam extingui, ſemper magis fervere, ſecundum coegit Concilium ſeptuaginta, & unius Epiſcoporum, ex Provinciis Africæ, & Numidiæ, in *quo multa quidem prolata*, *&* *tranſacta ſunt*; ſed præcipue definitum fuit, *eos*, *qui ſunt foris extra Eccleſiam tincti*, *&* *apud hæreticos*, *&* *ſchiſmaticos prophanæ aquæ labe maculati*, *quando ad Eccleſiam venerint*, *baptizari oportere*, *eo quod parum ſit eis manus imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum* (*m*). Statutum etiam fuit, ut Presbyteri, & Diaconi apud Hæreticos ordinati,

(a) *Ep.* 66. *p.* 271. (b) *Ep.* 61. *p.* 238.
(c) *Ep.* 37. *p.* 125. (d) *Ep.* 38. *ibid.*
(e) *De oper. & eleem. p.* 569. (f) *Ibid.*
(g) *De unit. Eccl. p.* 481. (h) *Ep.* 54. *p.* 191.
(i) *Ep.* 9. *p.* 54. (k) *Ep.* 69. *pag.* 298.
(l) *De Mortal. p.* 554. (m) *Ep.* 72. *pag.* 307.

S. CYPRIAN.

nati, aut qui, accepta ſacra ordinatione in Eccleſia, in hæreſim lapſi ſunt, *ad pœnitentiam quidem agendam poſſent admitti*, *ab ordinatione autem cleri*, *& Sacerdotali honore prohiberi*, eiſque ſatis eſſe debere, ſi cum laicis communicare concedatur (*a*). De his omnibus S. Cyprianus S. Stephanum Romanum Pontificem per epiſtolam Synodicam certiorem fecit, *credens*, quod ſicut nihil conſtitutum arbitrabatur, quod pietati, & veritati non conveniret, ita *illi pro ſua religione*, *& fidei veritate* placiturum (*b*). Subdit tamen: „ Cæterum ſcimus, quoſdam, quod ſemel imbiberint, nolle „ deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare; ſed ſalvo inter „ collegas pacis, & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud „ ſe ſemel ſint uſurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam „ facimus, aut legem damus, quando habeat in Eccleſiæ admini- „ ſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque præpoſi- „ tus, rationem actus ſui Domino redditurus “ (*c*).

Reſponſione Stephani huic Synodali epiſtolæ caremus; at ex fragmento, quod ſupereſt, ſcimus, ipſum contra ſenſiſſe, & controverſiam de non repetendo Baptiſmate in hæc verba definiiſſe: „ *Si* „ *quis a quacunque hæreſi venerit ad vos*, *nihil innovetur*, *niſi* „ *quod traditum eſt*, *ut manus illi imponatur in pœnitentiam*, *cum* „ *ipſi Hæretici proprie alterutrum ad ſe venientem non baptizent*, „ *ſed communicent tantum* “ (*d*). Et ita Concilii Carthaginenſis rejecit definitionem, addens, ſe nullam impoſterum cum Cypriano, & Coepiſcopis ſuis communionem habiturum, niſi a ſtatutis hac de re recederent. Hæc omnia ex ipſo diſcimus Cypriano, qui hæc in ſua ad Pompejum epiſtola narrat, ac ita Stephani Decretum exhibet, ut quidam Critici non defuerint, arbitrati S. Stephanum in oppoſitum incidiſſe errorem, quaſi docuiſſet, quodcunque Baptiſma ab Hæreticis collatum, licet legitima deſtitutum forma, pro rato, & valido habendum eſſe. At Euſebius, S. Auguſtinus, Vincentius Lirinenſis, & Facundus, probe expenſis, quæ de Stephano recitat Cyprianus, cenſuerunt, Stephanum, nonniſi antiquam, & veram Eccleſiæ doctrinam tradidiſſe. Ideoque S. Auguſtinus, qui non uno in loco S. Cypriani opinionem confutat, nunquam tamen Stephani doctrinam reprehendit, ſed ſolum in iis, quæ de Baptiſmo ſcripſit, Cypriani argumenta refellit, ut veram, & ſuo ævo communem Eccleſiæ doctrinam tueretur, & propugnaret.

AR-

(a) *Ep.* 68. *p.* 288. *& ep.* 72. *p.* 309.
(b) *Ep.* 72. *p.* 310. (c) *Ibid.*
(d) *Ep.* 74. *p.* 331.

S. Cyprian.

ARTICULUS QUARTUS.

Aſcetica S. Cypriani documenta.

I. NON qui beneficiorum terreſtrium mos eſt, in capeſſendo munere cæleſti, menſura ulla vel modus eſt. Profluens largiter ſpiritus, nullis finibus premitur.... manat jugiter, exuberat affluenter: noſtrum tantum ſitiat pectus & pateat; quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. (*Epiſt.* 1. *ad Donat.*) — Abundantia, & efficacia gratiæ in corde bene diſpoſito.

II. Movet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem. (*Ibidem.*) — Comœdia reprobatur.

III. Non intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri, & poſſideri magis, quam poſſidere divitias atque opes. O deteſtabilis cæcitas mentium, & cupiditatis inſanæ profunda caligo! cum exonerare ſe poſſit, & levare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare: pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. (*Ibidem.*) — Avari ſtultitia.

IV. Ubi non niſi præcepta Dei, & Chriſti præmia cogitantur, voluntas eſt illic tantum Dei, & in carne licet adhuc poſitis, vita non vivitur jam præſentis ſæculi, ſed futuri. (*Ep.* 15. *Moyſi & Maximo.*) — Aſſidua divinæ legis, & promiſſorum meditatio.

V. Non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum collegium quidquam moveret; nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, judicem ſe, non jam Epiſcopi, ſed Dei faceret .... niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet ſine Dei judicio fieri Sacerdotem. (*Ep.* 55. *ad Cornel.*) — Inobedientia erga Epiſcopos fons malorum in Eccleſia.

VI. Quam gravis cauſa ſit hominis Chriſtiani, ſervum pati nolle, cum prior paſſus ſit Dominus: & pro peccatis noſtris nos pati nolle, cum peccatum ſuum proprium non habens paſſus ſit ille pro nobis? Filius Dei paſſus eſt, ut nos filios Dei faceret; & filius hominis pati non vult, ut eſſe Dei filius perſeveret. (*Ep.* 56. *ad Cornel.*) — Turpe fugere tribulationes, dum Chriſtus tanta pro nobis paſſus eſt.

VII. Incumbamus gemitibus aſſiduis, & deprecationibus crebris. Hæc ſunt enim nobis arma cæleſtia, quæ ſtare & perſeverare fortiter faciunt ... Utrobique pro nobis ſemper oremus, preſſuras & anguſtias mutua charitate relevemus. Et ſi quis iſtinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Deum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio. (*Ep.* 57. *ad Cornel.*) — Mutua fidelium oratio tum viventium, tum defunctorum.

VIII.

S. CYPRIAN.

Virginitatis nobilitas.

VIII. Virgines ſunt flos Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum; Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas: quantoque plus copioſa virginitas numero ſuo addit, tanto plus gaudium matris augeſcit. (*De diſcipl. & habit. Virg.*)

Exquiſita ornamenta virginitatis inimica.

IX. Si tu te ſumptuoſius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, ſuſpiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpirandi fomenta ſuccendas; ut etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas; excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus; nec computari jam potes inter virgines Chriſti, quæ ſic vivis, ut poſſis adamari. (*Ibidem.*)

Divitiis ſolum ad ſalutem utendum.

X. Iis, quæ poſſidere te Deus voluit, utere; ſed ad res ſalutares, ſed ad bonas artes, utere, ſed ad illa, quæ Deus præcepit, quæ Deus oſtendit. Divitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes... ut ad Domini præmia pervenire tibi contingat, multorum precibus exora .... poſſeſſiones tibi ſed cæleſtes magis compara, ubi fructus tuos juges ac perennes, & ab omni contactu injuriæ ſæcularis immunes nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec ſol urat, nec pluvia corrumpat. Nam delinquis & hoc ipſo in Deum, ſi ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non ſalubriter perfruaris.... alioqui tentatio eſt patrimonium grande, niſi ad uſus bonos ſenſus operetur; ut patrimonio ſuo unuſquiſque locupletior magis redimere debeat, quam augere delicta. (*Ibidem.*)

Ornatus ſollicitudo, & ſtudium, ſolum impudicas fœminas decet.

XI. Ornamentorum ac veſtium inſignia, & lenocinia formarum, non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt; & nullarum fere pretioſior cultus eſt, quam quarum pudor vilis eſt. Sic in Scripturis Sanctis deſcribitur civitas meretrix, compta pulchrius & ornata, & cum ornamentis ſuis, ac propter ipſa potius ornamenta, peritura.... Fugiant caſtæ virgines habitus impudicarum, ornamenta meretricum. (*Ibidem.*)

Fucos deteſtatur.

XII. Pro timore, quem nobis fides ſuggerit, pro dilectione, quam fraternitas exigit, non virgines tantum aut viduas, ſed & nuptas puto, & omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei, & facturam ejus adulterare nullo modo debeant, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore. Dicit Deus: *faciamus hominem ad imaginem noſtram*, & audet quiſquam mutare & convertere, quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt: neſcientes, quia opus Dei eſt, quod naſcitur; diaboli, quodcunque mutatur. (*Ibidem.*)

Mulierum fucos, & e-

XIII. Ut impudica circa homines fucis lenocinantibus non ſis; cor-

corruptis quæ Dei ſunt pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta divini operis, prævaricatio eſt veritatis .... de inimico tuo compta, cum illo pariter & arſura. Viderint quid ſibi nuptæ per placendi ſtudium de conjugum ſolatio blandiantur, quos dum in excuſationem ſuam proferunt, ad ſocietatem criminoſæ conſenſionis adſciſcunt. (*Ibidem.*)

S. Cyprian. mentitos colores adprobare, carnm peccatis communicare eſt.

XIV. Quid de eo boni ſentias? jacens ſtantibus, & integris vulneratus minatur: & quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. O nimiam, furioſe, dementiam! iraſceris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur, ei minaris, qui pro te Domini miſericordiam deprecatur; qui vulnus tuum ſentit, quod ipſe non ſentis; qui pro te lacrymas fundit, quas forſitan ipſe non fundis. (*De lapſ.*)

Peccatores, nimium properam abſolutionem petentes reprehendit.

XV. Vos fratres dilectiſſimi, quorum timor in Deum pronus eſt.... pœnitentes, ac dolentes peccata veſtra percipite.... nec deſperantes miſericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes. Deus quantum Patris pietate, indulgens ſemper, & bonus eſt, tantum judicis majeſtate metuendus eſt. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor non ſit. (*Ibidem.*)

Pœnitentia ſit peccatis proportionata.

XVI. Pacem quærere debet, & ſequi filius pacis, a diſſenſionis malo continere linguam ſuam debet, qui novit & diligit vinculum charitatis. Inter divina ſua mandata paſſioni jam proximus Dominus addidit: *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.* Hanc nobis hæreditatem Chriſtus dedit; dona omnia ſuæ pollicitationis, & præmia in pacis conſervatione promiſit. Si hæredes Chriſti ſumus, in pace Chriſti maneamus. (*De Unit. Eccleſiæ Cath.*)

Amanda, & retinenda conſtanter pax Jeſu Chriſti.

XVII. Nemo futurorum metum cogitat, diem Domini, & iram Dei.... quod metueret conſcientia noſtra, ſi crederet: quia non credit omnino, nec metuit: ſi autem crederet, & caveret: ſi caveret, evaderet. (*Ibidem.*)

Exilitas fidei exilitatem timoris divinorum judiciorum parit.

XVIII. Quando peccatores pro delictis noſtris petimus, advocati noſtri verba promamus. Nam cum dicat; quia quodcumque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis: quanto efficacius impetramus, quod petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione? (*De orat. Domin.*)

Orationis Dominicæ virtus & efficacitas.

XIX. Voluntas Dei eſt, quam Chriſtus fecit & docuit: humilitas in converſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis juſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, injuriam facere non noſſe, & factam poſſe tolerare; cum fratribus pacem tenere; Deum toto corde diligere; amare in illo, quod Pater eſt; timere, quod Deus eſt; Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præpoſuit; cruci ejus fortiter ac fidenter

Quid ſit Dei voluntatem facere.

atti-

S. CYPRIAN.

aſſiſtere; quando de ejus nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam, qua confitemur, in quæſtione fiduciam, qua congredimur, in morte patientiam, qua coronamur. Hoc eſt cohæredem Chriſti eſſe velle, hoc Patris voluntatem adimplere. (*Ibidem.*)

Euchariſtia Chriſtianorum panis.

XX. Hunc *panem noſtrum* dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes a cæleſti pane prohibemur, a Chriſti corpore ſeparemur. (*Ibidem.*)

Longævitas non deſideranda.

XXI. Contrarium ſibi fit, & repugnans, ut quæramus in ſæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire. (*Ibidem.*)

Humilis orationis efficacitas.

XXII. Dum præcedit humilis confeſſio, & datur totum Deo; quidquid ſuppliciter cum timore, & honore Dei petitur, ipſius pietate præſtatur. (*Ibidem.*)

Attentio in oratione neceſſaria, ut exaudiamur.

XXIII. Quando ſtamus ad orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat; nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem, præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes dicendo: *ſurſum corda*, ut dum reſpondet plebs: *habemus ad Dominum;* admoneatur, ſe nihil aliud, quam Dominum cogitare debere. (*Ibidem.*)

De eodem argumento.

XXIV. Quomodo te audiri a Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? vis eſſe Deum memorem tui, cum rogas; quando tu ipſe memor tui non ſis?... Hoc eſt, quando oras Deum, majeſtatem Dei, negligentia orationis, offendere. Hoc eſt vigilare oculis, & corde dormire; cum debeat Chriſtianus, ſicut ſcriptum eſt ex perſona Eccleſiæ loquentis in Cantico, *& cum dormit oculis, corde vigilare.* (*Ibidem.*)

Eleemoſyna inſtar ſacrificii eſt.

XXV. Beatus Apoſtolus Paulus opera bona, quæ fiunt, ſacrificia Dei dixit eſſe .... Nam quando quis miſeretur pauperis, Deo donat; ſpiritaliter Deo ſuavitatis odorem ſacrificat. (*De eleemoſyn.*)

Spes futurorum bonorum, ad mala præſentis vitæ toleranda cum gaudio conducit.

XXVI. Vinea licet fallat, & herbis ſiccitate morientibus, æſtuans campus areſcat; quid hoc ad Chriſtianos, ad Dei ſervos, quos paradiſus invitat, quos gratia omnis, & copia regni cæleſtis expectat? gaudent ſemper in Deo ſuo; & mala, atque adverſa mundi fortiter tolerant, dum dona, & proſpera futura proſpiciunt. (*Contr. Demet.*)

Pœnæ ad Deum agnoſcendum compellunt.

XXVII. Cum mala accidunt, ſciatis hanc iram Dei eſſe cenſuram: ut qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur. (*Ibidem.*)

Unitas, & magnitudo Dei.

XXVIII. Rex unus eſt apibus, & dux unus in gregibus: multo magis mundi unus eſt rector, qui univerſa, quæcunque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt; nec æſtima-

ſtimari, ſenſu major eſt: & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Quod vero templum habere poſſit Deus, cujus templum totus eſt mundus? in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro conſecrandus eſt pectore. Nec nomen Dei quæras: Deus nomen eſt illi. Illic vocabulis opus eſt, ubi propriis appellationum inſignibus, multitudo dirimenda eſt. Deo, qui ſolus eſt, Deus vocabulum totum eſt. (*De Idol. van.*)

S. CYPRIAN.

XXIX. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur; & delectat hic inter diaboli gladios diu ſtare, cum magis optandum ſit, ad Chriſtum, ſubveniente velocius morte, properare. (*Tract. de Mortal.*)

Mors optanda, ceu finis malorum, & diſcriminum vitæ.

XXX. Quam præpoſterum eſt, quamque perverſum, ut cum Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus! Obnitimur, & reluctamur, & pervicacium more ſervorum ad conſpectum Domini cum triſtitia, & mœrore perducimur; exeunte iſtinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis: & volumus ab eo præmiis cæleſtibus honorari, ad quem venimus inviti? Quid ergo oramus, & petimus, ut *adveniat regnum* cælorum, ſi captivitas terrena delectat? quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poſcimus, ut acceleret dies regni, ſi majora ſunt deſideria, ſervire iſtic diabolo, quam regnare cum Chriſto? (*Ibidem.*)

Chriſtianus mortem refugere non debet, qua ad Deum pervenit.

XXXI. Identidem cogitandum eſt, renunciaſſe nos mundo; & tanquam hoſpites, & peregrinos iſtic interim degere. Amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo; qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſæcularibus exſolutos, paradiſo reſtituit, & regno cæleſti. Quis non peregre conſtitutus properaret in patriam regredi? quis non ad ſuos navigare feſtinans, ventum proſperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti? patriam noſtram paradiſum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus, & currimus, ut patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum copioſa turba deſiderat; jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune lætitia eſt? qualis illic cæleſtium regnorum voluptas ſine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? quam ſumma, & perpetua fælicitas? (*Ibidem.*)

Optanda mors deſiderio æternitatis fruendæ.

XXXII. Sed retardat te numeroſitas filiorum, quo minus largiter bonis operibus inſiſtas: at quin hoc ipſo operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures ſunt, pro quibus Dominum depreceris, multorum delicta redimenda ſunt, multorum animæ liberandæ. (*De opere, & Eleemoſyn.*)

Multiplicitas filiorum ad eleemoſynas multiplicandas impellere debet.

XXXIII. Præclara, & divina res, ſalutaris operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati. (*Ibidem.*)

Eleemoſynæ utilitas, & præſtantia.

XXXIV.

S. CYPRIAN.

Salutaris occupatio tentationes amovet.

XXXIV. Sit ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in ſenſibus Dominica cogitatio. Oratio non ceſſet, ſpiritualibus ſemper actibus occupemur, ut quotieſcunque inimicus acceſſerit, & clauſum adverſum ſe pectus inveniat, & armatum. (*De zelo, & livore.*)

Euchariſtiæ ſumptio mala lenit.

XXXV. Si de Sacramento crucis & cibum ſumis & potum, lignum, quod apud Mara profecit in imagine ad ſaporis dulcedinem, tibi in veritate proficiet ad mulcendi pectoris lenitatem. (*Ibidem.*)

CA-

CAPUT OCTAVUM.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS

In Palæſtina Epiſcopus.

ARTICULUS PRIMUS.

Ejus Vitæ Breviarium.

EUSEBIUS celebris Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus omnium ſui temporis ſapientiſſimus ſub extrema, ut videtur, Gallieni tempora natus eſt. Arctiſſimo amicitiæ vinculo S. Pamphilo, qui martyrium paſſus eſt XV. Kal. Martii anni 309. furente Diocletiani perſecutione, conjunctus fuit, unde ut Sanctiſſimi Martyris memoriam jugiter ſervaret, & ſe venerari profiteretur, Pamphili nomen ſuo adjunxit. Celebrem Cæſareæ Cathedram moderatus, primo Presbyter, deinde verò ejus Urbis Epiſcopus anno 313. eligitur, & conſecratur. Nicæno Concilio, anno 325. celebrato, interfuit, & in dextero cornu primum locum obtinuit, & Imperatorem Conſtantinum, qui inter duos conſidentium ordines medius in aurea Sella reſidebat, totius Synodi nomine compellavit. Arii errores damnavit, formulamque fidei orthodoxam Patribus propoſuit, cui tamen vocem *homouſion*, ſeu *conſubſtantialem* addendam cenſuere Patres. Et initio quidem Euſebius *conſubſtantialis* vocem admittere recuſabat, ſed poſtea edoctus a reliquis Epiſcopis, quænam eſſet hujus verbi vis atque ſententia, huic fidei tandem conſenſit, & ſubſcripſit. Interfuit etiam Antiocheno Concilio anno 330. celebrato, in quo Euſtathius illius Urbis Epiſcopus inique ſua fuit Sede depulſus, alium tamen ejus loco Præſulem ſubſtituere recuſavit. Interfuit & Synodo Tyri celebratæ anno 335. adverſus S. Athanaſium, ſicut & alteri Synodo in dedicatione Eccleſiæ Hieroſolymis coactæ, a cujus Epiſcopis Conſtantinopolim legatus miſſus eſt ad Conſtantinum, ut judicium contra Athanaſium latum tueretur, & tunc tricennalem coram Imperatore (qui eodem obiit anno) orationem habuit, in qua ipſius laudes exquiſitiſſime celebravit. Non diu Conſtantino ſuperſtes fuit Euſebius.

[Margin notes: EUSEBIUS. — Euſebii ortus circa annum Christi 264. — Cæſareæ Presbyter primum, deinde Epiſcopus conſecratur. — Nicæno adfuit Concilio. — Arii errores damnavit. — Pluribus interfuit Conciliis.]

Plura habentur Euſebii Opera, & quidem apud omnes ſummo in pretio habita, & 1. quidem Hiſtoria Eccleſiaſtica decem libris comprehenſa, cujus optimam editionem græco-latinam adornavit Hen-

[Margin note: Operum Catalogus.]

EUSEBIUS. Henricus Valeſius. Hujus hiſtoriæ tanta eſt dignitas & excellentia, ut Euſebius ubique *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Pater & Conditor* audiat. Eam gallice vertit Præſes Couſinus. 2. Vita Conſtantini quatuor libris digeſta. 3. Tractatus adverſus Hieroclem. 4. Libri de Præparatione, & Demonſtratione Evangelica; hujus tamen poſtremi Operis initium & finis in omnibus editionibus deſiderantur, quæ tamen publica luce donavit Fabricius anno 1725. in ſua Bibliotheca Auctorum de Chriſtiana Religione tractantium. 5. Chronicon latine redditum a S. Hieronymo. 6. Commentaria in Pſalmos (1), & nonnulla alia Opuſcula. In hiſce Operibus maxime elucet eruditio, & Antiquitatum ſumma cognitio, facundiam ſublimem illius produnt, ac Euſebium inter ſui temporis Scriptores omnium cordatiſſimum, & doctiſſimum oſtendunt.

Euſebii Cæſarienſis Italico ſermone habentur: *I. Hiſtoria Eccleſiaſtica* ab Anonymo verſa, Venetiis per Nicolaum Tramezino 1547. *II. De Præparatione Evangelica* per eundem 1550. *III. Adverſus Hieroclem*, cujus verſio habetur in libro, cui titulus: *Filoſtrato Ramio della Vita d' Apollonio Tianeo tradotto per Meſſer Franceſco Baldelli con una Confutazione ovvero Apologia d' Euſebio contro Jerocle, il quale ſi sforzava per l' Iſtoria di Filoſtrato d' aſſomigliare Apollonio a Chriſto, tradotta per il medeſimo*, Florentiæ apud Laurentium Torrentino 1549. *Ex Argelato & Paitonio.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Analyſis præcipuorum Euſebii Operum.

Analyſis Reſponſionis Euſebianæ ad duos Hieroclis libros exaratæ circa annum 303.

PRIMUM ex Operibus ab Euſebio exaratis videtur eſſe ad duos Hieroclis (2) libros (quibus titulum fecerat *Philalethes*, ſeu *Veritatis Amatores*) Reſponſio, ſeu verius illorum refutatio. Hanc compoſuit Euſebius paulo poſt editos ipſius Hieroclis libros, primis videlicet annis, quibus deſæviit generalis Diocletiani adverſus Eccleſiam perſecutio, ideſt circa annum 303.

Opus

(1) Oſcitanter Auctorem noſtrum legiſſe dicendus eſt Scriptor Annalium Litterariorum Italiæ, dum in ſuo de extranea Litteratura Tom. 2. lib. 4. art. 8. pag. 609. Editionis Venetæ (falſo Mutinenſis) expenſis Antonii Zattæ ſic ſcribit: *Inter Opera Euſebii A. N. minime recenſet Commentaria in Pſalmos a PP. Benedictinis edita in quadam Collatione varia amplectente Veterum Patrum ſcripta.* Nam & hic aperte ea Commentaria commemorat ac recenſet, & articulo quarto pluribus in locis allegat, & quidem juxta Editionem Clariſſimi Montfauconii, ac nonnulla in rem ſuam excerpſit, ut ex citationibus eo articulo producendis, atque ex eo deſcriptis luculentiſſime patefiet.

(2) Hierocles inter Paganos Magiſtratum gerebat. Primo Præfectorum vices geſſit; deinde ad Præturam Bithyniæ & Ægypti aſſumptus fuit.

Opus inſcripſit Amico, cujus nomen reticet, & qui Chriſti Domini cum Apollonio Thyanæo comparatione percuſſus videbatur. Cum vero Hierocles impiam hanc comparationem inſtitueret ex hujus Philoſophi Vita & Geſtis a Philoſtrato exaratis (1), hunc unum ſibi præfixit ſcopum Euſebius, falſitatem illius hiſtoriæ oſtendere & palam facere. Scribit itaque: „ (a) Non id quidem hoc loco inſpicitur, uter majore præſtet divinitate, plurave miracula & „ illuſtriora effecerit: neque quod de uno tantum Redemptore no„ ſtro, ac Domino Jeſu Chriſto in humanitatem venturo divinitus „ inſpirati Prophetæ a ſæculo vetuſtatis hebraicæ prædixerunt: non „ quod multo plures idem Jeſus cæleſtis doctrinæ verbo ad ſe con„ vertit: non quod ingenuis ac legitimis diſcipulis claruerit, para„ tis ultro pro illius doctrina mortem ſubire: non quod frugalis „ vitæ ludum ſolus aperuit futuris quoque ſæculis fructuoſum: „ non quod virtute ſuæ Divinitatis orbi terrarum ſalutaris affulſit, „ hodieque multa hominum millia undique ad hauſtum divinæ Sa„ pientiæ ſuæ trahit: non quod unus ab hominum genere tot jam „ ſæculis oppugnatus, contra tamen hoſtiliter impellentes, ſive illi

EUSEBIUS.

 „ Gen-

(1) Philoſtratus natus eſt in Inſula Ægei Maris Lemnos dicta. Romam venit, imperante Severo, circa finem ſecundi ſæculi; ibique Rhetoricam docuit uſque ad Philippi imperium, videlicet uſque ad annum circiter 244. quam artem Athenis profeſſus fuerat, unde & Athenienſis ab Euſebio dicitur. Imperante Severo, & efflagitante Imperatrice Julia, Apollonii Thyanæi ſcripſit hiſtoriam, quam, ut ipſe ſcribit, ex Damidis Apollonii diſcipuli, & geſtorum ejus teſtis & comitis aſſidui Commentariis, nec non ex Scriptis Maximi Egei decerpſerat. Verum puram putamque fabellam ſcripſiſſe Philoſtratum, ut fidem omnem adimeret miraculis a Chriſto, ejuſque Apoſtolis patratis, oſtendit in ſuo libro adverſus Hieroclem Euſebius declarans itidem, plane contradictoria, abſurda, atque ab omni veritatis ſpecie abhorrentia in ea narratione contineri, quam Philoſtratus, nonniſi centum poſt Apollonii obitum elapſis annis, ſcripſit & evulgavit.

Apollonius Thyanæ Cappadociæ oppido natus tertio vel quarto ante Chriſtum anno, celebris Impoſtor, Philoſophiæ Pythagoricæ ſectator fuit, vitamque egit aſperrimam venere, vino, carnibus, & piſcibus abſtinens. Sua verſutia plures ſibi adſcivit diſcipulos, a quibus ceu Numen habitus fuit. Tandem cum diutius Orbi ſuis illuſiſſet impoſturis, grandævus ſub finem primi ſæculi obiit, nullo ſui obitus teſte, nec Damide quidem inter diſcipulos cariſſimo, & ſuarum impoſturarum ſocio. Dupinius in ſua Apollonii Thyanæi hiſtoria probat & evincit: 1. Apollonii hiſtoriam nullo fide digno teſte fulciri: 2. Philoſtratum fabellam conſcripſiſſe: 3. Miracula Apollonio tributa, luculenta præſeferre falſitatis argumenta, & nec unum aſſerri, quod vel verſutiæ, vel fortuito caſui, vel impoſturæ tribui nequeat: 4. Hujus Philoſophi doctrinam rectæ rationi adverſari. Quæ omnia ad pudefaciendos inſerviunt ſciolos illos, qui Hieroclem imitati, Apollonii impoſturas & fraudes cum veris Chriſti miraculis comparare non reformidant.

(a) *Ad Hieroclem paulo poſt init. pag.* 513. *Ed. Col.* 1688.

EUSEBIUS. „ Gentium Reges, ſive ſubjecti, invictus ac inexpugnabilis durat ro„ bore quodam Divinitatis occulto .... non denique quod virtutis „ entheæ vim nunc quoque plane teſtatur, impuros Dæmones, vel „ corporibus hominum, vel animis inſidentes, ſacroſancta dumtaxat nominis ſui compellatione extrudens. Hæc enim ſecum de „ Apollonio cogitare ſummæ cujuſdam ſit, ne dum alios ſciſcitari, dementiæ “. Omiſſis itaque ab Euſebio omnibus hiſce luculentiſſimis de Chriſti Divinitate argumentis, ſubdit: „ Si unam „ modo Philoſtrati penſitemus hiſtoriam, ex hac certis rationibus „ evincemus, Apollonium non inter Philoſophos locum, ac ne „ inter mediocris quidem, ac uſitatæ probitatis viros dignum ſortiri “. Poſtulat itaque primo ab Hierocle, ut (*a*) *ſi quod ex illo ſupereſt opus divinitatis, depromat*. „ (*b*) Nam abſurdum maxime eſt, Architectorum quidem opera & Fabrorum, vel iis ipſis vita perfunctis, in longinquum tempus extare, unde illorum „ nomen æternitati mandetur; divinam vero naturam inter homines ſplendeſcentem, ita anguſti temporis intervallo obſcuram evanuiſſe “. Deinde ea perpendens, quæ de Apollonio narrat Philoſtratus, plura invenit, & profert aperte inter ſe pugnantia, unde nullam fidem ipſum promereri evincit. Nam c. e. narrat uno in loco Philoſtratus, Apollonium (*c*) *omnium linguarum conſcium fuiſſe, licet nullam didicerit*, dum alibi ipſum *ad præceptoris ludum adducit, & natum annos quatuordecim a Parente Tarſos deductum* ſcribit *ad Euthydemum Phœnicem, qui præcellens ætatis illius Rhetor eum in eloquentia erudiret:* recenſet etiam cæteros in philoſophicis Apollonii Magiſtros, & refert, Apollonium (*d*) *cum in Indiam penetraſſet, interpretem ſibi hominem aſciviſſe, per quem Phraotem Indiæ Regem alloqueretur*.

Narrat etiam Philoſtratus, Phraotem, dimiſſo interprete, græce Apollonium compellaſſe, qui obſtupeſcens, barbarum Regem græce ſcire, illum rogavit: (*e*) *unde & hoc ſapientiæ tibi eſt? Digna* (ſubdit Euſebius) *voces, quæ ab homine proferantur præſenſionem rerum omnium profitente*, & qui *potis erat latentes cogitationes, captuſque deprehendere*. Aliud quoque Apollonii facinus perſtringit Euſebius a Philoſtrato in ejus Vita recenſitum, nimirum cum narrat „ *Veſpaſianum Cæſarem Apollonio*, perinde ac Deo cuidam „ ſupplicaſſe.... uti ſe Imperatorem faceret. Deinde (*f*) „ cum „ ab eo quæreret Imperator, quoſnam Philoſophos in gerendarum „ rerum conſilium adhibendos putaret “, reſpondiſſe Apollonium: „ *Boni conſultores ad hæc erunt hi viri*, Dionem, Euphratemque „ ſignificans. Verum non multo poſt, orta inter Apollonium & Euphratem ſimultate & contentione, hunc ille probris & contumeliis affecit. „ Qui ergo (ſubdit & notat Euſebius) apud Veſpaſia„ num patrem laudavit Euphratem, ac ut Philoſophum, ut virum bonum

(a) *Pag.* 516. (b) *Ibid.* (c) *Pag.* 518.
(d) *Pag.* 521. (e) *Pag.* 522. (f) *Pag.* 532.

„ bonum teſtatus eſt, & nunc apud Domitianum filium eumdem „ accuſat, plane arguitur, ejuſdem viri laudator eſſe, & repre- „ henſor. Ille ne igitur, qui præſenſione tanta rerum præditus „ eſt, ignorabat, qualis tunc eſſet, qualiſque impoſterum Euphra- „ tes futurus "? Unde appoſite concludit ex his Euſebius: (*a*) „ Magna hæc eſſe occaſio cuivis poteſt Apollonium accuſandi: „ Si enim Euphrates omnium judicio Philoſophus excellens habe- „ tur, non levis occaſio datur probitatis ejus laudandæ, qui A- „ pollonii male facta damnarit: neque viciſſim levior Apollonii „ deteſtandi, propterea quod illius mores tali ac tanto Philoſopho „ diſplicerent ". Denique Philoſtratus (*b*) „ mortem Apollonii „ narraturus.... nihil ſe certi ſcire profeſſus eſt. Inquit enim, re- „ ferre alios quidem Epheſi Apollonium deceſſiſſe, alios in Miner- „ væ templo Lindiæ Civitatis, alios in Creta inſula. Et cum tan- „ tum caliginis de illius morte nobis offundat, vult tamen eum- „ dem virum ad Superos conſcendiſſe ", hujuſque ſtupendæ aſcen- ſionis a nemine viſæ circumſtantias omnes deſcribit, & narrat.

EUSEBIUS.

Productis hiſce, in Apollonii hiſtoria per Philoſtratum ſcripta, contradictionibus, & pugna, progreditur Euſebius ad miracula perpendenda Apollonio tributa. Et primo ex ipſo Vitæ Scriptore palam facit, nullum ab Apollonio patratum miraculum, priuſquam ex Arabia & India, quo peregrinatus fuerat, ut Brachmanas & Magos adiret & conſuleret, regrederetur, unde validiſſima ſuboriri poteſt ſuſpicio, poſteriora portenta, nonniſi artis magicæ ſubſidio, quam a celeberrimis illis didicerat Magiæ Magiſtris, eſſe operatum; & certe ſubdit Euſebius (*c*): *Euphratem, eumdem Magiæ accuſaſſe narratur*; immo & de hoc crimine præcipue poſtulatus apud Domitianum fuit; & Athenis Hierophanta Eleuſianis Myſteriis initiare recuſavit Apollonium, affirmans, nefas initiari Magum hominem, nec patere illi Eleuſinia Sacra, qui Dæmonum conſortio impurus eſſet. Hinc jure meritoque allegat Euſebius (*d*): „ Omnia quæcumque ab illo divinata ac prævisa ſunt... non credi quidem omnia oportere; ſed eorum nonnulla, quæ magis admittenda videntur, puta quod peſtem Epheſi appetentem primus „ deprehendit, aſſiſtente illum Dæmone prædixiſſe.

„ Miraculum vero (proſequitur Euſebius (*e*)) quod narrat, quo „ Apollonius peſtem Epheſiis cavit.... ſi cui minus conſtet, figmentum hic quoque impoſturæ plenum adduci, magiciſque nimirum obductum præſtigiis, ipſa totius facti ratio, moduſque manifeſte oſtendet.... Quis enim non libere cachinnetur ad præſtigiatoris miracula? Cum peſtilentiæ vim, quæ, ut tradit medicinæ ratio, nihil aliud plane eſt, quam corruptio circumfuſi aeris... nunc tamen audiat, oculis intuentium, & ſaxorum jactibus obnoxiam eſſe, & fugatam morte ſenis laceri, ac panno-

 ſi, qui-

(a) *Pag.* 533. (b) *Pag.* 541. (c) *Pag.* 530.
(d) *Pag.* 534. (e) *Pag.* 527. & *ſeq.*

EUSEBIUS. „ ſi, quique conjectis obrutus ſaxis in effigiem obſcœni canis apparuit. Præterea quo modo *unam Epheſiorum Urbem, non autem & finitimas ab ea peſtilentia affectas narrat hiſtoria?* (a) *Pellebat autem* (ſubdit Euſebius) *Dæmones, uti ferunt, alium alio*. „ Quod „ præterea puellam Romæ defunctam ab obitu revocaverit, cum „ ſit factum hoc vel ipſi Philoſtrato incredibile, nos quoque a „ nobis penitus excludamus. Ratiocinatur enim dubitando Philo- „ ſtratus, num vitalis auræ ſcintilla intra puellam compreſſa Me- „ dicos delituerit, quæ mox, pluvia ingruente, reviviſcens, atque „ excitata, in vultu reſpirantis puellæ prodita ſit.... Neque enim „ ſi vere puellam hanc Apollonius vitæ reſtituiſſet, tam egregium „ facinus non Imperatori primum ipſi innotuiſſet, aliiſque ſubinde „ primoribus apud illum diverſantibus viris; præſertim vero Philo- „ ſopho Euphrati, qui ea tempeſtate Romæ agebat, moxque A- „ pollonio infenſus eumdem Magiæ accuſaſſe narratur... Quin et- „ iam factum hoc, ſi modo plane conſtitiſſet, cæteris quoque ca- „ lumniis, quibus Apollonium urgebant, proculdubio adjunxiſſent „ accuſatores “, qui & Epheſi falſo jactatum miraculum protulere.

En præcipua, quibus Euſebius utitur, argumenta ad Philoſtrati hiſtoriæ fidem elevandam. (b) Coronidem vero operi imponit, doctrinam refellendo, quam hiſtoria Apollonio tribuit; docuiſſe videlicet, Fati & Parcarum decreta adeo eſſe neceſſaria & immutabilia, ut ſi quis ad Regnum deſtinetur, neceſſario ſit Rex futurus, licet fato functus ante illum, cui ſuccedere debet; & pari pacto, ſi quis Architectus, vel Faber per Fatum præeligatur, talis erit, licet ambabus obtruncatus manibus. Quod peſtilentiſſimum dogma refellit Euſebius primo ad hominem, ex ipſius Apollonii geſtis, itineribus, ſtudiis, & vita; deinde evincens, eo admiſſo dogmate, *nullam eſſe providentiam*, *non* Deum, *nec quidquam aliud præter Fati neceſſitatem.... non ſapientem dari, non ſtultum, non æquum, non iniquum, non officioſum, non pravum;... non mali bonive diſcrimen, ſed confuſe omnia circumvolvi neceſſitate domina, & Parcarum fuſis*.

Libri de Præparat. & Demonſtrat. Evangelica editi circa annum 313. Circa annum, ut creditur, 313. cum jam pax Eccleſiæ cœpit legibus conceſſa a Conſtantino & Licinio latis poſt devictum Maxentium, ſuum aureum magnumque Opus de Præparatione, & Demonſtratione Evangelica edidit Euſebius.

Specimen librorum de Præparatione. Euſebii ſcopus in hoc libro. Prima pars, cui titulus, de *Præparatione Evangelica*, quindecim conſtat libris, quorum S. Hieronymus & Photius meminere. Opus ſane eximiæ eruditionis, per quod libros ſuperſtites non paucos, nec exiguos vetuſtorum, hoc eſt vel tempore ipſo pretioſiorum ingeniorum (quorum, ſine Euſebio, ignoraremus & nomina) ſic, tamquam ſervatas ex fœdiſſimo naufragio tabulas, collegit, repoſuitque. Aliorum etiam Auctorum volumina indicat, & compendio

(a) *Pag.* 530. (b) *Pag.* 541, & *ſeq.*

pendio complectitur, quorum monumenta licet nobis ſuperiorum ætatum nec incuria eripuit, nec invidit injuria, illis tamen hoc novo quodam & illuſtri uſu auctoritatis plurimum, & ſplendoris acceſſit. Non ſine ingenti animi admiratione ac extaſi, recitata leguntur innumera pene Theologorum, Philoſophorum, Hiſtoricorum Gentilium nomina, quorum doctrinas, opiniones, dogmata collegit, & recenſuit, ut poſtea, civili quodam bello inter eos excitato, ob mutuam pugnam & contradictionem, propriis veluti armis confodiat atque proſternat. Opus ſane, ut ſentit Scaliger, herculei laboris, ad quod perficiendum, opus fuit omnes Ægypti, Phœniciæ, & Græciæ Bibliothecas adire, ſcrutari, rimarique, ut plurimorum etiam celebriorum Scriptorum errores detegeret, & divinis oraculis profligaret; evinceretque, omnia, quæ recta, juſta, veritatique conformia docuere, ex Sacris Hebræorum libris corraſiſſe. Porro ſcopus Auctoris eo collineat, ut evincat, Chriſtianos jure meritoque a Græcorum doctrinis receſſiſſe, ut Hebræorum dictata ſequerentur, ſibi in Evangelicæ Demonſtrationis libris reſervans rationem reddere, quare cum Hebræorum placita amplecti maluerint, legum Moſaicarum jugum excuſſerint; & hoc pacto Lectorum animos, menteſque ad Evangelicas veritates audiendas, earumque probationes perpendendas diſponit, & præparat, & ideo Operi ſuo titulum fecit *de Præparatione Evangelica*. EUSEBIUS.

Ab Evangelii definitione exorditur, quam ex etymologia græci nominis deſumit, quippe quod latine redditum *fauſtam cæleſtium, maximorumque bonorum præſentiam* annuntiet, unde *Bonum Nuntium* interpretamur. Priuſquam tamen Gentilium impietatem & ſtultitiam prodat, quod ſex prioribus Libris præſtat, & perficit, præcipua proponit Lectoribus argumenta, queis Chriſtianæ Religionis veritas innititur, quorum maximum & evidentiſſimum eſt ipſius Chriſti vaticiniorum complementum, & eventus. Prædixerat ſiquidem Chriſtus Dominus fore „ (*a*) ut tradita ab eo doctrina, ubi degeret hominum genus, longe lateque prædicaretur.... quæque nedum eo tempore, quo vitam inter homines homo ipſe degebat, coaluiſſe videbatur, Eccleſiam nullis umquam viribus ſuperandam, & penitus inconcuſſum illius robur manſurum eſſe prænuntiaverat, utpote quæ vi ejus ac poteſtate, ſic tamquam immoto, ac nullis omnino machinis prærumpendo ſcopulo, altis defixa radicibus niteretur; hujuſmodi ſane prædictionis veritas exitu comprobatur.... Quis enim verax illud Chriſti oraculum non fateatur, quod confirmatur eventu?... Etenim jam univerſum, qui Solis quidem radiis illuſtratur, orbem terrarum illius Evangelii fama pervaſit, jam omnes undequaque populos, nationeſque percurrit, ipſiuſque prædicatio, via plane cum ejuſdem verbis cohærente, longius in dies etiam nunc latiuſque procedit. Præterea quam nominatim ipſe divinitus prænuntiavit Eccleſia, jam profundis Analyſis Argumenta Evangelicæ veritatis ex vaticiniis Chriſti.

(a) *Lib. 1. Cap. 3. pag. 7. & ſeq.*

EUSEBIUS.

„ nixa radicibus, hominumque ſanctorum, ac Deo dilectorum precibus votiſque ſublata, ad cæleſtium uſque Orbium fornicem caput attollit, ac novis quotidie dignitatis incrementis aucta, ſpiritali ac divino prædicatæ ab illo pietatis fulgore paſſim ita coruſcat, ut non ſuis tantum hoſtibus, ſed ne ipſis quidem mortis foribus, vel tantillum debilitata, concedat.

Argumentum aliud ex vaticiniis Judæorum.

„ Neque vero levis & contemnenda eſt.... eidem veritati aſſerendæ fides, quam ex hebraicarum litterarum teſtimonio arceſſimus. Hebræi ſiquidem Prophetæ Chriſti futurum ad homines adventum prædixerunt, ejus, quæ per omnes populos funderetur, doctrinæ genus indicarunt, futuram quoque Judaicæ nationis incredulitatem, & obfirmatam in repugnando contumaciam prædicentes, nec non quidquid adverſum eum impie molita eſt, ac quæcumque illam propterea non dilatæ longius, ſed quaſi e veſtigio ſecutæ calamitates oppreſſere. Supremam intelligo regiæ ipſorum Metropolis obſidionem, ipſamque adeo Regni funditus exciſi everſionem cum eorum per omnes gentes diſperſione, quamque ſub inimicorum & hoſtium dominatu patiuntur, ſervitute conjunctam. Quæ certe prædictionibus illis conſentanea, poſt ejuſdem noſtri Salvatoris adventum, in omnium oculis pertulere; & jam quiſque obſtupeſcit cernens, tum Judæorum prolapſionem, ac repudiationem, tum Gentilium vocationem palam exitum nacta fuiſſe cum illorum prophetiis omnino congruentem.

Anticipata de veritate Religionis Chriſtianæ judicia.

„ (*a*) Hæc illa ſunt, quibus Inſtituti noſtri ratio ita confirmatur, ut quiſquis intelligat, eam non humano quodam impetu excogitatam, ſed prævifam divinitus, ſcriptiſque oraculis divinitus prænuntiatam.... Præterea numine plane divino robur ejus ac firmitatem conſtitiſſe, cum vexata tot annos, partim Dæmonis, partim eorum, qui pro varietate temporum diverſi imperabant, Principum acerbitate jactata, majoribus in dies ornamentis, & illuſtriori ſplendore conjunctis, hominumque frequentiori multitudine augeatur. Ut plane dubitare nemo poſſit, quin Deus ipſe.... Servatoris noſtri doctrinæ ac nomini vim quamdam omni conatu & oppugnatione ſuperiorem, cunctorumque victricem hoſtium cæleſti auxilio largiatur “.

Confirmat etiam hujuſce Religionis veritatem celerrima Evangelii propagatio, „ (*b*) nec non ut primum Servatoris noſtri doctrina increbuit.... comportatæ dudum per populorum diſſidia calamitates ſubito conquieſcerent, & pacatus Orbis ſub Imperio Auguſti ſumma pace frueretur, ac ex quo Chriſti doctrinæ per univerſum orbem diffuſæ verbis & concionibus hominum aures afflari cœperunt, continuo factum ſit, ut qui ferini prius & barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus & humanioribus inſtitutis manſueſcerent.... Evangelica Salvatoris noſtri doctrina effectum eſt, quod neque ſimulacra, neque conſce-

„ lerati

(a) *Cap. 4. pag. 9.* (b) *Pag. 11.*

„ lerati Dæmones, neque partes hujus Mundi aſpectabilis, nec „ hominum extinctorum manes Deorum amplius in numero ha- „ beantur. Sed omnes unum ſummum Deum præpotentem Cœli „ terrarumque Regem ac Dominum.... venerentur". His addit Euſebius vitam omnis criminis expertem, quam profitentur & ducunt quotquot Chriſti doctrinam ſunt amplexati, moralis doctrinæ æquitatem, dogmatum & myſteriorum ſublimitatem, & præſertim de immortalitate animæ doctrinam, quam apud Chriſtianos *puellæ, tenerique puſiones, adeoque barbari homines, iidemque, ſi oculis æſtimantur, viles & abjecti, Servatoris noſtri viribus, auxilioque freti, re ipſa potius quam oratione*, efficacius, quam Philoſophi ſuis acutiſſimis argumentis comprobarunt.

EUSEBIUS.

Hoc pacto evincit Euſebius, Chriſtianorum Religionem nec rationi, nec prudentiæ adverſari: quidam enim illi adhærent vi & efficacia horum argumentorum maturo examine expenſorum; alii vero iſtorum fidei, doctrinæ, & auctoritati innixi: quod profecto communi agendi hominum methodo non repugnat: videmus enim, (*a*) *qui curandis corporum ægrotationibus operam navant, quæ ad exquiſitam medicæ artis cognitionem pertinent, longo uſu, multaque doctrina perdiſcere.... Qui vero ad eoſdem curandæ gratia valetudinis acceſſerint, illos fidei cuidam, exituſque lætioris expectationi ſeſe ita permittere, ut cum ex iſtius ſcientiæ præceptis intelligere nihil poſſunt, nonniſi ex utraque ſuſpenſas habeant incolumitatis ſuæ rationes; & quidquid ægrotus a Medico præceptum fuerit, utile quoque futurum putet.*

Gentilium Theologia fabellis referta.

Poſtquam ita Lectorum animos in Chriſtianæ Religionis amorem pellexit Euſebius, ad ethnicæ ſuperſtitionis vanitatem oſtendendam progreditur. Ideo ſtatim fabuloſam celeberrimarum Gentium Theologiam exhibet ex earum Scriptoribus depromptam, quorum etiam ſæpenumero verba deſcribit, ne impoſturæ argui poſſit. Et primo quidem loquentem inducit Diodorum Siculum (*b*) *virum apud Græcæ eruditionis Principes longe notiſſimum, quippe qui unum in corpus Bibliothecam hiſtoriarum univerſam compegerit*; deinde Plutarchum varias Philoſophorum de origine & principiis rerum doctrinas, opinioneſque enarrantem; (*c*) Socratem hos Philoſophos ceu inſanos & furioſos irridentem; Porphyrium antiquam Sacrificiorum rationem exponentem; (*d*) Sanchoniathonem Phœnicium, Manethonem Ægyptianum, Diodorum Siculum ſupra laudatum Græcorum Theologiam exhibentes; (*e*) S. Clementem Alexandrinum in ſua ad Græcos exhortatione Gentilium fabuloſa figmenta, & prophana myſteria refellentem; (*f*) Platonem populares ſuos ad ea ſilentio & tenebris obvolvenda hortantem, aut ſaltem nonniſi pauciſſimis patefacienda, *graves enim & pernicioſæ fabulæ iſtæ ſunt* ad juve-

(a) *Cap.* 5. *pag.* 15. (b) *Cap.* 7.
(c) *Cap.* 9. (d) *Lib.* 2. *cap.* 1. & 2.
(e) *Cap.* 7. (f) *Cap.* 8.

EUSEBIUS. juvenum mores corrumpendos aptiſſimæ. Denique Romanorum Theologiam ex Dionyſio Halicarnaſſeo plane Græcorum Theologiæ adverſam prodit & expendit.

Allegorias & moralem gentium doctrinam refellit Euſebius. In tertio libro totus eſt Euſebius, (*a*) ut allegoricam aliquorum Philoſophorum confutet Theologiam, qui craſſioribus fabulis myſticos ſenſus aptare, & per res phyſicas explicare conati ſunt. Hinc Euſebius oſtendit, Gentium Theologiam in iiſdem fabellis, & quidem in eo obvio & litterali ſenſu acceptis, quo illas eorum Vates atque Poetæ expoſuerunt, ſitam eſſe. Addit (*b*): *Præter fabularum indignitatem, ipſa quoque gravior, ut videbatur, earum interpretatio, ac phyſiologia, non jam vel ad cæleſtes ullas, intelligentes, divinaſque facultates, vel ad naturas aliqua ratione præditas, & ab omni corporum concretione ſejunctas evehebat, ſed deorſum vergens aut in crapulam, nuptias, & humanas cupiditates, aut in ignem, terram, ſolem, ac reliqua elementa in materiam immerſa .... deſinebat .... ac ſola cæli aſtra, & cætera, quæ phænomena vocantur, Deos putaſſe*, quod profecto putidam Idololatriam conſtituebat.

Civilem Theologiam Gentium, & eorum Oracula oppugnat. In tribus vero ſubſequentibus libris civilem Paganorum Theologiam, ideſt Idolorum cultum Numinum oraculis ſuperſtructum penitus diruere conatur. Oſtendit itaque Euſebius, nulla quæſita ſupernaturali cauſſa, ſive divina, ſive dæmoniaca, facile eſſe omnibus patefacere, quidquid ſpecie tenus mirandum in Oraculis narratur, partim *fraudem & errorem eſſe*, *ac veneficorum artes*, *præſtigiaſque*, partim ex naturæ effectibus prodire, quæ ideo admirationi ſunt rudiori plebeculæ, quia eorum cauſſas ignorat. Aſſerit, itaque Oracula, quæ ab Idolis prodire videbantur, ab impoſtoribus profecta, qui (*c*) *ſecretis in templorum aditis*, *& iis*, *quorum ab acceſſu prohibetur multitudo*, *penetralibus occultati .... plebejorum ingeniorum ſtultitiam*, *rudiſque multitudinis imbecillum .... judicium ... fallebant*, & verſuta callidaque ſolertia, & malefica utentes arte, quiſquis Oracula adiens indigeat, *curioſe ac diligenter inquirunt*, & ſic *modo læta cuique ac jucunda pollicentur*, *præſentemque fortunam meliori ſpe conſolantur*, *modo etiam de futuro conjicientes incerto*, *dubioque ſenſu vaticinia fundunt*, *reſponſique mentem verborum amphiboliis*, *ac tenebris involvunt*, *uti ne quis Oraculum intelligat*; *ipſi vero ambiguitate dictorum anſam reprehenſionis effugiunt*; .... *modo concinnata Oraculorum*, *quæ cum liberali eruditione fundi putantur*, *carmina*, *utpote quæ cum ſtructura verborum ornata*, *tum vero tumore & granditate orationis inflata ſint*, ... *ipſaque ſpecie præſentis afflatum Numinis mentiuntur*, *atque univerſum fere populum dubia vocum ſignificatione decipiunt*. Porro has fraudes, arteſque doloſas probat Euſebius ipſorum Impoſtorum confeſſione. Nam, inquit, notum compertumque eſt „ (*d*) homines „ id

(a) *Lib.* 3. *pag.* 82. *& ſeq.* (b) *Pag.* 87.
(c) *Lib.* 4. *cap.* 10. (d) *Cap.* 2. *pag.* 135.

EUSEBIUS.

„ id genus quamplurimos, qui ſingularem Numinis afflatum præſe-
„ ferrent, quos iiti præcipuos & ſacrorum Interpretes, & Theo-
„ logos & Prophetas haberent, non ſolum antehac, ſed nuper
„ etiam, noſtraque memoria divinæ hujus ſapientiæ nomine clariſ-
„ ſimos, cum ad Romana Tribunalia rapti eſſent, quæſtionum vi
„ adductos univerſum hoc fraudis genus ad homines decipiendos
„ comparatum declaraſſe, totumque negotium præſtigias eſſe arte
„ compoſitas faſſos fuiſſe; atque hi omnem molitionis occultæ ratio-
„ nem, totamque maleficæ artis ludificationem verbis ipſiſſimis, qui-
„ bus rem ante patefecerant, in Acta publica retulerunt “. Cui probationi & aliam ſubjicit non infirmiorem, ſcribens: „ Integræ
„ quoque, ac præcipui nominis Philoſophorum Sectæ, puta Peripa-
„ tetici, Cynici, Epicurei,... numquam erroribus iſtis irretiri ul-
„ lo modo potuerunt, ſed potius quæ paſſim jactabantur, Oracu-
„ la, quæque omnium concurſu populorum vaticinia celebraban-
„ tur, ea non modo vanitatis ac mendacii coarguerunt, ſed et-
„ iam exitii potius, quam utilitatis ullius cauſſas eſſe demonſtra-
„ runt “.

Dæmones, maloſque Genios, Oraculorum, Idololatriæ, Magiæ Auctores, variis Deorum nominibus cultos.

Pergit oſtendere Euſebius, dato etiam, Idola fuiſſe, quæ Oracula funderent, id tamen Dæmonum, ac malorum Spirituum ope effectum; quod ex Porphyrio confirmat „ (*a*), qui libris iis, quos de
„ Philoſophia ex Oraculis haurienda ſcripſit, Apollinis reſponſa
„ commemorat, quibus ſacrificia cæſis animantibus fieri jubet .... at idem alio quodam in Opere non Deos, ſed Dæmones eos omnes agnoſcens, quibus Græci cæſis pecudibus faciebant, nec oportere, nec fas eſſe Diis animantes immolare pronunciat. Quid, quod ſubdebat Porphyrius, hos Cacodæmones Oraculorum adinventores eſſe, Divinationis & Magiæ, eorum cultui eſſe abrenunciandum, ut *Deo rerum omnium Principi ſerviamus*, cujus tanta eſt majeſtas, & magnitudo, *ut ne ipſa quidem eum deceat oratio, ſive quæ cum voce conjungitur, ſive quæ latet interius, ſi perturbatione aliqua mentis inquinatur, ſed potius caſto ſilentio, ſanctiſque cogitationibus de illo ſuſceptis ſit venerandus*. Damnat etiam Porphyrius barbarum illum ac ferinum morem Idolis humanas victimas immolandi, utpote a Cacodæmonibus invectum; at Euſebius, teſte adducto ipſomet Porphyrio, aliiſque Gentilium Hiſtoricis, palam facit, abominanda iſthæc ſacrificia etiam ſublimioribus apud Gentes Numinibus Junoni, Minervæ, Saturno, Marti, Apollini, ac ipſimet Jovi immolari conſueviſſe; unde colligit, illa vel Cacodæmones fuiſſe, vel ſaltem iniquos Genios, *quippe qui humanas has victimas exegiſſent, nec hominum genus a nefario ſcelere ſuis ipſi Oraculis deterrerent*, immo non alio ſe placari poſſe, ne hominibus nocerent, effutirent, ſuam hoc pacto imbecillitatem oſtendendo.

„ ſo-

(a) *Cap. 9. & ſeq.*

EUSEBIUS.

Chriſti in Dæmones potentia. Porphyrii celebre hac de re teſtimonium.

Ut nos itaque ab hac teterrima malorum Spirituum captivitate eriperet, ad nos deſcendit Filius Dei Chriſtus Dominus noſter. Et revera *poſt Evangelicæ doctrinæ propagationem* (ſubdit Euſebius (*a*)) mores ſuos ad veram pietatem ac religionem conformare homines cœperunt, non amplius ipſi ad mutuam bellis, rapinis, cædibus deſtructionem, ut prius conſueverant, aſpirarunt, & excuſſo timore ex pravorum Dæmonum malignitate & nequitia concepto, *eo jam uſque amplius furere neminem, ut cariſſimi cujuſque ſanguine, hominumque jugulatorum ſacrificiis, illos cædis & cruoris avidos, & infeſtiſſimos humano generi Dæmones placare conetur. Emortua penitus Oracula, & vaticinia conticuere. Et peſſimorum Dæmonum, ex quo hominum ſocietatem Servator noſter inierit, vim & poteſtatem amplius nullam eſſe, vel ipſemet Porphyrius .... his verbis teſtatum reliquit.* „ Et nunc mirum, inquit, ulli videatur, „ civitatem hoc morbo tot jam annos conflictari, cum Æſculapius, „ cæterique Dii hominum ſeſe conſuetudini conſortioque ſubduxe- „ rint. Ex quo enim Jeſus coli cœptus eſt, communem ac publi- „ cam Deorum opem nemo ſenſit “. (*b*) Progreditur vero Euſebius ad varios Idololatriæ fontes indigitandos, & varias Cacodæmonum fraudes detegit & recenſet, queis uſi fuerant, ut ad ſui cultum homines pertraherent; hinc quod ſuperius oſtenderat, iterum confirmat, Numina videlicet a Gentibus in honore habita, & quæ religioſo cultu venerabantur, malos fuiſſe Dæmones humani generis hoſtes infenſiſſimos; quod iterum evincit ex Plutarcho enarrante mala & incommoda, quæ hominibus inferebant, & adfirmante (*c*), *maleficiis & cantationibus ad hominum voluntati obſequendum invitos licet, ac repugnantes Deos adigi*, ut ipſimet fatebantur; qua de re teſtimonium affert Porphyrii fatentis, (*d*) *ſe vehementer angi, ubi ſecum ipſe reputat, quî fieri poſſit, ut quorum veluti auguſtorum ac divinorum opem imploramus, ii tamen perinde ut humiliores & deteriores obediant*. (*e*) Dein celebriora Oracula ad examen revocat, & ut eorum fraudes & impoſturas oſtendat, cujuſdam Œnomai ab Apollinis Oraculo decepti verba recitat, qui prolixa oratione hac de re compoſita, & longa enumeratione probaverat, nullum umquam factum a Numinibus Oraculum, quod vel de crudelitate, vel de ignorantia, vel de falſitate ac ineptitudine argui non poſſet. Quod ſi forte aliquando verum aliquod prænuntiatur, hoc ex Porphyrio oſtendit „ (*f*), non vi quadam ſua, „ eaque divina, ſed Aſtrorum obſervatione Mathematicorum ad „ leges & præceptiones exacta, vaticinari ſolitos fuiſſe, nihil ut „ prorſus hoc in genere Deos inter & homines intereſſet, nullum- „ que ipſi vel ſuperius, vel naturæ divinioris proprium opus exer- „ cerent “; immo Oraculorum falſitate detecta, ipſa Numina ex vi Fa-

(a) *Lib.* 5. *cap.* 1. (b) *Cap.* 2. & 3.
(c) *Cap.* 8. (d) *Cap.* 10.
(e) *Cap.* 20. (f) *Lib.* 6. *cap.* 1.

vi Fatorum invincibili excuſationem petebant; omnia enim ex fato & neceſſitate quadam evenire plerique Gentilium arbitrabantur. Hinc errorem hunc refellendi occaſionem ſumit Euſebius; quod præſtat ſuis argumentis, & ferme iiſdem, quibus contra Hieroclem uſus fuerat, deinde rationibus ab ipſis Gentium Philoſophis, qui hoc idem argumentum pertractarunt, deſumptis. — EUSEBIUS.

Hebræorum doctrina: eorum nominis etymon, unde a Judæis distingueretur.

Deinde gradum facit Euſebius ad Hebræorum exponendam doctrinam, cujus excellentiam, comparatione inſtituta cum cæteris omnium Gentium doctrinis, luculenter oſtendit. (*a*) *Nam cæteri populi,... dum.... ad ſolos corporis ſenſus adhærefcerent .... ſolius boni loco voluptatem corporis habuerunt*, & ad hoc tota eorum referebatur Religio & Numinum cultus. At illi e contrario (*b*) *in componenda hominis interioris vita curam omnem, ſtudiumque poſuere .... & corpus, corporumque delicias, loco non alio quam cæterarum terræ pecudum genus, habendas eſſe cenſuerunt .... & felicitatis univerſæ finem in unius Dei partim cognitione, partim amore poſuerunt*. Et eorum lege & præceptis didicere homines veram de animæ immortalitate, ac de unius Dei exiſtentia doctrinam. Ipſa Hebræorum doctrina veræ ſolidæque pietatis fundamenta jecit, quod ex integra, puraque ab omni ſcelere vita, quam duxere qui eam ſecuti ſunt ante Moyſem, Enochius, Noemus, Melchiſedechus, Abraham, aliique, & poſt Moyſem, licet ejus legibus non ſubjecti, Job & alii, liquido adparet. Viri autem ſanctiſſimi ideo Hebræi dicti, (*c*) *vel ab Hebero, cujus nepos Abrahamus fuit*, vel ut ſignificaretur eo vocabulo ſe viatores eſſe, qui hujus Orbis incolatum, ceu peregrinationem reſpicerent, unde ejus bona & delicias aſpernarentur, unice præpotentis Dei contemplationi vacantes. In eo itaque Judæos ab Hebræis ſecernit Euſebius, quod illi populum exhibeant peculiarem legibus, præceptis, ac cæremoniis Moſaicis addictum; Hebræi vero ſolius naturæ dictata & leges ſequantur. Compendio horum Virorum Vitam recitat, ex iis, quæ in Sacra Scriptura de illis narrantur, excerptam; deinde eorum exponens dogmata ſcribit: (*d*) *Hujuſmodi eſt Hebræorum Theologia*, unum confiteri Deum rerum omnium creatorem, ac conſervatorem *cujus providentia Mundus perpetuo conſtanterque regitur;* deinde (*e*) *vim alteram, quæ, cum eorum omnium, quæ gignuntur, principium ſit.... ab eodem primo Principio genita fuit, quam ipſi Verbum, Sapientiam, Deique Virtutem appellare ſolent;* & tertio loco (*f*) *Sanctam Virtutem, quam Sanctum illi Spiritum nominant*. Confitentur etiam, Solem, Lunam, Sydera, & Aſtra hujus ſupremi Numinis ac Conditoris opera eſſe, qui etiam (*g*) *naturarum incorpoream multitudinem* ſibi ſoli compertam creavit, ideſt Angelos, quorum numerus certo definiri non poteſt, & perfectam inte-

---

(a) *Lib. 7. cap. 2.* (b) *Cap. 4.* (c) *Cap. 6.*
(d) *Cap. 11.* (e) *Cap. 12.* (f) *Cap. 15.*
(g) *Ibidem.*

EUSEBIUS. integramque ſingulorum cognitionem uni Deo convenire teſtantur. Horum aliqui, ſubdit Euſebius, in bono perſeverarunt; alii vero *in* (*a*) *tranſverſum acti a meliorum conſortio ſua ſeſe culpa & improbitate diſtraxerunt* .... ac propterea *a piorum ſorte excluſi, ſplendidum illud, divinumque domicilium, eamque, qua in Regia fruebantur, dignitatem, ac felicem Angelicorum Cœtuum ſocietatem cum Tartaro ſceleratis omnibus admodum conveniente loco, æquiſſima Dei præpotentis ſententia judicioque damnati commutarunt* .... „ Quo ex numero pars quædam exigua, quæ pietatis „ Athletis materia ſegeſque virtutis eſſet, circa terras, lunaque „ inferiorem aeris regionem a Deo relicta eſt .... Hi vero quam „ divini nominis odio flagrent, ex eo quivis intelligit, quod & Deo„ rum ipſi nomen affectent, & proprium Dei cultum furtim ſibi „ vindicare moliantur, dum eam in rem divinationum ac reſponſo„ rum illecebris faciliores ac rudiores ineſcare, atque a Dei præ„ potentis cogitatione divulſos in exitialem impietatis, Deumque „ funditus tollentis Superſtitionis voraginem deturbare conantur. „ (*b*) Confitentur etiam (ſequitur Euſebius) ex partibus hominis „ duabus, alteram divinam, immortalem, & ab omni corporea „ concretione ſejunctam naturam eſſe, eam porro eſſe verum ho„ minem, ad imaginem & ſimilitudinem Dei fictum atque factum, „ qui Divini Numinis opus fuerit, non fortunæ “.

Moſaicæ legis excellentia: quomodo Judæi Scripturas interpretarentur. De lege Moyſis Judæis data ſermonem mox inſtituit Euſebius, & Verſionis τῶν Septuaginta hiſtoriam recitat ab Ariſtæo deſcriptam. Obſervat „ (*c*), Deum ſingulari egiſſe providentia, ut quæ „ de venturo paulo poſt generis humani Servatore, eodemque ſan„ ctioris erga unum præpotentem Deum religionis omnibus ſub ſo„ le Gentibus Doctore futuro prædicta jam olim eſſent, & demum „ accurata explicatione patefacta, & publicis in Bibliothecis collo„ cata cunctorum in lucem venirent, immiſſa hac Ptolomæo Regi „ mente divinitus: nimirum ut quædam quaſi penus eſſet, unde il„ la poſtmodum in populorum omnium uſum fructumque prome„ rentur “. Poſtea vero hujuſce legis præſtantiam teſtimoniis Philonis & Joſephi oſtendit; ac ut patefaceret, ciborum delectum ab ea præſtitutum nihil præſeferre, quod Legislatoris ſapientiæ adverſetur, integram refert Eleazari orationem, Regis Ptolomæi Legatis myſticas illius delectus rationes exponentis hoc pacto: nam dum concedit, ut animantium veſcantur carnibus, (*d*) *quæ fiſſam & biſulcam ungulam habent, & id nobis laborandum monet, ut actiones ſingulas ad id, quod rectum atque honeſtum eſt, prudenti adhibito diſcrimine, referamus*... Similiter *quæcumque animantes cum ungula bifida conjunctam habent ruminandi vim, eæ vero, ſaltem iis, qui aliquid intelligunt, memoriæ conditionem manifeſte repræſentant: nec enim ruminatio quidquam aliud eſt, quam aliqua vitæ, & con-*

(a) *Cap.* 16. (b) *Cap.* 17.
(c) *Lib.* 8. *cap.* 1. *& ſeq.* (d) *Cap.* 9.

& conſiſtentis naturæ recordatio, cum ex alimento vita conſtet .... Contra vero quarum nobis veſci interdictum eſt, immanes eas eſſe, carnibuſque paſci reperies .... & his notis ac ſymbolis admonebat, potentia viribuſque ſuis ad opprimendam aliorum libertatem.... numquam abutendum. Similiter & in Sacrificiis cautum eſt, *ut ex armentis & gregibus manſuetiſſima quæque legerentur, ferumque nihil & immane ſacrificaretur, eo nimirum fine, ut qui Sacrificium offerebant, ii de præcepto divino cogitantes nullius ſuperbiæ conſcientia tenerentur.* Ariſtobulus Judæus, quem illum eſſe putat Ariſtæus, de quo ſermo habetur in initio ſecundi libri Machabæorum, ſcriptum exaraverat Ptolomæo oblatum, quo omnes Scripturæ textus Deo humana membra tribuentes per allegoriam interpretabatur. (*a*) Sic juxta ipſius mentem, *manus ad divinæ poteſtatis vim pertinent;* quies vero, ſive Dei ſtatio, operum ejus firmitatem ſignificat, ſicut ejuſdem de loco ad locum migrationes varias deſignant ejuſdem operationes. Euſebius nonnulla etiam (*b*) loca Scripturæ, quæ aliquid abſurditatis præſeferre videntur, ex Judæorum interpretationibus emollit, & explanat. Plura præterea Græcarum Scripturarum recenſet teſtimonia de veritate univerſalis Diluvii, de ædificatione Babelicæ Turris, de confuſione linguarum, de geſtis Abraham, Jacob, & Jeremiæ, de captivitate Babylonica, nec non de pluribus aliis Gentis Judaicæ geſtis. Sed præſertim hujus Religionis præſtantiam ex plurimorum ſanctitate confirmat, præſertim Eſſenorum, quorum vitam & mores ex Philone Judæo, Theophraſte, & Porphyrio Ethnicis deſcribit, ſemper, quæ narrat, teſtibus omni exceptione majoribus, nullaque ſuſpicione laborantibus munire ſummo ſtudio ac diligentia curans.

EUSEBIUS.

Cum vero Græci Chriſtianis exprobrarent, quippe qui Religionem ſuam a Barbaris deſumpſerint, hujus exprobrationis vanitatem oſtendit, quia & ipſi artes omnes, litteras & ſcientias ex iis ipſis mutuati fuerant, quos Barbaros appellabant, & præſertim ex Hebræis; quod evincit (*c*) 1. ſuorum Scriptorum teſtimonio: 2. Ex ſimilitudine doctrinæ Platonis cum Moyſe, aliiſque Hebræis, quos profecto quolibet Græco Scriptore antiquiores fuiſſe, nemo inficiatur; quæ conformitas ac ſimilitudo quandoque tanta eſt, ut Plato nonniſi græce reddiderit, quod iſti Scriptores Sacri ſuo idiomate conſcripſerant. Hanc ſpartam fuſiſſime ornat Euſebius, doctrinas Platonis, & verba recitans de Dei unitate & ineffabilitate, de trino principio, de Deo ſummo bono, de virtutibus incorporeis, quarum aliæ bonæ ſunt, aliæ malæ, de animæ immortalitate, de Mundi creatione, de ſole, luna & ſyderibus, Verbi opificiis, de Univerſi fine aliquando futuro, de Mortuorum Reſurrectione, de poſtremo Judicio, ac denique de pluribus aliis veritatibus ſive dogmaticis, ſive moralibus, quæ conſona docet iis, quæ in Scripturis leguntur.

Paganorum exprobrationes, qui Chriſtianos ajebant Religionem ſuam a Barbaris accepiſſe, diſpelluntur.

At

(a) *Cap.* 10. (b) *Cap.* 11. & 12.
(c) *Lib.* 11. *per totum.*

EUSEBIUS.

At objiciebant Græci: (*a*) ſi tanta eſt Platonicæ doctrinæ cum hebraica conſenſio ac ſimilitudo, ſatius erat, hujuſce Philoſophi diſciplinam potius, quam Barbarorum & extraneorum ſequi & tenere. At reponit Euſebius, licet Chriſtiani ſemper Platonis doctrinam ob eam conſenſionem laudarint, maximum tamen inter ipſius dogmata, & leges, ac Moyſis dictata & præcepta intercedere diſcrimen. Illius ſiquidem nonniſi humana ſunt; at iſtius a Deo profecta, qui *ſanctiſſimæ religionis ritus, & veritatis doctrinam inſtituit*. Plato ſemper dubius hæſit, quid de Divina natura ſentiendum ſit. Cælis & ſyderibus cultum exhibendum docuit. In Moralibus & impuras tradidit doctrinas, ut cum ſanxit, (*b*) *mulieres nudas cum viris in palæſtra exerceri*; & in Republica *mulieres omnes viris omnibus communes eſſe.... ſimiliter uti communes ſint liberi omnes, licet nec ſui vel fœtus a parentibus, vel parentes a fœtibus agnoſcantur*. Deinde ad alias Philoſophorum ſectas perpendendas progreditur, & poſtquam oſtendit, „ (*c*) veram Hebræos, „ plenamque pietate Philoſophiam ab ultima uſque memoria, pene que a primo hominum ortu eamdem ſanam ad poſteros & in„ tegram tranſmiſiſſe,... iis nec addere quidquam auſos, nec detra„ here, & Moyſem pariter,... Hebræorum, qui ante ipſum vi„ xerunt, ætate poſtremum, ex iis, quæ a vetuſtiſſimis Patribus „ de Dogmaticæ Theologiæ rationibus ſancita erant, movere nihil „ aut mutare ſtatuiſſe, & qui hunc ſecuti ſunt Prophetæ, nec „ minimam quidem voculam mittere auſos eſſe, quæ vel a ſe ipſis, „ vel ab iis, quæ Moyſi, cæteriſque Deo caris hominibus placue„ rant, leviter diſſideret"; colligit e contrario, Græcorum Philoſophiam ſemper fluctuantem & agitatam fuiſſe, ac inter Sophiæ Profeſſores plane contrarias viguiſſe doctrinas & quidem non inter eos dumtaxat, qui varias, & ab invicem diſtinctas profiterentur ſectas, ſed & inter eoſdem illos, qui unius Magiſtri doctrinæ ſe adhærere profitebantur. Præſertim Ariſtotelem inſectatur, ſuæque Phyſiologiæ inutilitatem oſtendit, & teſtatur, licet *nonnulli nec obſcuri nominis Philoſophi* fuerint, *a quibus ipſa quoque hominis vita proſciſſa eſt*, ſe tamen *nec auditione ſuorum in eo maledicta ſuſtinere poſſe*.

Demonſtrationis Evangelicæ Analyſis. Euſebii in ea ſcopus. Nulla Legis Moſaicæ cum Evangelio ſocietas.

Poſtquam Euſebius ſic Lectorum animos ad Evangelicam legem ſuſcipiendam diſpoſuit atque paravit, & adverſus Paganos palam fecit, quam jure meritoque Hebræorum doctrinam Græcorum placitis prætulerint Chriſtiani; in altero *Demonſtrationis Evangelicæ* opere, Judæorum querelis & expoſtulationibus reſpondendum aſſumit, qui conquerebantur, adoptaſſe quidem Chriſtianos ſacra ſua ſolemnia, at ſimul ipſorum leges obſervare detrectaſſe. Primam itaque ait hujus rei cauſſam eſſe, quod ſociari minime poſſet legis veteris obſervantia cum nova lege, novoque fœdere, quod cum uni-

(a) *Lib.* 14. *cap.* 1. (b) *Lib.* 13. *cap.* 19.
(c) *Lib.* 14. *cap.* 3.

univerſis Gentibus pepigit Deus, de quo frequens in Scripturis mentio. Moyſes ſiquidem jubebat, ut ter in ſingulis annis in ſolemnioribus Paſchæ, & Pentecoſtes, & Tabernaculorum feſtivitatibus Judæi omnes cum tota eorum familia Jeruſalem convenirent; immo & pluries adire jubebantur aliis de cauſſis; puta mulieribus poſt partum, ut legem purificationis implerent, ſicut & in aliquam culpam lapſis, licet ex ignorantia, ut ſacrificiis ſua expiarent delicta: nullibi enim ſacrificia offerre licebat extra Hieroſolymorum Templum. Addit anathema a Moyſe pronunciatum in quemcumque, *qui non ſteterit omnibus, quæ in lege ſcripta ſunt, ut faciat ea*. Porro „ ſi (*a*) vel ipſam Hieroſolymam incolentibus, atque in una „ Judæa verſantibus ac degentibus, Moſaicum illud vivendi inſtitu- „ tum ſervatu difficile eſſet “, quomodo ſervari potuit a reliquis Orbis Gentibus, ex quibus ſibi populum deligendum conſtituerat Deus, cum prope innumeri futuri eſſent, quibus ob Hieroſolymorum diſtantiam, præceptum adeundi Urbem ter in ſingulos annos implere, impoſſibile plane fuiſſet?

EUSEBIUS.

Fœdus, quod pepigit Deus cum omnibus Gentibus, in Scripturis prænuntiatum: quo ſenſu dicatur novum.

Idcirco Chriſtus Dominus, diſcipulos ſuos ad annuntiandum Gentibus Evangelium miſſurus, non illis juſſit, ut quæ in Lege præcepta erant, docerent, ſed quæ ex ore ejus audierant, prædicarent. (*b*) Moſaica enim lex nonniſi Judæorum populo conſentanea eſſe poterat; at lex a Chriſto lata omnibus omnino Gentibus debebat eſſe communis juxta Jacobi vaticinium dicentis: (*c*) *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*. (*d*) Hinc David „ gentibus imperat canere non antiquum amplius illud, & Mo- „ ſaicum canticum, ſed aliud quoddam novum in hunc modum “: (*e*) *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra*; & alibi: (*f*) *Afferte Domino tribus Gentium, afferte Domino gloriam nomini ejus:* & iterum: *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum; in conſpectu Gentium revelavit juſtitiam ſuam. Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri*. Hoc novum canticum Jeremias *novum Teſtamentum* appellat (*g*), *non ſecundum Teſtamentum, quod diſpoſuit Deus Patribus eorum, cum adduceret eos de terra Ægypti*. Ubi optime notat Euſebius, hoc ſolo in ſenſu *novum* vocari, cum cæteroquin in eo „ (*h*) priſca illa, & ipſo Moyſe antiquior in- „ ſtauretur religio, ad cujus normam & Abraham, & ejus Ma- „ jores vixiſſe, facile demonſtratur. Nam & illi (pergit Euſebius) „ unum Supremum Cæli & terræ Opificem coluerunt, ut Chriſtia- „ ni .... Sed nec minus Dei Verbum, quem Chriſtum appellare „ nos conſuevimus, illis cognitum fuiſſe, quam nobis, Sacrarum „ litterarum teſtimonio oſtenſum eſt; quippe qui longe excellen-

(a) *Lib.* 1. *cap.* 3. (b) *Cap.* 3.
(c) *Geneſ.* 49. *v.* 10. (d) *Cap.* 4.
(e) *Pſal.* 95. (f) *Pſal.* 97.
(g) *Jerem.* 31. *v.* 31. (h) *Cap.* 5.

EUSEBIUS.

„ tius ad illius manifeſtum adventum, & divinam præſentiam cernendam idonei habiti ſunt (*a*). Nec ut corpus circumciderent, „ nec ut ab horum, vel illorum animalium carnibus abſtinerent, „ illi curabant; quoniam ne nos quidem. Nec quod Sabbatum eſ- „ ſet, ullo modo edocti, neque præterea quidquam omnino eo- „ rum, quæ univerſæ Judæorum Genti per Moyſem deſcripta, im- „ perataque ſunt, intelligentes, aut ſcientes, ſed plane, ut Evan- „ gelium Chriſti præcipit, viventes .... Sed quidnam de beatiſſi- „ mo Job inculpabili, juſto, pioque dicemus? quæ tandem illius „ ſummæ pietatis & juſtitiæ cauſa extitit? Numquid præcepta Mo- „ ſaica? minime". Sed illud novit flere cum flentibus, qui *munera non accepit*, viduas adjuvit, *buccellam ſuam cum pupillo communicavit*, *nudum veſtivit*, *nec lætatus eſt*, *cum multæ ſibi divitiæ eſſent*, *nec gaviſus eſt ſuper ruina inimici ſui*. Quid quod? (*b*) Nonne *Chriſti quoque appellationem nobiſcum communem pariter habuere*? De ipſis ſiquidem ſcriptum eſt (*c*): *Nolite tangere Chriſtos meos*, *&* *in Prophetis meis nolite malignari*.

Nova Lex veteri ſubrogata. Impletum Malachiæ vaticinium. Cur legem impleverit Chriſtus.

Novum vero Teſtamentum Veteris locum obtinuiſſe, ex eo ſenſibiliter patet, quia (*d*) *non amplius fieri poterat*, *ut ea*, *quæ ſunt in lege Moyſis*, obſervarentur, *&* *reliquis accommodarentur gentibus*; & ideo everſa, paucis poſt Chriſti necem annis, Hieroſolyma, & diruto, quod ibi erat, Templo, ſoluta eſt confeſtim omnis Moyſis conſtitutio, & quæ de vetere Teſtamento ſervabantur. (*e*) Dum e contra ab eo tempore in omnes homines patefacta eſt, & emicuit pietas & religio, & quæ per illam omnibus gentibus promiſſa fuerat benedictio, & ubique Gentium ſupremo Domino poſita ſunt Altaria, in quibus incruentæ offeruntur hoſtiæ, & rationabile exhibetur obſequium myſteriis novi Teſtamenti aptiſſimum atque accommodatiſſimum; unde Malachiæ vaticinium impletum conſpicimus dicentis: (*f*) Non *eſt mihi voluntas in vobis*, *dicit Dominus exercituum*, *&* *munus non ſuſcipiam de manu veſtra*, *quoniam ab ortu Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus*, *&* *in omni loco ſacrificatur*, *&* *offertur nomini meo oblatio munda*. Illud autem ceu mirabile obſervandum, Jeſum Chriſtum novi hujus Teſtamenti Conditorem minime ea (*g*), *quæ in ipſa lege continebantur*, *aſpernatum plane ſervaſſe &* *effeciſſe*, ſive præcepta ſervando, ſive quæ de ipſo prænuntiata erant, implendo, ut *ſpectantibus fidem faceret*, *quod ipſe eſſet Chriſtus Dei*, *de quo priſci Judæorum Prophetæ teſtimonium protuliſſent*, & illum eſſe, de quo Moyſes dixerat; (*h*) *Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter tamquam me*, *illum audietis in omnibus quæcumque dixerit vobis*. Ideoque Judæi „ continuo, poſtquam illum Prophetam non „ acce-

(a) *Cap.* 6. (b) *Cap.* 5.
(c) *Pſalm.* 104. *v.* 15. (d) *Cap.* 7. (e) *Cap.* 6.
(f) *Malach.* 1. *v.* 10. (g) *Cap.* 7.
(h) *Deut.* 18. *v.* 15.

EUSEBIUS.

„ acceperunt, nec ſanctis illius verbis paruerunt, extremum pertulerunt interitum .... Nos autem, qui illum ſuſcepimus, ... & ei parere etiam votis expetimus, edictum Moyſis compleviſſe invenimur.

Chriſtus ſuam legem in cordibus diſcipulorum inſculpſit: Sapiens Apoſtolorum Œconomia. Nonnullorum Chriſtianorum ſumma perfectio.

Euſebius poſtquam curſim dixerat, Chriſtum legem ſuam (*a*) non *in tabulis inanimatis*, *aut membranis*, *ſed in mentibus vita præditis deſcripſiſſe*, juxta Jeremiæ vaticinium, ſubdit: „ Ejus vero „ diſcipuli ad Magiſtri ſui nutum, auribus multorum doctrinam „ ſuam accommodantes, quæcumque quidem veluti ultra habitum „ progreſſis a perfecto ipſorum Magiſtro præcepta fuerant, ea iis, „ qui capere poterant, tradiderunt: quæcumque vero iis convenire „ arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, „ curationiſque indigentes, ea ipſi ad imbecillitatem multorum ſe „ demittentes partim litteris, partim ſine litteris, quaſi jure quo„ dam non ſcripto ſervanda commendarunt „. Hinc duplicem diſtinguit Chriſtianorum claſſem; alia quidem eos complectens „ qui „ communem hominum vitæ rationem excedentes, non nuptias, „ non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem requiren„ tes, ... ſolo divino cultui ex immenſo rerum cæleſtium amore „ addicti erant,... quique ſupremo omnium Deo ſacrati, rectis „ veræ pietatis ſententiis, & purgati animi affectione, operibus „ quoque, ac verbis, quæ a virtute proficiſcantur, divinitatem i„ pſam placantes ſuum & pro ſe ipſis, & pro aliis .... admini„ ſtrant Sacerdotium „. Alia illorum eſt „ qui modeſto conjugio, „ & ſobolis procreatione implicantur, & rei familiaris curam aſſu„ munt:... agros quoque & mercaturam, aliumque magis civi„ lem vivendi modum adjuncta religione non negligunt: iis au„ tem, qui hunc modum elegerunt, & exercitationum tempora, „ & diſcendi, verbumque divinum audiendi certi dies aſſignati „ ſunt „.

Servatæ apud Chriſtianos virginitatis cauſſæ: Cur animalia non ſacrificent.

Perfectorum Chriſtianorum cœlibatus, & abſtinentia ab animalium ſacrificiis magnum videntur afferre diſcrimen inter ipſos, & antiquiores Patriarchas, quorum tamen Religionem ſuperius dixerat Euſebius noſtræ fuiſſe omnino ſimilem, unde objectionis loco illud ſibi proponit, ſicque reſolvit, dicens: ideo Patriarchas „ (*b*) ma„ gna cum cura ſobolis incrementum quæſiviſſe, ut per illud tem„ pus & numerus hominum augeſceret & multiplicaretur, atque „ in dies robur acciperet genus humanum .... Præterea illis nihil „ erat impedimento, ne domui liberiſque præeſſent, ac pariter di„ vinæ quoque rei vacarent, quando una cum uxoribus, & libe„ ris, & domo religioni aſſiduam dare operam poterant, & nuſ„ quam ob ullas res externas a meliore propoſito avellebantur „. Cui & illud addendum: „ Cum reliqui homines in morum perverſita„ te majus in dies incrementum accepiſſent,... ut veræ religionis, „ tamquam ſcintillæ quædam reparandi ignis, ita aliquod ſemen

P 2 „ ſerva-

(a) *Cap.* 8. (b) *Cap.* 9.

Eusebius. „ ſervaretur .... & generandæ, & alendæ ſobolis curam introduxe- „ re, ut .... ſucceſſores pietatis, propriæque virtutis hæredes po- „ ſteris relinquerent “. Dum ex adverſo Chriſtiani, Mundi finem jam proximum expectantes, de illius conſervatione & augmento minime ſolliciti, Apoſtoli conſilium amplectuntur: *Qui habent uxores, tamquam non habentes ſint;* & timentes, ne matrimonii impedimenta exteriora pene innumera obſtacula adaugeant, quibus a Dei cultu & pietate amoventur, nuptiis renuntiant. Præterea nec ſobole ac filiis indigent ad multiplicandum populum Dei „ cum, Deo fa- „ vente, per Evangelicam Salvatoris noſtri doctrinam innumerabiles „ gentes & populos in urbibus, & regionibus, & regnis liceat no- „ bis oculis intueri, eodem animo feſtinantes, & ad ſancta Evan- „ gelicæ doctrinæ præcepta concurrentes, quibus quidem ſatis ſu- „ perque ſit, ſi Doctores & Prædicatores Verbi Divini omnibus & „ vitæ vinculis, & ſollicitudinibus liberati poſſint ſufficere .... „ Hoc tamen admonentes, ne novi quidem Teſtamenti legibus, „ quæ ad ſuſceptionem liberorum pertinent, omnino interdici, ſed „ in hoc quoque iis conſentanea, quæ de priſcis illis ſanctis Viris „ (Noe & Iſaac & Joſeph) memorantur, inſtituta haberi; (*a*) *o-* „ *portet* enim, dicit ſermo divinus, *Epiſcopum unius uxoris virum* „ *eſſe*. Verumtamen eos, qui ſacrati ſunt, atque in Dei miniſte- „ rio, cultuque occupati, continere deinceps ſe ipſos a commercio „ uxoris decet; cæteris autem idem ſermo divinus indulget, ac pa- „ lam prædicat, quod utique *honorabile ſit conjugium, & torus* „ *immaculatus & fornicatores & adulteros judicaturus ſit Deus* “. Cur vero Chriſtiani ſummo Deo animalia non ſacrificent, (*b*) *talis a nobis* (ſubdit Euſebius) *ratio redditur .... quia* habent *venerabilem illam, Deoque acceptam magnam hoſtiam, quam venturam olim, divino indicante Spiritu, tanto ante didicerant, quæ totius Mundi expiatio eſſet*, cujus figura & umbra erant Veterum Sacrificia, nimirum Corpus & Sanguinem Chriſti, *cujus Sacrificii memoriam ſignis quibuſdam in menſa quotidie celebrant*. Offerunt præterea Deo *bene olentem fructum* precum & orationum, *corpus & animam, corpus* quidem *ab omni obſcœnitate intactum, atque immaculatum ſervantes, omnique affectu, atque omni fœditate, quæ a malitia proficiſcitur, purgatam mentem illi reddentes. Grata enim illi hæc eſſe magis, quam hoſtiarum magnum numerum, quarum ſanguine, & fumo & nidore operemur, edocti ſumus*.

Vaticinia de Meſſia in Chriſto completa. In ſecundo libro Euſebius plurima congerit ex Prophetis & Pſalmis teſtimonia, queis Gentium ad fidem vocationem, ac pene omnium, paucis dumtaxat exceptis, Judæorum reprobationem evincat. In tertio vero preſſius ratiocinatur, & in eo, cujus binos præcedentes *libros prodromos* vocat, ſolidiſſimis rationibus & argumentis probare aggreditur, Jeſum Chriſtum verum eſſe Meſſiam, ejuſque

(a) 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 2. (b) *Cap.* 10.

ejuſque Evangelium legem eſſe ab omnibus populis & gentibus cuſtodiendam. Exorditur itaque (*a*) oſtendendo Judæis, omnia de venturo Meſſia vaticinia in Chriſto ad litteram completa fuiſſe. Primo promiſſionem Judæis factam a Deo *de ſuſcitando* (*b*) *de fratribus eorum Prophetam Moyſi omnino ſimilem*, & longa inſtituta comparatione inter antiquum illum Legislatorem, & Chriſtum, clariſſime evincit, hunc illum eſſe Prophetam, de quo Deus locutus fuerat, & ſuſcitandum promiſerat, atque mittendum. Cætera deinde expendit vaticinia, ac impletum evincit illud Moyſis, quo prædixerat, *dominaturum gentibus*, cum Chriſtus ſuper omnes imperet Gentes, *quæ illum ut Deum ac Dominum non labiis tantum, ſed affectione ſinceriſſima confitentur; quod nulli ex iis principibus & regibus, qui in circumciſione regnaverint*, convenire poteſt; & illud Jacobi, *non defuturos deinceps ductores ac principes, qui ſibi inter ſe continuata ſerie ſuccedant de gente Judaica, uſque ad ejus, qui expectatur, adventum: . . . nam ſimul atque Chriſtus ad homines venit, Judæorum Regia ſublata eſt, continuoque illorum Princeps defuit.* Chriſtus juxta Michæam in Bethlehem natus eſt, juxta Iſaiam ex ſemine David, & ex Virgine prognatus eſt, & occiſus mortem pertulit, juxta Pſalmum 116. reſurrexit; & denique ærumnas omnes, ac omnia mala Judæis prænuntiata ob necem Meſſiæ eos occupaſſe ſtatim ac nece Chriſti hoc tam immane ſcelus impleverunt.

EUSEBIUS.

Verum cum hæc argumenta nonniſi illos convincant, qui Scripturarum veritatem admittunt; hinc Euſebius aliud demonſtrationis genus aggreditur, quo Infidelibus & Ethnicis Chriſti comprobet divinitatem. Quærendum igitur dicit (*c*) primo loco ab iis, qui Chriſtum ſeductorem appellant, num *ex hiſtoriis* quempiam *proferre poſſint* impoſtorem, *qui manſuetudinis, probitatis, temperantiæ, omniſque reliquæ virtutis iis, quos ſeduxerit, magiſter & auctor extiterit.* Deinde ad ejus miracula progrediens plura ex ſplendidioribus recitat, oſtenditque, nec ficta dici poſſe a Diſcipulis, qui ea ſcripſere, nec præſtigias Magiſtri: & primo quidem Apoſtolos non aliquo temporali emolumento permotos ad falſa & ficta de Chriſto enuntianda miracula, quippe qui ab ipſo didicerunt temporalia omnia ac terrena contemnere & aſpernari. 2. Incredibile plane eſſe (*d*), *duodecim de omni numero electos, & ſeptuaginta reliquos*, omnes ſibi inter ſe conſenſiſſe in mendacio, ut totum orbem fallerent, & hac de cauſſa *religioſam, gravemque vitam amplexatos eſſe, reſque ſuas omnes aſpernatos, & pro cariſſimis, uxore, inquam, & liberis, & omni genere vitam inopem elegiſſe, ac de ſuo Præceptore concors teſtimonium in omnes homines protuliſſe.* Cur ſi Magiſtrum ſuum ſeductorem agnovere, *poſt turpiſſimam ejus mortem* illum non deſeruere, *immo alacres & ipſi mori malebant,*

Evangelicæ hiſtoriæ veritas, ex quo impoſſibile fit, Apoſtolos fallere voluiſſe.

 quam

(a) *Lib.* 3. *cap.* 1. 2. (b) *Deut.* 18. *v.* 15.
(c) *Cap.* 3. (d) *Cap.* 7.

EUSEBIUS. *quam a vera de illo teſtificatione amoveri? cum interim illorum unicuique liceret otioſe vivere, & in propria domo una cum ſibi cariſſimis ſecuriorem, multoque tutiorem vitam agere*. Quomodo auſi fuiſſent totum orbem ejus legibus ſubjicere, nihil habentes, quod præoccupatis Gentium mentibus objicerent, præter cujuſdam Crucifixi doctrinam, quem ceu Deum colendum prædicabant loco Numinum, & Deorum, quorum cultum a Majoribus ſuis longa ſucceſſione cuſtoditum, & traditum pleræque Nationes agnoſcebant? Quid ex tam audaci facinore præmium ſibi poterant polliceri? Profecto nonniſi *ſupplicia a legibus omnium hominum, ut par eſt, contradicentibus injuncta, vincula ſcilicet, tormenta, carceres, necnon ignem, ferrum, cruces, & beſtias;* & denique mortem, quam revera intrepide ſubjere. Neque dicas, *illos neque opinatos fuiſſe, neque ſperaſſe, quidquam ejuſmodi ob commendationem Jeſu perpeſſuros. At iſtud quonam pacto conceditur, illos non ſperaſſe pro illo ſe omnia paſſuros, qui & apud Romanos, & apud Græcos, & apud Barbaros Deorum everſionem eſſent invecturi?* Et revera nonne legimus in eorum hiſtoria, *illos poſt Præceptoris interitum ab inſidiatoribus quibuſdam captos fuiſſe, in carcerem conjectos,... verberatos,... lapidibus interfectum Stephanum, & inſectationem non mediocrem ortam adverſus eos, qui nomen Jeſu publice commendabant?* quæ profecto omnia, quid ſibi ſperandum eſſet, oſtendebant. 3. *Unus eorum, qui vivum Præceptorem prodere auſus eſt, illico manum ſibi ipſi conſciſcens* (quod profecto feciſſet nunquam, ſi certo noviſſet, ſe seductorem, & impoſtorem prodidiſſe) *debitum ſupplicium invenit*. 4. Denique ſi duodecim Apoſtolorum, & ſeptuaginta Diſcipulorum teſtimonium ſatis non eſt ad fidem Chriſti miraculis adſtruendam, jam nihil eſt tam apertum & exploratum, quod in dubium revocari non poſſit, præſertim cum, qui de Chriſto ſcripſere, rudes fuerint, & illiterati, proinde nec natura, nec arte ad ſagaciter, ſeu aſtute quidquam comminiſcendum inſtructi, ac tali uſi ſunt ſtylo, in quo ſimplicitatis, qua veritas gaudet, omnes characteres effulgent, qui non minus candide ea, quæ ſibi favent, quam ea, quæ ignominioſa videri poſſunt, deſcripſere. Sic *Matthæus Apoſtolus vitæ genus, quod prius ſectatus eſt*, edixit, ſe publicanum appellans, antequam a Chriſto vocaretur. Et Petrus (qui & auctor Evangelii a Marco exarati cenſeri poteſt, cum Evangeliſta non niſi quæ ex ore ipſius Petri audierat, narraverit) ſilentio obvolutum voluit præclariſſimum illud teſtimonium de Chriſto prolatum, & quam conſecutus eſt a Chriſto laudem, ac primatus prærogativam, qua donatus fuit. At vero quæ *ad negationem ſuam pertinebant, in omnes homines protulit*, ac publicavit, & quidem accuratiori narratione ſupra cæteros Evangeliſtas. Omnes etiam eodem animi candore, & ſinceritate Magiſtri ſui opprobria narrarunt, *unius ex diſcipulis proditionem, calumnias criminantium, ludibria, irriſiones, contumelias, flagella, crucem*, mortem denique infamem in patibulo. Porro ſi ipſis *propoſitum fuiſſet mentiendi, ſi qua offendunt*,

ea

ea in primis aut præteriri oportebat ſilentio, aut ſi id non poterat, negatione refelli. Si fallendi mens illis fuiſſet, aut nonniſi mirifica narraſſent, & glorioſa, vel falſa confinxiſſent portenta, puta *Judam, qui oſculo illum tradidit.... ſtatim in lapidem eſſe converſum, & qui alapam illi inferre auſus eſt, ejus illico dexteram aruiſſe, & Caipham Pontificem, propterea quod falſis contra illum criminibus conſenſerit, oculis captum fuiſſe.* Mentiri poterant *ſignificantes, nihil plane illi, quod poſſit offendere, eveniſſe, ſed ipſum quidem evanuiſſe, forumque, & judicia illorum irriſiſſe; qui vero illum comprehendere auſi fuerant, divinitus illuſos contra illum ſe agere, quæ egerunt, tametſi ille non aderat, credidiſſe. Quid porro? nonne gravius, digniuſque ſcripſiſſent, nullum plane humanum, aut mortalem caſum illum ſubiiſſe? verum ubi vi divina res omnes ſuas confirmaſſet, tum in cælum glorioſius, diviniuſque revertiſſe?* Ex quibus omnibus infert Euſebius, verum omnino eſſe putandum quidquid de Chriſto ſcripſere, & teſtati ſunt Apoſtoli, & confirmatum legitur a Joſepho Flavio ſcriptore Judæo ſynchrono in celebri ſuo teſtimonio, quod decimo Antiquitatum Judaicarum libro legitur.

Euſebius.

Refellit deinde Euſebius illos, „ (*a*) qui fatentur quidem, Jeſum res geſſiſſe admirabiles, ſed præſtigiis oculos intuentium illuſiſſe, atque ut ſolent Incantatores, & Venefici, in admirationem ſui traxiſſe præſentes “. Et primo quidem hujuſce criminationis vanitatem oſtendit ex maximo diſcrimine morum, doctrinæ, converſationis, & vitæ Jeſu Chriſti Servatoris noſtri a moribus, & vita Veneficorum, & Magorum; cum iſti in ſuis præſtigiis non niſi gloriam avidiſſime quærant, lucris inhient, voluptatibus etiam turpioribus indulgeant; quod a Chriſto plane omnino abfuit. Id autem iterum ex eo confirmat Euſebius, quod „ præſtigiator, ubi alios ſua „ malitia imbuit, diſcipulos quoque præſtigiatores, ſeductores, ve- „ neficos, ſibique ipſi in omnibus ſimiles reddere ſtudet .... At „ nullus unquam diſcipulus Jeſu præſtigiator apparuit, tametſi in „ diverſis temporibos & Reges, & Præſides per tormenta, quidquid „ ad nos pertinet, diligentiſſime exquiſierint,... immo primi Chri- „ ſti diſcipuli,.... cum præſtigiarum crimine infames ad ſe venie- „ bant, adeo in diverſos mores commutabant, ut auſi ſint magicos „ libros in medium proferre, & in conſpectu omnium comburere “. Addit, ſi inter Philoſophos præſtantiſſimi, & celeberrimi ſectas ſuas nunquam adeo dilatarunt, ſicut Chriſtus Religionem ſuam, multo minus id præſtare potuiſſet Præſtigiator, & Magus. Præterea nullus ex celebrioribus Præſtigiatoribus inventus eſt, qui paria, ac ſimilia portenta ante ipſum exercuerit, quæ tamen prodigia Chriſtus Dominus non ope Dæmonum patraſſe dicendus eſt, cum nunquam *nec libationibus, nec ſacrificiis, nec Dæmonum invocatione uſus ſit, ejuſque Sectatores citius pati, ut morti animam, quam*

Vera fuerunt Chriſti miracula Magiæ nullo modo tribuenda.

P 4 *ut*

(a) *Cap. 6.*

EUSEBIUS. *ut Dæmonibus ſacrificium offerrent, citius ſuſtinere de vita excedere, quam pravis Dæmonibus in ſervitutem dari:* Immo *ipſorum conſuetudinis erat, ipſo Jeſu nomine, & puriſſimis precibus omnem Dæmonum vexationem abigere.* Ille terror, quem, dum in terris degeret, ſola ſua præſentia Dæmonibus incutiebat, ſuæ inculpatæ vitæ innocentia, orationes ad Deum, quas ipſe docuit, omnium gentium ad ejus fidem converſio, & quidem *per viros ignobiles* de piſcatorio, atque humili victu aſſumptos, horum diſcipulorum confidentia, & ſubjectio cum illis juſſit, ut tantum, tamque arduum opus aggrederentur, fauſtiſſimus tantæ molitionis eventus, ſuperatæ denique Tyrannorum, & Principum ſæviſſimæ perſecutiones, nonne invicte oſtendunt, Chriſtum non humana virtute, non ope Dæmonis, ſed divina, qua pollebat, potentia eſſe operatum? Denique animadvertit Euſebius, tantam fuiſſe, tamque ſplendidam Salvatoris noſtri vitæ innocentiam, atque candorem, ut Porphyrius Chriſtiano nomini infenſiſſimus ſcribere non dubitaverit, Chriſtum ſumme *religioſum ac pium* fuiſſe, *& in cælum, ut pii ſolent, ſubvectum.*

De Verbi Naturâ. In quarto libro abditiore theologia de Divini Verbi natura pertractat Euſebius. Scribit itaque, Verbum eſſe ſummi Parentis (*a*) *fætum primogenitum, ſapientiam ex ſe ipſo, unum perfectum, ſolum genitum, Deum de Deo,* ſicut a ſole lumen, a flore odorem. *Patrem nihil a Filio accipere, quo ſuam naturam, qua Deus eſt, compleat, Verbum autem tanquam ex cauſa profectus Filius alius ab illo, cujus eſt Filius, exiſtit, quippe qui a Patre, ut & ſit, & talis ſit, acceperit, genitus ante tempora æterna, & tanquam filius una cum Patre ſemper degat: Deus de Deo non diremptione aliqua, aut ſectione, aut diviſione de ſubſtantia Patris productus, ſed qui de Patris conſilio, ac virtute ante omne ævum eſſentiam ſit nactus modo quodam, qui neque verbis comprehendi, neque ratione colligi a nobis poſſit; quemadmodum enim nemo novit Patrem, niſi Filius, ſic Filium quoque nemo novit, niſi unus, qui genuit illum, Pater.*

Duarum diſtinctio naturarum in Chriſto. „ (*b*) Verbum itaque communi more verſari nobiſcum factus „ homo, haud indignum ſua majeſtate judicavit, interim tamen „ nunquam deſinens eſſe, quod erat. Deinceps vitam omnem eadem „ ratione peregit, nunc quidem ſimilem naturæ noſtræ infirmitatem, „ nunc vero ipſum Dei Verbum præſeferens, dum ingentia quæ„ dam, atque mirabilia tanquam Deus effecit. Tanquam homo „ corpus de morte ſepeliendum reliquit, tanquam Deus mortem „ objurgavit, & vicit, animas etiam ſolvens iis, qui catenis mor„ tis impliciti erant, remeandi ad vitam iter retrorſum aperuit.... „ Cujus non unam cauſam, ſed plures invenies; primam, ut tam „ in mortuis, quam in vivis dominaretur; alteram, ut noſtras abſ„ ter-

(a) *Lib.* 4. *cap.* 1. *& ſeq.*
(b) *Cap.* 10. *& ſeq.*

„ tergeret maculas peccatorum; tertiam, ut tamquam Dei victima, „ atque ingens ſacrificium ipſi ſupremo Deo offerretur pro univerſo „ Mundo; quartam, ut ſic fallacioſæ, ac dæmoniacæ efficaciæ ever- „ ſionem moliretur; quintam, ut ſuis diſcipulis vitæ, quæ apud „ Deum futura eſt, ſpem factis repræſentans confidentiores, atque „ alacriores præſtaret.... Interim Dei vis incorporea naturæ ſuæ „ nullum neque incommodum, neque nocumentum accepit.... Et- „ enim tunc quoque, cum inter homines verſabatur, nihilominus „ omnia complebat; interim & in Patre, & cum Patre idem „ erat, & omnium rerum pariter in eodem tempore tam cæle- „ ſtium, quam terreſtrium curam gerebat... Item mortali quidem „ vim divinam ſuppeditans,... nihil a mortali ſecundum eſſentiam „ patiebatur,... quemadmodum ſolares radii, dum cælitus in ter- „ ram demittuntur, & lutum, & cœnum, atque omnis generis ſor- „ des attingunt, minime ab illis inquinantur ".

EUSEBIUS.

Quo ſenſu Chriſti, idest Uncti nomen Jeſu conveniat.

Ita divinæ Incarnationis œconomiam exponit Euſebius. Dein progreditur, & Chriſti nomen expendendum ſumit. (*a*) Oſtendit itaque, Chriſti nomen in Scripturis non iis dumtaxat conceſſum, qui materiali oleo delibuti fuiſſent, ut Summi Sacerdotes, & Reges apud Judæos, ſed & illis, *qui ſine terreſtri unguento divino ſpiritu afflati eſſent*, uti Abraham, Iſaac, & Jacob, cum & de illis dixerit Regius Pſaltes: (*b*) *Nolite tangere Chriſtos meos*, & *in Prophetis meis nolite malignari*. Et in hac poſteriori ſignificatione Jeſu, Chriſti nomen quam maxime convenire oſtendit, quippe qui & æternum habet Sacerdotium: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, & *non ab hominibus*, *ſed ab ipſo Patre unctus ſit* per æternam illius generationem, modo proinde aliis unctionibus longe excellentiore, unde in Pſalmo dicitur: (*c*) *Dilexiſti juſtitiam*, & *odiſti iniquitatem*, *propterea unxit te Deus*, *Deus tuus*, *oleo lætitiæ præ participibus tuis;* & per Iſaiam dicit ipſemet Salvator: *Spiritus Domini ſuper me*, *propter quod unxit me*, *evangelizare pauperibus miſit me*. Ubi animadvertendam, dicit Euſebius, Prophetarum conſuetudinem, & ſtylum, *quod futurum eſt quaſi præteritum enunciandi*. Expendit poſtea plura alia Scripturæ teſtimonia, in quibus de Chriſto, vel Jeſu mentio habetur, & ea omnia, quam belle & apte Servatori noſtro conveniant, oſtendit.

Prophetarum teſtimonia de generatione & divinitate Filii.

In quinto, & ſubſequentibus libris Euſebius iterum de Divinitate Verbi doctrinam expendit, (*d*) eamque explicat, & Prophetarum oraculis, ac teſtimoniis comprobat. Et primo celebre affert Proverbiorum teſtimonium de Verbi æterna generatione: (*e*) *Dominus creavit me initium viarum ſuarum .... ante colles gignit me*. Sic enim in Septuaginta Verſione, qua utebatur Euſebius, textus

(a) *Cap.* 15. & *ſeq.*
(b) *Pſal.* 104. *v.* 15. (c) *Pſal.* 44.
(d) *Lib.* 5. *cap.* 1. (e) *Proverb.* 8.

EUSEBIUS. textus ille legitur; deinde ſubdit: „ In ingenita maximi Dei na-
„ tura, & in unici ejuſdem, primoque geniti Filii procreatio-
„ ne, a rebus creatis, & corporeis uſurpare imaginem, aut ſimi-
„ litudinem, omnium, quæ impia ſunt, maxime impium eſt....
„ & in contrariam abire partem, & ſimpliciter ſic enunciare, ex ni-
„ hilo genitum eſſe Filium eadem ratione, qua reliqua, quæ fa-
„ cta ſunt, non abſque periculo eſt; tunc ſani judicii eſt confiteri
„ cum Scriptura, ante omnia ſæcula Verbum Dei primogenitum
„ fuiſſe omnis creaturæ, & unicum eſſe maximi Dei Filium. Et-
„ enim ſi aliud quidpiam, quod neque dici, neque comprehendi a
„ nobis poſſit, in natura univerſi remanſit (ſunt autem innumerabilia
„ hujuſcemodi) multo prius ſuper omnem cogitationem feruntur, ac
„ neque dici, neque denominari, atque intelligi, nec animo con-
„ cipi poſſunt, quæ ad primam unici Dei Filii generationem per-
„ tinent, de quo ſane nihil habemus amplius, quod dicamus, aut
„ cogitemus, quam illud: (*a*) *Generationem ejus quis enarrabit*"?
Quæ Iſajæ verba ſæpius repetit, & inculcat. Deinde verba expen-
dit Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo .... ante luciferum ge-
nui te;* & rurſum: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es
Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech;* & concludit:
De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Priora verba
(dicit Euſebius) oſtendunt „ (*b*), Salvatorem, ac Dominum no-
„ ſtrum eſſe ipſum primogenitum omnis creaturæ, Dei Verbum, ſa-
„ pientiam, quæ eſt ante ævum, & unicum patris germen". Quæ
ſequuntur, declarant „ inconcuſſum, atque immutabilem in infini-
„ tum ævum permanſuri Sacerdotii honorem". Poſtrema denique
verba ejuſdem in humana natura paſſionem, & mortem. In Iſaja
quoque habetur (ſequitur Euſebius): (*c*) *Adorabunt te juſti, & in
te orabunt, quoniam in te eſt Deus, & non eſt Deus præter te;* id-
eſt, juxta Euſebium, Filium eſſe adorandum, (*d*) *quoniam pater
ei ſe ipſum communicat, & de communicatione veritatis illius di-
gnitatem accipit.... Ut enim alicujus Regis imago veneratione af-
fici ſolet propter illum, cujus lineamenta expreſſa, & ſimilitudi-
nem fert... ſic ſane Unigenitus quoque Filius, cum ſolus ſit imago
Dei inviſibilis, eſt adorandus.* Addit tamen, Filium eſſe imaginem
Patris *natura, & eſſentia, & non acquiſitam, ſed naturalem illius
imaginem refert, non, ut illi extrinſecus adſumuntur, adoptatus, qui-
que adventitium divinæ appellationis honorem poſſident.* (*e*) In
Pſalmo 32. appellatur *Verbum Domini, quo Cæli firmati ſunt:*
quod confirmatur ex Iſaja, ubi dicitur: (*f*) *Ego ſum primus, ego
ſum in æternum, & manus mea fundavit terram, & dextera mea
conſolidavit Cælos... & nunc Dominus miſit me, & Spiritus ejus.*
In quo teſtimonio illud animadvertendum monet Euſebius, Domi-
num

(a) *Iſaj.* 53. *v.* 8. (b) *Cap.* 3.
(c) *Iſai.* 45. *v.* 14. (d) *Cap.* 4.
(e) *Cap.* 5. *v.* 6. (f) *Iſaj. cap.* 48. *v.* 12.

num bis appellari, ut primo loco ſupremus Deus deſignetur, ideſt Pater, qui primus dicitur, *quoniam nec principium quidem illius ullum excogitari poteſt, ſed eſt ultra principium, utpote qui primum ipſe genuerit.... quandoquidem ſolum Divinum Verbum omnium eorum, quæ genita ſunt, primum jure nuncupatur.*

Eusebius.

Ut vero oſtendat, Filium perſonam eſſe a Patre diſtinctam, (*a*) teſtimonia illa Scripturæ allegat, in quibus Deus inducitur, ſive ille ſit Pater, ſive Filius, cum alio communicans, & alium alloquens ceu ſimilem Deum, & Dominum. Loca Scripturæ, in quibus Deus antiquis Patriarchis apparuiſſe dicitur, eſſe de Filio intelligenda docet, quia (inquit) (*b*) *dicere id mutari, quod divinum eſt, & figurari in ſpeciem, ac formam hominis, neutiquam pium eſt;* quod confirmat ex Joanne dicente: *Deum nemo vidit unquam*. Nihilo tamen ſecius (*c*) *ſupremum, & omnia ſub ſe habentem Deum*, videlicet Patrem, putat illum fuiſſe, qui Moyſi in flamma rubi apparuit, eumque eſt allocutus non per ſe ipſum, ſed *per Angelum*, ſicut *& per Iſajam, & Jeremiam, & ſimiles*, & ipſe ſupremus Deus eſt, qui *modo Chriſti perſona, modo Sancti Spiritus reſponſa dabat*. Sed quoniam in Scriptura habetur, illum, qui cum Moyſe locutus eſt, eumdem fuiſſe, qui Abrahæ, Iſaac, & Jacob apparuit, ut difficultatem ſolvat Euſebius, ad Aquilæ verſionem confugit, juxta quam legendum putat, Patrem hiſce Patriarchis apparuiſſe non per ſe ipſum, ſed per Filium: ſic enim vertit Aquila: *Viſus ſum ab Abraham, & ab Iſaac, & ab Jacob in Deo ſatis multo. Quibus verbis planiſſime indicat* (inquit Euſebius) *non ipſum illum, qui Pater eſt, per ſe ipſum apparuiſſe*. Porro in iis omnibus Scripturæ teſtimoniis, in quibus, ut ipſe putat, de Verbi apparitione ſermo habetur, illud diligenter notat, ſemper Deum dici, haberique, & Dominum appellari vel conceptis verbis, vel æquipollentibus.

Diſtinctio Perſonarum Patris, & Filii. Filius eſt, qui Patriarchis apparuit.

Expendit deinde Prophetarum vaticinia, quæ Dei deſcenſum ad homines indicant, & duo hujuſce adventus manifeſtiſſima argumenta promit, vocationem ſcilicet omnium Gentium ad Fidem, & Judaici Regni everſionem ac Judæorum diſperſionem ob incredulitatem; nec non teſtimonia, hujuſce adventus circumſtantias deſignantia, videlicet Deum venturum in humana carne, & natura, naſciturum ex Virgine in populo Hebræorum, in tribu Juda ex Davide, & Salomone, Bethlehem ſui natalis futurum locum, quæ omnia vaticinia in Chriſto plane impleta fuiſſe libris ſexto, & ſeptimo luculentiſſime oſtendit.

Vaticinia de adventu Meſſiæ.

Tempus vero, quo Meſſias Filius Dei ad homines venire decreverat, (*d*) de quo in octavo libro tractat Euſebius, ex Jacobi vaticinio determinat. Vaticinatus eſt enim Jacob in hæc verba: *Non deficiet Princeps de Juda, neque Dux de fæmoribus ejus, donec veniant,*

Vaticinium Jacobi de tempore adventus Meſſiæ explicatur.

(a) *Cap.* 7. (b) *Cap.* 9.
(c) *Cap.* 13. (d) *Lib.* 8. *cap.* 1.

EUSEBIUS.

niant, quæ ipſi repoſita ſunt, & ipſe expectatio gentium; ſeu, ut in noſtra Vulgata legitur: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt.* Oſtendit autem Euſebius ex tota vaticinii ſerie, & præcedentium, ac ſequentium nexu, & colligatione, illud nonniſi ad Chriſtum referri, & de uno Jeſu Chriſto intelligi poſſe. Probat itaque, ex Tribu Juda ſemper aſſumptos fuiſſe Reges a Davide uſque ad Herodem, *qui primus externus illis præfuit;* ſed etiam ante Davidis tempora eandem Tribum principatum habuiſſe inter Filios Iſrael, licet qui imperabant, non ex ea Tribu aſſumpti fuiſſent, quod evincit ex verbis Numerorum, ubi dicitur: (*a*) *Princeps unus per ſingulos dies offerat munera ſua, & fuit offerens primo die munus ſuum Naaſſon Filius Aminadab princeps tribus Juda*; & alibi legitur: (*b*) *Poſt mortem Joſue conſuluerunt filii Iſrael Dominum dicentes: quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli in eum? & dixit Dominus: Judas aſcendet, ecce dedi terram in manu ejus.* Deinde ſubdit Euſebius, cæteras omnes hujus vaticinii partes in Chriſto ad litteram eſſe impletas; nam & *laudatus a fratribus* fuit, dum *admirabiles virtutes, & prodigioſa miracula ederet, admirationi fuit, & laudabatur, & adorabatur a Diſcipulis ſuis, & manus Salvatoris noſtri in tergo inimicorum ſuorum, quo tempore videlicet omnes actiones ſuas, & virtutes, & geſta prodigioſa ad delendos Dæmones, & malignos Spiritus intendebat, pullum aſinæ alligavit*, cum aſello inſidens Hieroſolymam eſt ingreſſus, *lavavit ſtolam ſuam in vino, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*, quando in paſſione ſua ſanguinem fudit, *oculi ejus vino pulchriores*, quando *puritatem illius myſtici alimenti*, Euchariſtiam videlicet, *Diſcipulis tradidit*.

Danielis hebdomadarum explicatio.

Ad aliud celeberrimum 70. hebdomadarum Danielis vaticinium, quod pariter Meſſiæ adventus tempora deſignat, progrediens Euſebius, poſtquam plura notanda propoſuit *de juſtitia ſempiterna inducenda, de conſummatione peccati*, & *unctione Sancti Sanctorum*, Julii Africani rationem temporum, & ſupputationem illarum hebdomadarum, quæ quadringentis nonaginta annis conſtituuntur, recitat. Hic itaque Auctor hebdomadarum initium a vigeſimo Artaxerxis anno deſumit, quando *Neemias ejus pincerna*, cum *eum rogaſſet, reſponſum accepit, ut ædificaretur Jeruſalem, qui fuit octuageſimæ tertiæ Olympiadis annus quartus*, a quo *uſque ad Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ annum ſecundum, Imperii Tiberii Cæſaris ſextum decimum, anni numerantur quadringenti ſeptuaginta quinque, qui hebraica ratione fiunt quadringenti nonaginta, utpote qui ad curſum Lunæ annos computare conſueverunt, ut hac ratione annus ſit dierum trecentorum quinquaginta quatuor; idcirco Græci*, qui eadem ſupputatione utuntur, ac Hebræi, *ternos intercalares Menſes octavo cuique anno adjiciunt*. Hac itaque Africani ſupputatione expoſita, ſuam illi adjungit Euſebius numerationem; & primo obſervat, Angelum

(a) *Num.* 7. *v.* 12. (b) *Jud.* 1. *v.* 1.

gelum Danielem alloquentem hebdomadarum numerum in tres diviſiſſe partes, quarum prima ſeptem, ſecunda ſexaginta duas, tertia unam, & poſtremam complecterentur hebdomadas. Porro ſeptem priores hebdomadæ, quæ annos quadraginta novem efficiunt, tempus deſignant ab initio ædificationis Templi uſque ad integrum ejus complementum. Hinc obſervat, Judæos Chriſto dixiſſe: *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* „ Tot enim a Regno Cyri prioris, qui primus „ Judæorum quibuſvis volentibus conceſſit de Babylone in patriam „ terram reverti, ad ſextum Darii regni annum colliguntur, ſub „ quo omnis ædificatio finem accepit. Sed Joſephus auctor Hebræus „ alios tres annos adjungit ad ea, quæ extrinſecus accedunt Tem„ plo, ornamenta abſolvenda, ut propterea merito ſeptem primas „ hebdomadas, quæ ſummam quadraginta novem annorum confi„ ciunt, a cæteris oraculum Propheticum ſeparaverit ". Sexaginta vero duæ cum prioribus conjunctæ hebdomadæ totum tempus complectuntur, quo Summi Sacerdotes Judæis imperarunt poſt reditum a Babylonica captivitate, videlicet *a primo Cyri anno*, in quo Summus Sacerdos Joſedech regnare cœpit, uſque *ad Pontificatum Hircani ab Herode interfecti*, qui Hircanus ab Euſebio poſtremus Chriſtus Domini, legitimus videlicet Summus Sacerdos, habetur. „ Nam Herodes non iis, qui legitimo genere orti eſſent, neque iis, „ qui id juris haberent, ſed ſuppoſititiis quibuſdam, atque a ſerie, „ ac ſucceſſione Pontificum alienis id muneris attribuit, ac ne iis „ quidem in perpetuum, ut Deus juſſerat, ſed ad breve quoddam, „ determinatumque tempus gratificans ". Quod ſi oporteat ſeptuaginta hebdomadum initium facere a ſexageſima ſexta Olympiade, atque a Darii anno ſecundo, in quo omnis illa Urbis Jeruſalem ædificatio abſoluta eſt, invenies ad ipſum uſque Herodem, & Monarcham Romanorum Auguſtum, ſub quibus Salvatoris noſtri ortus vitæ hominum illuxit, 483. annos contineri, qui ſeptem & ſexaginta duarum hebdomadarum ſummam conficiunt. Quoad ſeptuageſimam vero, & poſtremam, cenſet Euſebius, ſejunctim a cæteris enumeratam in prophetico vaticinio, ut ſignificaretur tempus, quod inter ipſam, & reliquas ſexaginta novem labi debebat, atque ejus adventum uſque ad tempus, quo Chriſtus ſuam incepit prædicationem, differt & protrahit, ſcribens: In hac poſtrema hebdomada „ confirmavit pactum cum multis, ſive munitius novum evangelicæ „ prædicationis reddens teſtamentum, ſive cum magno illo ſui ad „ mortem acceſſus myſterio functurus, qua nocte tradebatur, oc„ cultarum, & ad ipſum ſpectantium novi Teſtamenti rationum „ ſigna, & notas ſuis diſcipulis tradidit. In hujuſce autem unius „ hebdomadæ medio ſublatum eſt ſacrificium, quo tempore paſſus „ eſt, & velum Templi ſciſſum eſt a ſummo uſque deorſum, ut „ ex illo jam vi quadam ſublata fuerit ab eis libatio, & ſacrifi„ cium.... Quod ſi per aliquod tempus permanere viſa ſunt ea, „ quæ ad functionem illam in tali loco pertinent, non tamen ea„ dem amplius grata Deo fuerunt, quippe cum & ſine judicio, &

„ præter

Euſebius.

EUSEBIUS.

„ præter leges celebrarentur;... quo ſane tempore etiam deſolatio-„ nis illius abominatio in Templo conſtituta eſt, quæ ſingulis die-„ bus in deteriorem ſolitudinem corruens, plane completa eſt, Tem-„ plo funditus diruto, & Judæorum gente quaquaverſum diſſipata; „ quod ſub Veſpaſiano contigit".

Cætera vaticinia in Chriſto impleta.

Cætera proſequitur Euſebius ſigna perpendere, queis Prophetæ Meſſiæ adventus tempus deſignarunt. Porro hæc ſigna ſunt *pax omnium gentium profundiſſima*, Urbis Hieroſolymorum everſio, Synagogæ abolitio, & Gentium ad fidem vocatio; oſtenditque, hæc omnia eveniſſe, vel quando Chriſtus in terris apparuit, vel paulo poſt. Teſtimonia Prophetarum hæc ſigna prænuntiantium ex Michæa, Zacharia, & Iſaja deſumpta ſunt. (*a*) Poſtea vero comparationem inſtituit Prophetas inter, & Evangeliſtas; & evincit, omnia ab iſtis de Chriſto conſcripta illos de Meſſia tot retro ſæculis eſſe vaticinatos. Stellam, quæ Magis apparuit, quando Chriſtus ortus eſt, indicatam dicit in illo Balaami vaticinio: *Orietur ſtella ex Jacob*; fugam in Ægyptum in illis Iſajæ verbis: *Veniet in Ægyptum, & cognoſcent Ægyptii Dominum*; ejus ab Ægypto reditum ex verbis Numerorum: *Duxit illum ab Ægypto*; & ex aliis Oſeæ dicentis: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*. Plura alia refert vaticinia veteris Teſtamenti, prædicationem Jo. Baptiſtæ in deſerto, Baptiſmum Jeſu Chriſti, ejuſdem devictas Satanæ tentationes, quadragenarium jejunium, miracula, & præſertim primum in Canæ Galileæ nuptiis patratum, nec non calcatas pede ſicco maris undas, ejus pauperibus evangelizationem, novæ legis ſanctionem, Judæorum in eo abnegando pertinaciam, & ſolemnem in Jeruſalem ingreſſum reſpicientia. (*b*) Tandem luculenter evincit, prænuntiata a Prophetis ejus Paſſionem, Judæ proditionem, hujus proditoris infelicem exitum, ſuffectum ejus loco Mathiam, ſolis defectum in Chriſti morte, ejuſdem ad Patrem in cruce orationem, opprobria Judæorum, lanceæ vulnus in corde poſt ejus obitum, clavos, quibus ejus manus, & pedes confoſſi ſunt, veſtimenta ſorte partita, & denique ejus ad Inferos deſcenſum.

Decem reliqui de Demonſtratione libri deſiderantur.

Hujuſmodi ſunt de Præparatione, & Demonſtratione Evangelica ab Euſebio conſcripta Volumina, Opus inter antiquiora, quæ ſuperſunt de dogmatibus, & controverſiis, maximum ſane, & abſolutiſſimum. Decem reliqui de Demonſtratione libri deſiderantur, in quibus credi facile poteſt, Euſebium reliqua pertractaſſe, Jeſu Chriſti ſepulturam, Reſurrectionem, Aſcenſionem, Eccleſiæ fundationem, & extremum Judicium reſpicientia Prophetarum oracula. Scaliger teſtatur, in Vaticana Bibliotheca ſervari; at deceptus credendus eſt, & eadem omnino eſſe, quæ typis impreſſa legimus. S. Hieronymus teſtatum reliquit, in decimo octavo libro nonnulla Oſeæ teſtimonia ab Euſebio explanata fuiſſe.

Euſebii Chronicon ante annum 311. exaratum.

Epocham exarati Chronicorum Operis ab Euſebio ſtatuere haud facile

(a) *Lib. 9.* (b) *Lib. 10.*

facile eſt; illud tamen pro certo, compertoque habere poſſumus, illud ante annum 313. compoſitum jam fuiſſe, quippe quia illud citat in libro de Evangelica Præparatione hoc anno exarato. Nihilo tamen ſecius D. Hieronymus non uno in loco teſtatur, Euſebium Chronicon ſuum uſque ad 20. Conſtantini produxiſſe, ideſt uſque ad 325. a Chriſto nato. Eapropter dicendum videtur, duplex exaratum ab ipſo Chronicorum Opus, & quidem alterum priore amplius, immo & illud addere licet, ſecundum ab ipſo compoſitum, completis jam de Eccleſiaſtica Hiſtoria libris, quod contigit anno 325. Nam in poſtremo Hiſtoriarum libro de Criſpo Conſtantini filio loquitur, ceu adhuc vivente, dum in Chronico ejus mortem notat, & narrat.

EUSEBIUS. Duplex ejus editio.

Opus Chronicorum bifariam partitus eſt: primam partem *Chronotaxim* inſcripſit, alteram vero *Canonem Chronicon*, ſive Regulam Temporis: totum vero Opus *Temporum Hiſtoriam*. In priori parte Euſebius ſingularem omnium antiquarum Gentium chronotaxim exhibebat, Chaldæorum, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Rhodienſium, Hebræorum, Ægyptiorum, Athenienſium, Græcorum, Sicionenſium, Lacedæmonum, Theſſalorum, Macedonum, Romanorum, eorum omnium origines, Imperii magnitudinem, Reges dominatos, Reſpublicas, Civitates, Dictatorum, & Conſulum annos, regnantium Imperatorum, & Cæſarum durationem, Deorum genealogiam, initium, & curſus Olympiadum, tempus adventus, & Paſſionis Jeſu Chriſti, nomina Epiſcoporum Romanorum, Alexandrinorum, Antiochenorum, tempus, quo ſuas rexere Eccleſias, perſecutiones, queis agitata fuit Eccleſia, illuſtriores inter Martyres, & denique totum adnotatione dignum apud Gentes omnes, a Mundi creatione uſque ad Conſtantini imperium recenſuit, narravit, digeſſit; adeo ut hæc Chronici pars merito haberi poſſit ceu generalis hiſtoria, ut eam appellare non veretur D. Hieronymus. Altera vero pars erat veluti prioris Tabula, & Proſpectus. Exordiebatur a vocatione Abrahæ anno Mundi bis milleſimo decimo ſeptimo, & finem habebat anno 20. Conſtantini, ſicut & prior. Unam omnium Chronologiarum Chronotaxim exhibebat, & omnium Gentium peculiare Chronicon aliis jungebat, & comparabat, ut uno veluti intuitu, quidquid in ſingulis Regnis eodem tempore, vel ſaltem integro decennio, (partem enim hanc per decennium partitus erat) conſpiceretur. Et hoc eſt Opus illud, quod D. Hieronymus Breviarium Chronotaxis Euſebianæ appellat ab ipſo eodem Auctore exaratum.

Præcipuus Euſebii in hocce Opere ſcopus eo collineabat, ut tempus ſtatueret, quo Moyſes vixerat. Joſeph ſiquidem, & Juſtus Tiberiadis Judæorum Hiſtorici, & poſt ipſos S. Juſtinus Martyr, Athenagoras, Theophilus, Clemens Alexandrinus, Tatianus, Julius Africanus, illud ſtatuebant annis 150. ante Inachum, ideſt annis 850. ante Trojanum bellum. At Euſebius hanc opinionem rejiciebat oſtendens, licet Moyſes non extitiſſet ante Cecropis tempora, tamen illum antiquiorem habendum Homero, Heſiodo, Caſtore,

Hujus Operis ſcopus.

EUSEBIUS.

ſtore, Polluce, Æſculapio, Baccho, Mercurio, Apolline, Jove, ceteriſque Diis, ac Heroibus apud Græcos auctores antiquitate celebratos (1).

Hiſtoriam Eccleſiaſticam contexuit Euſebius circa annum 325.

Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica illum præ cæteris ejus Operibus celeberrimum reddidit, & illuſtrem. Editis jam Chronologico Opere, & libris de Demonſtratione Evangelica, illam exaravit; quippe qui Demonſtrationis libros aperte indicat, dum ſcribit: „ (*a*) „ Prophetarum oracula de Domino noſtro Jeſu Chriſto edita in „ peculiaribus jam commentariis collegimus, & quæcunque de illo „ traduntur, firmiſſimis demonſtrationibus alibi adſtruximus “. Ad umbilicum autem adduxit ad minus anno 324. non ſolum enim mortem Licinii refert, quæ anno 323. contigit, ſed & plures leges recenſet a Conſtantino poſt victoriam latas.

Hiſtoriæ Euſebianæ partitio: Quæ in ea pertractet: Methodus ſervata.

Decem libris totam Hiſtoriam ſuam partitus eſt Euſebius, & decimum dumtaxat librum Paulino Epiſcopo Tyrienſi dicavit. In ea Epiſcoporum in majoribus Urbibus ſedem tenentium ſucceſſionem accurate ſignat, eccleſiaſticos ſcriptores, eorumque libros recenſet; hæreſum hiſtoriam contexit, & quidquid Hebræos reſpicit, enarrat; Martyrum victorias celebrat; contentiones, & de eccleſiaſtica diſciplina excitatas quæſtiones enumerat; uno verbo, quidquid ad res Eccleſiaſticas pertinet, colligit, & exponit. Quæque ſcribit, non tanquam propria, & hiſtoricorum more divenditat, ſed ſemper vel auctores antiquiores allegat, vel monumenta profert, ex quibus deſumpta ſunt; hinc & plurium compendia affert, ac ſuæ inſerit narrationi juxta illorum morem, qui annales, ſive monumenta in vulgus edunt.

In prioribus capitibus, quæ dogmatica ſunt de Divinitate Verbi, ejuſque ab æterno ſubſiſtentia, perſtractat.

Deinde de Chriſto loquens, ſcribit: „ (*b*) Cum Tiberius quintum decimum Imperii annum ageret, Pilatus vero procurationis „ Judææ quartum, Herode juniore, Lyſania, & Philippo Tetrarchis reliquam Judæam obtinentibus, Servator, ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus anno ætatis circiter triceſimo ad Joannis lavacrum acceſſit, tuncque primum Evangelium prædicare inſtituit, „ in hocce miniſterio *non totos quatuor annos complevit*, in quibus „ quatuor continuo ordine ſummum Judæorum Pontificatum obtinuere. Haud multo poſt Evangelicæ prædicationis initium duodecim ſibi viros adjunxit, quos præ reliquis diſcipulis ſuis, ſolos, „ Apoſtolorum nomine, quaſi præcipuo honoris titulo, inſignivit “.

Poſt hæc cenſet Euſebius (*c*) brevi interjecto tempore Baptiſtam ab Herode juniore capite obtruncatum, & pro re nata, infortunia He-

(1) Legenda Præfatio a Chriſtianiſſimo Viro Scipione Maffejo, aliiſque eruditis Editoribus præfixa Tomo Octavo Operum S. Hieronymi Edit. Veronenſis.

(a) *Lib.* 1. *cap.* 2. (b) *Cap.* 10. (c) *Cap.* 11.

Herodis narrat; videlicet „ ab Aretha Arabum Rege victum, & Euſebius.
„ univerſum ejus exercitum deletum, nec non ejus in urbe Galliæ
„ Vienna exilium ſimul cum Herodiade; quæ omnia, ſcelus adver-
„ ſus Joannem Baptiſtam perpetratum Deo vindicante, ei obtigiſ-
„ ſe " merito creditur. Teſtimonium etiam refert Joſephi honori-
fice de Joanne Baptiſta, & Jeſu Chriſto ſcribentis. Dein ad Chri-
ſti diſcipulos ſermonem convertens, ſcribit: „ (*a*) Apoſtolorum no-
„ mina notiſſima ſunt omnibus; at ſeptuaginta Diſcipulorum ſeries
„ nullibi præſcripta reperitur. Fertur tamen, ex illorum numero
„ unum fuiſſe Barnabam, cujus cum in Actibus Apoſtolorum cre-
„ bra fit mentio, tum in Pauli ad Galatas epiſtola. Ex iiſdem et-
„ iam Soſthenem fuiſſe perhibent, eum, qui una cum Paulo lit-
„ teras ad Corinthios ſcripſit. Sic enim refert Clemens in libro
„ quinto hypotypoſeon. In quo etiam Cepham illum, cui Antio-
„ chiam ingreſſo Paulus ſe palam reſtitiſſe dicit, ... unum, ait,
„ fuiſſe ex ſeptuaginta Diſcipulis Petro Apoſtolo cognominem. Ma-
„ thiam quoque, eum, qui Judæ proditoris loco in numerum Apo-
„ ſtolorum adſcriptus eſt, & alterum illum, qui cum Mathia pa-
„ ri ſuffragio fuit honoratus, fama eſt, ex illo cœtu ſeptuaginta
„ Diſcipulorum fuiſſe.... Quod ſi quis obſervare velit attentius,
„ plures, quam ſeptuaginta, reperiet Salvatoris noſtri diſcipulos, vel
„ ex unius Pauli teſtimonio, qui Chriſtum, poſtquam a mortuis
„ ſuſcitatus eſt, primo omnium *Cephæ apparuiſſe, deinde duodecim,*
„ *& poſt hos plus quam quingentis fratribus ſimul*.... Poſtremo,
„ cum præter duodecim, eſſent alii complures, qui inſtar illorum
„ Apoſtoli dicebantur, cujuſmodi etiam erat Paulus, hæc adjungit;
„ deinde *viſus eſt omnibus Apoſtolis*.

„ (*b*) Cum vero Servatoris noſtri divinitas, propter admiranda
„ ipſius opera, jam celebris eſſet, innumerabiles (proſequitur Eu-
„ ſebius) ab externis, & a Judæa remotiſſimis regionibus, morbis
„ afflictos, ſpe recuperandæ ſalutis, attraxerat. Itaque Abgarus
„ Rex Edeſſæ cum gravi morbo .... conſumeretur .... miſſis per
„ tabellarium litteris eum rogavit, ut ſe morbo liberaret. At ille
„ tunc quidem vocanti minime eſt obſecutus; litteras tamen ad eum
„ ſcribere non recuſavit, quibus unum e diſcipulis ſuis, qui eum
„ ſanaret, miſſurum ſe eſſe pollicebatur ". Deinde exemplum ex-
hibet duarum epiſtolarum, additque, poſt Chriſti in Cælum aſcen-
ſum Thomam Apoſtolum Thaddæum unum ex ſeptuaginta diſci-
„ pulis Edeſſam miſiſſe, ut Chriſti doctrinam illis gentibus nuntia-
„ ret, & Servatoris promiſſa impleret ". Hanc hiſtoriam, teſta-
tur, ex monumentis publicis deprompſiſſe, & ex Archivis epiſto-
las ſumpſiſſe, quas ex Syrorum lingua in græcam fideliter tranſ-
tulit.

In ſecundo vero libro Euſebius, quæ Chriſti Aſcenſionem ſubſe-
cuta ſunt, enarrare pergit, ſcilicet Mathiæ electionem, Diacono-

(a) *Cap.* 12. (b) *Cap.* 13.

EUSEBIUS. rum inſtitutionem, Stephani Martyrium, Jacobi Fratris Domini, & cognomento *Juſti* in Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum aſſumptionem, Edeſſenam Thaddæi prædicationem, *primam, eamdemque graviſſimam Judæorum perſecutionem adverſus Hieroſolymitanam Eccleſiam*, cunctorum Chriſti Diſcipulorum, præter duodecim Apoſtolos, per Judæam, & Samariam diſperſionem, quorum nonnulli (*a*) *uſque ad Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam progreſſi fidei chriſtianæ ſermonem gentibus quidem nondum communicare audebant, ſed ſolis Judæis illum prædicabant*. Philippus vero Diaconus *Samariam deſcendit, & verbum Dei primus incolis nuntiavit*, & innumerabiles, divina aſpirante gratia, prædicationibus ſuis ad fidem pertraxit; inter quos *Simonem* Magum *tunc temporis celeberrimum,... qui obſtupefactus miraculis, quæ Philippus divina virtute* patrabat, *fidem in Chriſto ſimulavit, ut baptiſmum ſuſciperet*. ,, Quod quidem (ſubdit Euſebius) etiam num fieri ab iis, ,, qui teterrimam ejus ſectam profitentur, non ſine admiratione cernimus, qui more parentis ſui in Eccleſiam tanquam peſtis, aut ,, lepra quædam irrepentes graviſſimum damnum inferunt iis, quibus peſſimum illud, & immedicabile venenum, quod mentibus ,, occultant, inſtillare potuerint; ac plerique jam eorum ab Eccleſia ejecti ſunt, cum fraus ipſorum detecta eſſet, quemadmodum ,, Simon quoque ipſe a Petro tandem deprehenſus debitas pœnas ,, dedit ".

Addit, Eunuchum Reginæ Æthiopum a Philippo baptizatum *primum ex gentibus divini Verbi myſteria percepiſſe,... & in patriam reverſum Dei notitiam, & Servatoris noſtri ſalutarem in terris adventum primum prædicaſſe*. (*b*) Poſtea de converſione Pauli locutus ad narrandum progreditur, Tiberium a Pilato de Chriſti Reſurrectione, ejus miraculis, & quod a pluribus jam Deus haberetur, certiorem factum rem ad Senatum detuliſſe, ut ejus Decreto pro Deo haberetur. (*c*) Deſcribit poſtea miram Evangelii propagationem Apoſtolorum prædicationibus, Philonis tunc temporis legationem pro Judæis obeuntis hiſtoriam narrat, nec non Judæorum mala, & infortunia, Pilati mortem, quam ſibi ipſi conſcivit calamitates, in quas inciderat, ferendi impatiens; famem, quæ, Claudio imperante, univerſum prope orbem terrarum oppreſſit ab Agabo Propheta prænunciatam, S. Jacobi Apoſtoli martyrium, Herodis Agrippæ mortem, quam divinæ tribuit ultioni ob commotam adverſus Apoſtolos perſecutionem, nec non Theudæ præſtigiatoris hiſtoriam, Helenæ Oſdroenorum, ſive Adiabenorum Reginæ materna viſcera, quæ frumentum, quod grandi pecunia ex Ægypto emerat, egenis Judæis graviſſima fame oppreſſis diſtribuit; quo tempore etiam diſcipuli, qui Antiochiæ morabantur, pro ſuis ſinguli facultatibus ſtipem ad ſublevandos fratres, qui in Judæa degebant,

(a) *Lib. 2. cap. 1.* (b) *Cap. 2.*
(c) *Cap. 3. & ſeq.*

bant, contulerunt, quam per Paulum, & Barnabam ad illos miſerunt. Euſebius.

In tertio libro proſequitur Auctor narrationem eorum, quæ de Apoſtolis didicerat ſive traditione, ſive ſcriptis a prædeceſſoribus exaratis. Narrat itaque, ad Evangelium annunciandum „ (*a*) Thomam Parthiam eſſe ſortitum, Andream Scythiam, Joannem Aſiam; Petrum vero per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, atque Aſiam Judæis, qui in diſperſione erant, prædicaſſe, Paulum vero ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum munus evangelicæ prædicationis impleviſſe; (*b*) Joannem Epheſi obiiſſe, & Philippum Apoſtolum Hierapoli cum binis filiabus, quæ in virginitate conſenuerant; (*c*) ſcribit, hanc tributam Mathiæ ſententiam, *carni bellum indicendum, eaque abutendum non eſſe, neque ullam ei permittendam voluptatem, animam vero fide, ac ſcientia augendam* "; (*d*) De Apoſtolorum ſcriptis ſermonem habet, eaque recenſet, quæ communi Eccleſiæ conſenſu tamquam germana recipiebantur, & ea, de quorum authentia apud omnes minime conſtabat. In priorum claſſe quatuor recenſet Evangelia, nec non Acta Apoſtolorum, epiſtolas D. Pauli, & primam S. Joannis, ac primam S. Petri. „ Et hæc (inquit) communi conſenſu recepta ſunt. Epiſtolæ vero Joannis altera, & tertia, ſive illæ ab ipſo revera Evangeliſta, ſive ab altero ejuſdem nominis compoſitæ ſint, quemadmodum quæ dicitur Jacobi, & quæ Judæ, in dubium revocantur. Pro ſpuriis habendi ſunt Actus Pauli, & liber Paſtoris titulo inſcriptus, & Revelatio Petri; Barnabæ item epiſtola, & quæ dicuntur Inſtitutiones Apoſtolorum; his adjunge, ſi lubet, Joannis Revelationem, quam nonnulli ex albo Scripturarum expungunt, alii inter libros omnium conſenſu probatos annumerant. Sed & in eumdem ordinem jam a quibuſdam relatum eſt Evangelium ſecundum Hebræos, quo maxime delectantur Hebræi illi, qui Chriſti fidem ſuſceperunt ".

In hoc libro meminit etiam Euſebius (*e*) primorum Hæreticorum Menandri, Cerinthi, Ebionis, & Nicolaitarum, qui gloriabantur Nicolaum unum ex ſeptem Diaconibus ab Apoſtolis ordinatis tanquam Principem, & Magiſtrum ſequi, de quo narratur, „ cum formoſam haberet uxorem, Apoſtolis zelotypiam ei objicientibus, productam in medio uxorem, cui vellet ducere permiſit; hoc autem factum plane affirmant conſentire cum illo ejuſdem dicto, *ſua quemque carne abuti oportere*. Hoc igitur factum, dictumque temere atque imprudenter pro exemplo ſibi proponentes Nicolai ſectatores licenter in omne genus ſtupri feruntur. Atqui de Nicolao (ſubdit Euſebius) ſic accepimus, nullius eum mulieris, præterquam illius, quam uxorem duxerat, concubitu uſum

(a) *Lib.* 3. *cap.* 1. (b) *Cap.* 31.
(c) *Cap.* 29. (d) *Cap.* 3. 18. 24. 25.
(e) *Cap.* 26. 27. 28. 29.

Euſebius. „ fuiſſe, & ex ejus liberis filias quidem uſque ad extremam ætatem virgines permanſiſſe: filium vero ipſum quoque veneris expertem vixiſſe. Hinc verbis illis: *ſua quemque carne abuti oportere*, voluptatum, quas homines tantopere appetunt, fugam, & continentiam docebat “. Enarrare proſequitur Euſebius primorum Diſcipulorum geſta, eorumque ſcripta, epiſtolas videlicet Sanctorum Ignatii, & Clementis, nec non Papiæ libros. SS. Ignatii, & Simeonis ſecundi Hieroſolymorum Epiſcopi Paſſiones deſcribit. Quæ hactenus diximus, ad trium priorum Euſebianæ hiſtoriæ librorum ſpecimen aliquod exhibendum ſufficiunt, quorum ideo ſynopſim dedimus, quod plura de Apoſtolis, & Diſcipulis Salvatoris notatu digna refert, & enarrat.

ARTICULUS TERTIUS.

Præſtantiora Euſebii documenta Dogmata, Moralem, & Diſciplinam reſpicientia.

De Sacra Scriptura.

TAMQUAM certum ſtatuit Euſebius, *viros ſapientes divino afflatos ſpiritu* in Sacra Scriptura, *quæ eſſent credenda*, *docuiſſe* (*a*); unde *audax*, *temerariumque facinus arbitratur eſſe*, *pronuntiare confidenter*, *Divinam Scripturam* & in levioribus *lapſam eſſe* (*b*).

Non uno in loco ſupponit, *Hebræorum ſcripta* ante Septuaginta Verſionem *in græcam linguam fuiſſe converſa*, ex quibus Plato, Pythagoras, aliique Græci, *qui tam curioſe Gentium plurimarum inſtituta ſcrutati ſunt*, plurimas hauſere notitias (*c*); & de Septuaginta Verſione loquens, notat, emendatiora exemplaria eſſe habenda, quæ ab Origene emendata fuere (*d*). Sic c. ex. obſervat, locum Prophetæ in Evangelio citatum de triginta argenteis a Juda acceptis in ſuæ proditionis pretium, non *haberi apud Hieremiam Prophetam*, licet in Evangelio citetur, unde ſubdit: *Num arbitrari oportet*, *ea per quandam malitiam ex illo ſublata eſſe*, *an vero librarii erratum fuiſſe*, qui *negligentius Sanctorum Evangeliorum exemplaria confecerit*, ... *& pro Zacharia poſuerit Hieremiam* (*e*)? Aquilæ verſionem dicentis: *Projeci argentum in domo Domini ad figulum*, loco *ad fornacem* juxta Septuaginta, laudat, & præfert. Addit, traditionem nos de authentia ſacrorum librorum certos reddere, eamque eſſe fidei noſtræ indefectibilem regulam.

Traditionis pondus, & auctoritas.

Traditionis auctoritate fretus ſic adverſus Marcellum hæc momentoſa verba intorquet: „ Quorſum in rebus, quas non didiciſti, te per præci-

(a) *Lib.* 5. *Dem. Ev. p.* 210.
(b) *In Pſal.* 32. *p.* 129. (c) *De Præp. lib.* 10. *p.* 483.
(d) *Demonſt. lib.* 8. *p.* 383. (e) *Demonſt. lib.* 10. *p.* 481.

„ præcipitia agis, dum in ſcriptis illas decidis? Quorſum non cuſtodis „ ea, quæ ſuſcepiſti ab Eccleſiaſticis Patribus, & Doctoribus?... Hæc „ autem ubinam didiciſti? Quis horum tibi informator extitit? E- „ piſcopus quis? Synodus quæ? quod ſcriptum ab homine eccleſia- „ ſtico "? (*a*) Hinc contra hunc Epiſcopum pugnaturus in ante- ceſſum proteſtatur: „ Nihil a me ipſo noviter adinventum, aut do- „ mi meæ natum, ex opinione profectum ſapientiæ alicujus meæ „ edicturus, ſed Eccleſiæ Dei doctrinam laturus incorruptam, quam „ a teſtibus auritis olim, atque oculatis acceptam ab initio illa „ cuſtodit adhuc inviolatam (*b*).

EUSEBIUS.

„ Primum illud (ſcribit Euſebius) eximium eſſe, ac ſalutare, „ quod Dei nomen, eſſentiamque ſignificat, ipſius naturæ ductu, „ impreſſiſque animo per ſe notionibus, vel divinitus potius inſpi- „ ratis, nemo non intelligit: hoc enim omnes populi communi „ quodam rationis ſenſu percepere " (*c*); ad quod non bene at- tendentes homines, nec recte intelligentes, in tam varias idololatriæ ſpecies prolapſi ſunt (*d*). Dei exiſtentiam *ex univerſi conſtitutione, rerum formis, & ſpecie, ex tanta partium, & membrorum concinni- tate, pulchritudinis varietate* oſtendit; ſtultum proinde, inſanum- que habendum, qui hæc omnia fortuito, & cæco caſu contigiſſe af- firmare auſit. Sola itaque inſania, & pertinacia eo uſque homines pertrahere poteſt, cum & rei ipſius evidentia, & ipſum naturale rationis lumen ad fatendum impellat, nullum præter Deum eſſe poſſe hujuſce Univerſitatis auctorem. Verum ſi omnibus homini- bus commune hoc donum conceſſum eſt, ut ſolo duce naturæ lumi- ne, unum Deum opificem agnoſcant, Chriſtianis præterea „ gratiæ „ per Chriſtum ſalutaris cognitionem repræſentavit ſupra munda- „ nam, & angelicam, dum populo illi vetuſto (Judaico ſcilicet) „ non retectum, ſed ſilentio prorſus obvolutum myſterium in aper- „ tum profert. Deum nempe illum, ſupremum rerum omnium mo- „ deratorem ſæculis prioribus ignotum Deum, Filii præterea Uni- „ geniti Patrem eſſe prædicandum, Spiritus quoque Sancti vim, & „ efficaciam iis, qui digni ſunt, impertitam; quam ſanctam, my- „ ſticam, & beatam Trinitatem Patris, Filii, & Spiritus Sancti „ ad certiſſimam ſpem ſalutis conſequendæ, quæ per regenerationem „ fit in Chriſto, inde acceptam, Eccleſia Dei fideliter cuſtodit „ (*e*).... Hæc *ſunt inſignia quædam Chriſtianorum peculiaria* „ (*f*) ", nempe qui credimus *ſacroſanctam, & regiam Trinita- tem, quæ in una natura ortus, ac principii experte conſiſtit* (*g*).

De exiſtentia Dei: ejus idea nobis natura impreſſa: & de Trinitate.

Docet præterea: „ Cum homo non res una quædam ſit, at- „ que ſimplex, aut unica natura conſtans, ſed ex duarum diverſa-

De hominis natura.

(a) *Lib. 2. contra Marcell. cap. 4. p. 53.*
(b) *De Eccleſ. Theol. lib. 1. pag. 60.*
(c) *De Præp. lib. 2. p. 72. 73. & de Demonſt. lib. 8. p. 363.*
(d) *In Pſal. 18. p. 71. 72.* (e) *Lib. 1. ad Marcell. p. 3.*
(f) *Ibid. p. 4.* (g) *Orat. laud. Conſtant. pag. 511.*

EUSEBIUS.

„ rum, corporis nimirum, & animi, ſocietate conflata, & corpus „ quidem animo, tanquam inſtrumentum, conſequentia quadam alligatum; ſpiritualis vero, intelligenſque natura vi principii illius „ rationis exiſtat (*a*);.. hinc fit, ut animus, qui natura ſpiritualis, ac ratione præditus eſt, infantili adhuc per naturam corpore incluſus.... in ratione carentium numero cenſeatur, & viciſſim animus temperantiæ ductum, ac conſilium ſequens corporis „ naturam, impetumque frangat (*b*); utraque propterea parte ita „ uti oportet, ut nullo vel injuriæ, vel impietatis genere adverſus hominem illum, qui divinam præfert imaginem, ſit peccandum,... immo agendum, ut ſe jam ab hujus vitæ carceribus ad „ ulteriorem metam attingendam quiſque ſe comparet (*c*); nec „ propriam, nativamque dignitatem, impreſſamque nobis Divini „ Numinis ſimilitudinem turpiter negligamus (*d*). Quæ cum Deo „ ſimilitudo (ſubdit) immortalitatis animæ fidem facit (*e*)". Docet præterea, quod „ quemadmodum homini vi legis rectam Deus „ viam monſtravit, ſic plena illa, integraque libertate perfecit, ut „ rerum meliorum delectus non laude tantum, & approbatione, ſed „ amplioribus etiam, ubi res præclare ceſſiſſet, præmiis dignus eſſet, vel improbitatis ipſa (libertas) caput, fontemque operiret " „ (*f*). *Hanc liberam, & ſui arbitrii* dominam voluntatem pluribus locis inculcat Euſebius (*g*), adeo ut pauci ex Antiquioribus tam latius humanæ libertatis jura porrexerint, quin tamen gratiæ neceſſitatem, & efficaciam vel tollat, vel minuat.

De peccato originali.

Originale peccatum agnoſcit, & confitetur, quod ex origine Patris in poſteros deſcendiſſe teſtatur, unde *in iniquitatibus concepti ſumus*, & quidem in iniquitatibus noſtris, cum Propheta non dicat: *In iniquitatibus Matris meæ conceptus ſum*, ſed: *Ego in iniquitate mea natus ſum, mortali indutus carne* (*h*).

De Incarnatione, & duplici in Chriſto natura.

Veritatem Incarnationis prædicat, & duas in Chriſto naturas agnoſcit, dum ſcribit: „ Servator ſic ad hominis naturam acceſſit, „ ut neque ſuam ipſe naturam exuerit, neque videntibus errorem „ ullum obtulerit; ſed ambo illa, hoc eſt, tam quod cerni oculis „ non poterat, quam quod ſub aſpectum cadebat, vere retinuerit: „ idem enim & verus homo cernebatur, & verum ſimul Dei Verbum erat " (*i*). Addit: Caritatis erga homines impulſu *nunquam deſinens eſſe, quod erat, ſed in homine pariter Deum conſervans venit, ut animis humanis medicinam, ſanitatemque afferret* (*k*); & „ in initio quidem ad omnes nationes virtutes, & geſta pro-

(a) *Præp. lib. 6. p. 246.* (b) *Ibid. p. 247.*
(c) *Lib. 7. Præp. p. 316.* (d) *Ibid.*
(e) *Præp. lib. 9. p. 557. & lib. 7. p. 316.*
(f) *Præp. lib. 6. p. 250.*
(g) *In Pſal. 35. p. 144. & Pſal. 57. p. 257. & Pſal. 77. p. 467.*
(h) *In Pſal. 50. p. 211.* (i) *Lib. 13. Præp. p. 649.*
(k) *Dem. lib. 4. p. 165.*

„ ſta prodigioſa extendebat .... & poſtea Patri reddito ſpiritu, ... „ & corpore nudatus, ... ad loca inimicorum deſcendit, ut & mortem, & reliquas, quæ in ipſum inſurrexerunt, poteſtates diſſiparet ", ut tam in mortuis, quam in vivis dominaretur (*a*); & cum *adhuc intra cellam geſtantis uteri* ceu homo *lateret*, *Deum tamen ſuum* clara intuitione *videbat* (*b*); *& ſimul patientium labores membrorum in ſe ipſum aſſumpſit*, *& noſtras valetudinis infirmitates ſuas fecit* (*c*), omni tamen peccati labe immunis (*d*). Paſſionis tempore clamaſſe ad Patrem; *Deus Deus meus quare me dereliquiſti?* & tunc non exauditum, quamvis ejus orationem exceperit Pater; at in Reſurrectione impletam a Patre ejus orationem; tunc enim a morte illum liberavit (*e*): „ mirabilem quandam victimam, ſacrificiumque eximium Patri ſuo operatum pro noſtra „ omnium ſalute obtuliſſe, ejuſque rei memoriam, ut nos ipſi Deo „ pro ſacrificio offerremus, inſtituit " (*f*); Judæos in medio ſolemnitatis ejus, in ipſo Paſchæ die, ſanguinem ejus ſuper ſe, & ſuper filios ſuos expetiiſſe (*g*); Chriſtum etiam ſecundum carnem ex ſemine David natum, filium Dei vocari ob ſuam cum Unigenito Dei conjunctionem (*h*); ejuſque genitricem nominatim Deiparam commemorari (*i*).

EUSEBIUS.

De Prædeſtinatione, & Gratia.

Licet Euſebius plurimum libero tribuat arbitrio, ſive quia Platonicorum ſequebatur doctrinam, quæ nimium, & ultra modum liberi arbitrii vires dilatat, hominiſque naturam protendit, ſive quia in ſuis libris frequenter fati neceſſitatem impugnat; nunquam tamen auxilia gratiæ rejecit, ſine qua, expreſſe ſcribit: „ cave putes, te tua virtute poſſe.... Nihil quippe agere potuiſſes, niſi „ ego tecum exiſtens, tecum ambulans, ... te patientia, perſeverantia, & virtute munivissem " (*k*). Docet tamen, quod „ cum Deus præſciviſſet, qui amaturi ipſum erant, etiam prædeſtinavit, & ſic impios cum prævidiſſet juſtitiam operibus non addituros, alienavit eos ", priuſquam naſcerentur (*l*). Et licet prædeſtinationem in prævisione meritorum collocet, luculenter tamen docet, hæc merita non eſſe ipſorum propria, ſed *ex gratia profluere ipſis conceſſa*, *ut palam eorum propoſitum fieret* (*m*), *& omnium bonorum copiam per ſuam gratiam conferri* (*n*); „ animam „ ſemper ad pravos affectus inclinare, medelam autem pro infirmitate animæ eſſe a Deo collatam virtutem, quam qui obtinuerit, „ dicere audeat: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat* (*o*); nos „ divino ſemper agere auxilio, ut *non moveantur veſtigia noſtra*

(a) *Ib. lib.* 8. *p.* 337. (b) *Ib. lib.* 10. *p.* 500.
(c) *Ibid. p.* 467. (d) *Comm. in Iſaj. p.* 548.
(e) *Ib. p.* 544. (f) *Demonſt. lib.* 1. *p.* 38.
(g) *In Pſal.* 73. *p.* 438. (h) *In Pſal.* 88. *p.* 571.
(i) *In Pſal.* 109. *p.* 703. (k) *Comment. in Iſaj. p.* 514.
(l) *Pſal.* 57. *p.* 258. (m) *Ibid.*
(n) *In Pſal.* 15. *p.* 53. (o) *In Pſal.* 6. *p.* 33.

Eusebius. „ ſtra (*a*); Deo opitulante, a nemine adverſus nos bellante proſternimur; quod ſi etiam eveniat, ut ab adverſariis intercipiamur, illum nos e manibus eorum redimere “ (*b*); per ipſum concedi, ut *domum, & Eccleſiam ſuam* ingrediamur (*c*); *ipſum eſſe, qui eripit pedes de lapſu, ideſt tentationibus* (*d*); *fortitudinem, & patientiam non ex virtute, & poteſtate noſtra conſtare, ſed ab ejus gratia prodire* (*e*); *ſi ad profectum, & virtutis cumulum pervenimus, non noſtra poteſtate, ſed ejus dominatu fieri* (*f*).

Cæterum dum gratiæ efficacitatem agnoſcit, tamen fatetur „ aliquando hominem verba divina non audire, non quod anima ſurdus evaſerit, ... ſed id propriæ voluntatis eſſe; ſponte namque naturæ ſuæ vim inferens obſurdeſcit “ (*g*), & divinæ gratiæ reſiſtit, ac propterea etiam ad duritiem cordis pervenit. „ Qui mediocria (gratiæ dona) acceperunt, nec illis, uti par erat, uſi ſunt, caſtigationis, & ſupplicii mediocris experimentum accipient; ... qui autem majoribus, perfectioribuſque donis dignati, nullum collata ſibi virtute fructum reddiderint, majoribus, igneiſque ſuppliciorum turbinibus tradentur “ (*h*); peccatores ita aliquando ſe gerere, „ ut oratio Dominica pro ipſis oblata non ad aures uſque Patris adveniret, ſed quaſi repulſa ob impietatis eorum magnitudinem retraheretur, & ad ipſum rediret, ... nam ſi ii ſalutem acturi, & ab impietatibus reverſuri fuiſſent, oratio Servatoris recto curſu, & nullo obice ad aures uſque Patris adventura erat (*i*) “.

De Eccleſia. Teſtatur Euſebius, ſuis temporibus „ Chriſti in omni loco conditas Eccleſias, ... & in omni ab hominibus habitato Orbe, per omne hominum genus, per omnes gentes tentoria fixiſſe (*k*); & qui in Arabum regione peregrinantur, teſtari, Moabitas, & Ammonitas, qui penes illos magno numero ſunt, Eccleſias Dei implere (*l*), immo & in ulteriori Arabia, quæ ſita eſt ad extremum deſerti, quam dicunt obtinere Saracenorum gentem (*m*), & denique linguas omnium nationum omni genere ſermonum Deo laudes concinere “ (*n*); & aliquando „ inimicos Eccleſiæ Chriſti expertos eſſe, occulta ſemper manu impugnari a Domino, qui habitat in Cælis, quem ipſi bello impetebant “ (*o*); ideoque „ infinitos ob immiſſa divinitus flagella commotos, & perculſos gloriam Deo referre, & confiteri impietates ſuas “ (*p*).

Ec-

(a) *In Pſal. 16. p. 57.*
(b) *In Pſal. 18. p. 75.*
(c) *In Pſal. 22. p. 88.*
(d) *In Pſal. 55. p. 244.*
(e) *In Pſal. 61. p. 295.*
(f) *In Pſal. 62. p. 304.*
(g) *In Pſal. 57. p. 256.*
(h) *In Iſaj. p. 469.*
(i) *In Pſal. 34. p. 139.*
(k) *Dem. lib. 7. p. 412.*
(l) *In Pſal. 59. p. 282.*
(m) *In Iſaj. p. 521.*
(n) *Dem. lib. 6. p. 306.*
(o) *In Pſal. 2. p. 14.*
(p) *Ibid. p. 17.*

Eccleſiam vocat *Chriſti Sponſam* (*a*), *Domum Dei*, (*b*) *in cujus medio Deum habitare credimus* (*c*), *non ex perfectis totam conſtitui*, *ſed habere etiam*, *qui in ignavia degunt*, *&* *inertem vitam amplexi*, *&* *qui voluptatibus ſervire peroptant* (*d*), *raros eſſe*, *qui ſanctitati ſe dedant* (*e*). Addit, *Dei miſericordiam*, & protectionem, *quæ olim penes Judæos erat*, *ſed ab ipſis decidit*, *ad Eccleſiam ex Gentibus coactam eſſe translatam* (*f*), *nunquam ab iſta receſſuram* (*g*) juxta pollicitationem Apoſtolis factam. Eccleſiam unius Domus Dei locum obtinere (*h*), ideſt unam eſſe. Hæreticos imitari milites, qui Chriſtum crucifixerunt, cum & ipſi tunc *dividunt ejus veſtimentum*, *&* *in veſtem ejus ſortem mittunt*, *cum Divinarum Scripturarum voces alius aliter unuſquiſque corrumpit*, *&* *lacerat* . . . . *cujuſmodi ſunt*, *quæ nefarii hæretici facere ſolent* (*i*); illos *ſepem conſtruere*, *qui eccleſiaſtica dogmata dialecticis demonſtrationibus circumquaque muniunt*, *&* *defendunt* (*k*); Eccleſiam Dei *&* *politicis*, *&* *evangelicis uti inſtitutis* (*l*); *ejus inſtitutum Deum oblivíſci non poſſe*, ... *&* *veram Sionem ruinæ*, *&* *exitio obnoxiam non eſſe*, *ſed ſemper manere*, *&* *conſiſtere* (*m*).

EUSEBIUS.

De Eccleſiaſtica Hierarchia.

Ternos diſtinguit Euſebius *per ſingulas Eccleſias* Ordines (*n*). Hierarchicus primus eſt *Præſulum* (ſeu Epiſcoporum) *Ordo*, *ſecundus Presbyterorum*, *Diaconorum tertius*. His ex Fidelium plebe addit *Illuminatos*, *&* *illos*, *qui initiantur*, ſeu Catechumenos (*o*). *Eccleſiæ Præſides* (ſeu Epiſcopi) *Chriſti locum tenent in Eccleſia* (*p*), *Principes ſunt*, *qui ad Principatum in Eccleſia gerendum conſtituti ſunt*, tanquam *Apoſtolorum* ſucceſſores (*q*), ab ipſo Chriſto poſiti ſuper gregem ſuum ceu ſuæ voluntatis interpretes (*r*): „ & certe, inquit, verſari Deum nobiſcum Sacerdotibus „ ſuis, perſuaſiſſimum habemus ex ejus verbis: *Ecce ero vobiſcum* „ *omnibus diebus vitæ veſtræ uſque ad conſummationem ſæculi* (*s*)". Quod ita ab ipſo dictum exiſtimandum, ut tamen eorum ſingulis infallibilitatem minime tribuat in quæſtionibus dirimendis; quin immo admonet: „ nec Epiſcopis credendum, nec Præpoſitis, nec „ Doctoribus quibuſcunque, ſi verbi veritatem pervertere, & diſ- „ torquere eorum aliquis attentaverit. *Etiam ſi vel nos*, *vel Ange-* „ *lus de cælo vobis evangelizaverit aliter quam ut accepiſtis*, *ana-* „ *thema*

(a) *In Pſal.* 44. *p.* 191. (b) *In Pſal.* 35. *p.* 146.
(c) *Dem. lib.* 5. *p.* 252. (d) *In Pſal.* 39. *p.* 167.
(e) *In Pſal.* 45. *p.* 195. (f) *In Iſaj. p.* 560.
(g) *In Pſal.* 2. *p.* 17. (h) *Dem. lib.* 4. *p.* 186.
(i) *Dem. lib.* 10. *p.* 506. (k) *In Iſaj. p.* 570.
(l) *In Pſal.* 71. *p.* 415. (m) *In Iſaj. p.* 545.
(n) *Dem. lib.* 7. *p.* 323. (o) *In Iſaj. p.* 435.
(p) *Ibid. p.* 418. (q) *Ibid. p.* 390.
(r) *Orat. pan. de ædif. Eccl. ad cal. lib.* 10. *Hiſt. Eccl. cap.* 4.
(s) *Cont. Marc. lib.* 1. *p.* 26.

EUSEBIUS. „ *thema ſit* „ (*a*). Primatum Petri non uno in loco confitetur, præſertim cum ſcribit: Sicut *Moyſes denominavit Jeſum Nave, pari etiam ratione Salvator Simonem Petrum* (*b*).

De Euchariſtia. Prædicat, ſolos „ Sacerdotes in omnibus gentibus, ſpirituale ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones Sacerdotii munus obeuntes, vino „ & pane & corporis Chriſti, & ſalutaris ſanguinis myſteria re„ præſentare " (*c*), Euchariſtiæ ſcilicet terribile ſacrificium, Victimam incruentam rationabilem, eo magis Deo gratiſſimam, quæ illi per ipſum Jeſum Chriſtum Summum Pontificem offertur; & ideo *per univerſum orbem* terrarum Altaria, & Eccleſias eſſe conſecratas (*d*): „ & ſingulis Reſurrectionis Salvatoris noſtri diebus, „ quæ Dominicæ vocantur, cernere eſt eos, qui ſacrum cibum, & „ ſalutare corpus accipiunt, poſt ipſum eſum, vivifici alimenti lar„ gitorem, & promum adorare " (*e*). Subdit tamen oportere ut unuſquiſquis animæ ſenſibus puris, purgatiſque ſit, ut panem vivum, ac vivificas carnes ejus edere poſſit, ac ſalutarem ejus bibere ſanguinem; *hunc panem nos habere de cælo, ſcilicet Chriſtum, ſeu corpus ejus pro iis, qui per fidem vocati ſunt ad ſanctificationem* (*f*); adeoque comperta, certaque erat Euſebio realis Chriſti præſentia in hocce Sacramento, ut miretur, Marcellum, „ qui Dei Eccleſiæ „ tempore præſedit tam diuturno, ſubſiſtentiam Dei Filii tollere, „ cum ipſius ſervierit Altaribus (*g*) ". Et alio in loco a S. Joanne Damaſceno citato, hiſce verbis tranſubſtantiationem confitetur, & agnoſcit, ſcribens: *Per Spiritum Sanctum propoſita dona conſecrat, ac panis quidem pretioſum Domini corpus efficitur, poculum autem pretioſus Domini ſanguis* (*h*). Quæ profecto verba adeo luculenter oſtendunt, Euſebium, ſi quando Euchariſtiam *Chriſti corporis imaginem* (*i*), & ſymbolum appellat, ſignificare minime voluiſſe, nudam eſſe imaginem, nudum ſymbolum, ſed figuram cum veritate conjunctam, ſicut Columba, quæ ſupra Chriſtum in Jordane baptizatum apparuit. Euchariſtia ſiquidem figura eſt ſecundum ſpeciem, veritas penes ſubſtantiam; figura quidem, quia per panis, & vini ſpecies Corpus, & Sanguinem Chriſti repræſentat; veritas, quia in ſe veram, & realem hujus divini Corporis, ac pretioſi Sanguinis ſubſtantiam continet. Pari pacto intelligendus eſt, cum verba Chriſti Domini Joannis cap. 6. interpretatus, ſcripſit: *Nolite putare me dicere carnem, quam circumfero, quaſi illam vos comedere oporteat, nec exiſtimate, me vobis præcipere, ut ſenſibilem, & corporalem bibatis ſanguinem* (*k*); videlicet non ſpiritualiter eſſe intel-

(a) *Ibid. p.* 4. (b) *Dem. lib.* 3. *p.* 93.
(c) *De Dem. lib.* 5. *p.* 223. (d) *De Laud. Conſt. p.* 548.
(e) *In Pſal.* 21. *p.* 85. (f) *In Iſaj. p.* 368.
(g) *Ad Marc. lib.* 1. *p.* 33.
(h) *Apud Damaſc. Sac. Parallela tit.* 29. *pag.* 666.
(i) *Dem. lib.* 8. *p.* 380.
(k) *De Eccleſ. Theolog. lib.* 3. *p.* 180.

intelligendam eam manducationem, ſed ſolum non ſumendam ita carnaliter, quaſi manducandum foret Corpus, & bibendum ſanguis eo ſenſibili modo, quo ea tunc circumferebat. EUSEBIUS.

Docet, „ non amplius per legitima ſacrificia remiſſionem pecca„ torum conciliari, ſed per purgationem lavacri, quod.... in Eccleſia traditur, (*a*) quorum loco ſucceſſit: „ Baptiſmi vero gra„ tiam dicit eſſe aquæ nos ſanctificantis robur, peccatorum depoſi„ tionem, regenerationem ſpiritualem ad conformationem in ipſum „ Chriſtum, ad hæc vero fiduciam ingrediendi in regnum Cælo„ rum (*b*)". Hujus Sacramenti inſtitutionem ab *Jordanis fluvio incepiſſe* arbitratur, *cum ipſe Salvator, & Dominus noſter adſtans ipſum fluvium divino ſuo aditu dignatus eſt* (*c*). In ejus miniſtratione, formæ loco, trium Perſonarum invocationem uſurpari conſueviſſe teſtatur, ſcribens, *ſanctam, myſticam, & beatam Trinitatem Patris, Filii, & Spiritus Sancti ad certiſſimam ſpem ſalutis conſequendæ, quæ per regenerationem fit*, invocari (*d*). Quotquot vero *Baptiſmum adeunt per confeſſionem in Salvatorem emiſſam, per fidem in univerſorum Dominum, ac per confeſſionem ſinceram, veniam conſequuntur*. De Baptiſmo.

Præter originale peccatum multa diſtinguit Euſebius *peccatorum genera; alia videntur ad ſuperficiem Inferni deferre, alia ad infimum; peccatum mortale hujuſmodi eſt, ut in profundiſſimum Inferni trahat* (*e*). *At qui in lethale peccatum incidit, in hac vita non ita*, putat, *abſorberi a morte, ut non poſſit reſipiſcendo ſalutem nanciſci* (*f*), *ſed iis, qui peccant, viam ſalutis oſtendi, videlicet converſionis, pœnitentiæ, confeſſionis* (*g*). De Peccatis, & Pœnitentia.

Sanctorum venerationem, & cultum maxime probat, & commendat Euſebius, non ſolum ſcribens: „ Martyrum ſepulchra celebra„ re, & preces ibi, & vota nuncupare, & beatas illorum animas „ venerari conſuevimus, idque a nobis merito fieri ſtatuimus (*h*)"; verum addit: „ perſecutionum tempore Martyres ſanguinem ſuum „ quaſi libamina obtuliſſe; & nos, quia filii ſumus eorum, qui „ hæc ſunt perpeſſi, virtute patrum noſtrorum ornati precamur, „ ut illorum gratia miſericordiam conſequamur (*i*)". Sanctos pro nobis orare probat ex Machabæorum libris, in quibus „ viſus Hie„ remias dicitur, cum jam vita functus eſſet, orare pro populo, „ quaſi hominum adhuc in terris degentium ſaluti proſpiceret (*k*)". Hac itaque veritate certus & ipſe *gratia ſe dignum haberi poſtulat precibus, & interceſſione Sanctorum* (*l*). De cultu, & interceſſione Sanctorum.

Fidelium orationes defunctis prodeſſe oſtendit Euſebius, dum funebria De Oratione pro Defunctis, & Purgatorio.

(a) *Dem. lib.* 9. *p.* 429. (b) *In Iſaj. p.* 368.
(c) *In Pſal.* 65. *p.* 328. (d) *Adv. Marcel. lib.* 1. *p.* 3.
(e) *In Pſal.* 85. *p.* 534. (f) *In Iſaj. p.* 389.
(g) *In Pſal.* 24. *p.* 93. (h) *De Præp. lib.* 13. *p.* 663.
(i) *In Pſal.* 78. *pag.* 486, *& ſeq.* (k) *Præp. lib.* 12. *p.* 575.
(l) *In Iſaj. p.* 593.

EUSEBIUS. nebria Conſtantini narrans, dicit: *Innumerabilis populus una cum Sacerdotibus Dei non ſine gemitu, & lacrymis pro Imperatoris anima preces offerebant Deo* (*a*). Addit, hunc Principem pietate clarum, locum ſepulturæ in Eccleſia Apoſtolorum, quam Conſtantinopoli a fundamentis erexerat, ſibi deſignaſſe incredibili fidei alacritate, ut corpus ſuum communem cum Apoſtolis appellationem poſt obitum ſortiretur, quo ſcilicet precationum, quæ in honorem Apoſtolorum ibi celebratæ erant, etiam poſt mortem particeps fieret.

De Chriſtianorum moribus. Poſtquam notaverat Euſebius, quod Chriſti diſcipuli „ ad Magiſtri „ ſui nutum, auribus multorum doctrinam ſuam accommodantes, „ quæcumque quidem veluti ultra habitum progreſſis a perfecto „ ipſorum Magiſtro præcepta fuerant, ea iis, qui capere poterant, „ tradiderunt, quæcumque vero iis convenire arbitrabantur, qui a„ nimas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationiſque indigen„ tes, ea ipſi, ad imbecillitatem multorum ſeſe demittentes, par„ tim ſuis litteris tradiderunt"; ſubdit: „ Quocirca in Eccleſia Dei „ duo etiam vivendi modi inſtituti ſunt. Alter quidem naturam „ noſtram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non „ nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem „ requirens, totus autem prorſus a communi, & conſueta homi„ num vita abhorrens, & ſolo divino cultui ex immenſo cæleſtium „ rerum amore addictus .... Alter vero remiſſior, & humanior, „ hic & modeſto conjugio, & ſobolis procreatione implicatur, & „ rei familiaris curam aſſumit, & juſte militantibus, quæ ſunt a„ genda, præſcribit, agros quoque, & mercaturam, aliumque ma„ gis civilem vivendi modum adjuncta religione non negligit (*b*)". Apud Chriſtianos *morem* narrat *receptum etiam in conviviis odes, & hymnos in Dei laudem canendi* (*c*), ut frugalitas, & modeſtia elucerent; *Juniores honeſtis hymnis, odiſque memoriæ commendandis ad ſuſcipiendos virtutis ſatus præparabantur* (*d*), & parentibus *id moris erat*, ut *hominibus animo adhuc infantibus divinæ Scripturæ hiſtorias.... ſimplicius, nudiuſque traderent* (*e*), ut ad pietatem cito erudirentur. Teſtatur Euſebius, ſua ætate „ omnes, quicum„ que Chriſti religionem cum fide ſuſceperint, ex omnibus terræ „ partibus concurrere.... ut in monte Olivarum, qui eſt contra „ Hieruſalem, adorent, ubi gloria Domini commutata eſt, & ad „ ſpeluncam, quæ ibi oſtendi ſolet, & quo tempore oravit, & „ cum ſuis diſcipulis in ejus montis cacumine myſteria de con„ ſummatione tradidit (*f*)"; vel *iis, qui viſendi loci gratia Bethlehem petere conſueverunt, agrum demonſtrant, ubi Virgo enixa infantem depoſuit* (*g*); *& plurimi de fratribus, hoc eſt de numero creden-*

(a) *Lib. 4. de Vit. Conſt. cap. 71. pag. 464.*
(b) *Dem. lib. 1. p. 29. & ſeq.*
(c) *Præp. lib. 12. p. 598.* (d) *Ibid. p. 594.*
(e) *Ibid. p. 576.* (f) *Dem. lib. 6. p. 288.*
(g) *Ibid. lib. 7. p. 343.*

credentium, ad Jordanem pergebant, *& ibi renaſci cupientes, vitali gurgite baptizabantur* (*a*): immo & de Conſtantino narrat, *ſtatuiſſe ſalutare ſignaculum ſuſcipere in flumine Jordane* (*b*). Fideles Sacerdotibus primitias offerre conſueviſſe (*c*); ſumma veneratione Crucem *ſignum Dominicæ paſſionis* habuiſſe, *quod ex auro, pretioſiſque lapidibus elaboratum* Conſtantinus ſublimi in loco *tamquam præſidium, & tutelam Imperii* collocavit (*d*); & cæteri fideles eo *pro ſignaculi nota utebantur* (*e*); quemcumque *puerum Chriſti, ideſt virum quemvis ſimplicem, & malitia infantem Salvatoris virtute depellere dæmones a corporibus eorum, qui a Dæmone agitantur* (*f*); *præcipue circa diem feſtum dominicæ paſſionis ... jejuniis, atque vigiliis, & ſacrorum librorum lectioni impenſius vacare fideles conſueviſſe*, ideſt hebdomada ante Paſcha. Pluribus in locis indicat Euſebius, *plurimas* ſuo ævo *fœminas ad extremam uſque ſenectutem virgines manſiſſe* (*g*), & plures claruiſſe *mulieres eximia caſtitate præditas, atque virgines Deo devotas* (*h*): Quæ poſtrema verba indicare videntur, perpetuo virginitatis voto ſe obſtrinxiſſe, quarum ſtatum laudat, dum ſcribit: „ Primo gradu in „ cœleſti Regno dignæ erunt Virgines, quæ virginitatem in Chriſto „ corpore, & anima ſervant .... & non venient, vel ad Regem „ accedent Virgines, ſed adferentur, aliis ipſas adducentibus, ſcilicet Angelis Dei (*i*)“. EUSEBIUS.

Scribit, *Petrum Romæ, capite in terram verſo, cruci affixum* (*k*); & pedes Chriſti cruci affixos fuiſſe ſejunctim, & propterea Chriſtum quatuor clavibus fuiſſe crucifixum (*l*); & ſingulos Apoſtolos *vario martyrii genere affectos, ac alium alio modo ob teſtimonium de Chriſto datum ſanguinis agonem ſubiiſſe* (*m*), ac poſt ſuam ad Chriſti ſequelam vocationem *a legitimis uxoribus ſe abduxiſſe* (*n*). Quatuordecim numerat Apoſtolos, *ex quorum numero duodecim primos Apoſtolos eſſe dicas, & illis .... Paulum ... & Jacobum fratrem Domini adjungas, qui primus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſo Salvatore conſtitutus memoratur* (*o*); ideo autem fratrem Domini appellatum cenſet, *eo quod eſſet filius Joſeph* (qui Chriſti putabatur Pater) *ex alia uxore* (*p*), ejuſque Hieroſolymitanam *cathedram .... ad ſua uſque tempora conſervatam fratres illius Eccleſiæ magna reverentia eſſe proſecutos* (*q*); nec non *grandem Chriſti Eccleſiam Hieroſolymis fuiſſe, quam Judæi conſti-* Nonnulla hiſtorica.

(a) *De loc. Heb. ad lit. B. Tom. 2. Hieron. p. 422. Edit. Pariſ.*
(b) *De Vit. Conſtant. lib. 4. cap. 62. pag. 460.*
(c) *In Iſaj. p. 448.*
(d) *De Vit. Conſt. lib. 3. cap. 49. p. 418.*
(e) *Dem. lib. 6. p. 306.* (f) *In Iſaj. p. 402.*
(g) *Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 17. pag. 45.*
(h) *De Mart. Palæſt. cap. 8.* (i) *In Pſal. 44. p. 192.*
(k) *Dem. lib. 3. p. 116.* (l) *Lib. 1. de Reſurr. p. 42.*
(m) *In Pſal. 71. p. 413.* (n) *Dem. lib. 3. p. 118.*
(o) *In Iſaj. p. 422.* (p) *Hiſt. lib. 2. cap. 1. p. 30.*
(q) *Ib. lib. 7. cap. 19. pag. 216. & ſeq.*

EUSEBIUS. *conſtituebant, duraſſeque uſque ad obſidionem, quæ Adriani tempore facta eſt* (*a*). Plures Chriſtiani *in perſecutionibus*, ... *ſanctorum virorum nomina uſurpabant; alius quippe ſe Jacobum appellabat, alius Iſraelem, alius Hieremiam, alius Iſajam, alius Danielem, & his ſibi adſcriptis nominibus, ad martyrium pro Deo ſubeundum cum fiducia, & conſtantia accedebant* (*b*). Cujus rei exemplum exhibet in hiſtoria Martyrii S. Pamphili, & Sociorum (*c*). Narrat denique, *Therebinthum*, ſub qua Abraham cum Angelis converſatus eſt, & de ſubverſione Sodomæ collocutus, etiam *ſuo tempore permanſiſſe*, magna etiam veneratione habitam a Paganis (*d*); ſed Conſtantinum, ad omnem evellendam ſuperſtitionem, *Baſilicam ædificari præcepiſſe juxta quercum, quæ dicitur Mambre* (*e*).

ARTICULUS QUARTUS.

Doctrina Euſebii de Verbi, ac Spiritus Sancti Divinitate expenditur.

HONOR ac reverentia, quam magni nominis Viris debemus, & nativa quædam vis, qua rapimur ad eorum errata excuſanda, nos impellunt, ne nimium rigidam, ac cenſoriam virgam in eos extendamus, ſed illos vindicare ſatagamus; quæ duriora in ipſis reperiuntur dicta aliis clarioribus ex eorumdem ſcriptis depromptis, & illis in locis prolatis, quibus clarius mentem ſuam aperiunt, emolliendo, & explicando; quod præſtandum aſſumimus in vindicando Euſebio tot præclaris Operibus, & eruditis Libris de tota Eccleſia optime merito. Legi poſſunt quæ hac de re ſcripſit Clariſſimus Valeſius in fronte Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii ab ipſo editæ.

Haud difficile quidem puto oſtendere, Euſebium adeo a defendendis Arii erroribus abfuiſſe, quin immo eos pluribus in locis dilucide, & conceptis verbis rejeciſſe, ac damnaſſe; eademque divina attributa, quæ Patri conveniunt, Verbo adſcripſiſſe; ipſum Filium naturalem ab ipſo ex propria ſubſtantia genitum agnoviſſe, & eſſe confeſſum; brevi, omnia crediſiſſe, quæ Nicæni Concilii Patres fide tenenda ſanciverunt. Proferre hic poſſemus epiſtolam Eccleſiæ ſuæ Cæſarienſi datam immediate poſt Concilii celebrationem, in qua ſuam decretis Nicænæ Synodi obedientiam (*f*), & ſubmiſſio-

Euſebius Nicænæ Synodo ſubſcripſit.

(a) *Dem. lib. 3. p. 124.* (b) *In Iſaj. p. 527.*
(c) *De Mart. Palæſt. cap. 11. p. 337.*
(d) *Dem. lib. 6. p. 234.*
(e) *De Vit. Conſt. lib. 3. cap. 51. pag. 419.*
(f) *In ep. ad Cæſ. apud. S. Athan. lib. de Decr. Nic. Syn. p. 238.*

miſſionem publice teſtatam voluit tum in iis, quæ Arii perſonam, tum quæ fidei Symbolum, quod ſe recipere, ac venerari ſanĉte affirmat, nec excepta voce *conſubſtantiali*, reſpiciebant.

EUSEBIUS.

Præcipua Arii nefanda dogmata hæc erant; Verbum ex non extantibus factum, non ſemper extitiſſe, nec fuiſſe priuſquam a Patre prodiret. Has omnes blaſphemias conceptis verbis deteſtatur Euſebius, & rejicit. „ Verbum .... (ſcribit) per ſe ipſum, & per „ Patris prolatum teſtimonium Filius nuncupatur; hinc niſi per ſum„ mam impietatem cum cæteris creaturis nec componi debet, nec „ comparari .... cum vel de nominis ſolius uſurpatione Filius na„ turalem quandam obtineat ad genitorem ſuum relationem" (*a*). Et alibi addit, quod ſicut ſumme periculoſum eſt, Filii Perſonam cum Verbi Perſona confundere, „ ſic enunciare ex nihilo genitum „ eſſe Filium, eadem ratione, qua reliqua, quæ facta ſunt, non „ abſque periculo ſit: alia enim eſt Filii generatio, alia per Filium „ aliarum rerum creatio" (*b*); & poſt allata Scripturæ de Verbo teſtimonia addit: „ Qui progenitum illum, de non entibus, & ex „ non ente productam affirmaverit creaturam, iſtum filium, nomen „ ei nudum tantummodo largiri deprehenditur, revera autem filium „ eſſe, pernegare. Nam qui de non extantibus generatus eſt, is „ certe Dei Filius eſſe revera nequit; non magis, quam quidvis „ aliud creatum (*c*)". Tandem in explicatione data celebri illo Sapientiæ teſtimonio: *Deus creavit me in initio*, obſervat, verba illa non de vera, & proprie dicta creatione eſſe intelligenda; eo vel maxime, quod in Hebraico textu non legitur: *Deus creavit me*, ſed *Deus poſſedit me*. „ Plurimum vero differt *creavit*, & *poſ*„ *ſedit*, cum illud ſignificet communi notione creaturarum pro„ ceſſum de non eſſe ad ſubſiſtere; hoc vero rei præexiſtentis poſ„ ſeſſionem, & proprietatem peculiarem poſſidentis; inquiens ideo „ Dei Filius: *Dominus condidit me, principium viarum ſuarum*, „ ſimul & ſuam indicat præexiſtentiam, & peculiarem ad Patrem „ proprietatem (*d*)". En igitur quomodo Euſebius, omnibus hiſce in locis, nedum Arianam hæreſim deteſtetur, ſed rationibus, & argumentis oppugnet; quo quid luculentius ad ejus apologiam afferri poteſt?

Præcipua Arii dogmata in ſuis Operibus damnat Euſebius.

Docet præterea, Filium *utpote Deum*, *immutabilem eſſe*, *& invariabilem* (*e*), *natura ſimplicem*, *prorſus indiviſibilem*, *atque ncompoſitum* (*f*), *immenſum* (*g*), incomprehenſibilem (*h*); quæ profecto attributa omnia nonniſi *vero Deo*, ut illum aperte appellat (*i*), convenire queunt. At quod Euſebium ab omni erroris ſuſpicione

Attributa Patri & Filio concedit: cum doctrina Concilii cohæret.

(a) *De Eccl. Theol. lib. 1. cap. 10. p. 68.*
(b) *Dem. lib. 5. p. 214.* (c) *De Eccl. Theol. cap. 9. pag. 68.*
(d) *Ib. lib. 3. cap. 2. p. 153.* (e) *In Pſal. 44. p. 185.*
(f) *De laud. Conſt. cap. 12.* (g) *Ibid.*
(h) *In Iſai. pag. 375.*
(i) *Dem. lib. 3. pag. 136.*

EUSEBIUS.

picione penitus abſolvit, illud eſt, quod ſive ante Nicænam Synodum, ſive poſt, Filii divinitatem agnovit, & prædicavit, mente plane Concilio uniformi, & conſentiente. Sic enim ſcribit: Ab Judæorum, & Paganorum „ omnium erroribus Eccleſia ſe mundans „ unum Deum prædicat, & eumdem eſſe docet Patrem, & omni- „ potentem: Patrem quidem unius ſolius Chriſti, omnium autem „ conditorem Dominum, & Deum. Ad eumdem quoque modum „ Dei Filium unigenitum agnoſcit eum, qui ante omnia ſæcula de „ Patre fuit genitus, non illum certe eumdem cum Patre exiſten- „ tem, at per ſe ſubſiſtentem, viventemque, vere Filium, cum „ Patre coexiſtentem, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de „ vita“ (*a*); & quem nos merito adoramus, utpote & ipſe Deus, & Filius naturalis Dei; & jure *affirmamus*, Salvatorem noſtrum, ſecundum divinam naturam, *eſſe unicum Dei Filium*, *ſeu Dei eſſentiam referens Verbum* (*b*): „ quod genitum fuit, non illud qui- „ dem, quod certis temporibus non fuerit, poſterius autem ſit na- „ tum, ſed quod ſit ante tempora æterna, atque ante eat, & tan- „ quam Filius una cum Patre ſemper degat; neque vero, qui non „ ſit genitus, ſed ex Patre non genito genitus “ (*c*).

Filii conſubſtantialitatem vere docet.

Porro quis, ne dicam credere, ſed vel ſuſpicari poterit, Scriptorem adeo orthodoxe loquentem, & aperte pronunciantem, Filium *ſecundum veritatem eſſe de Patre genitum*, *&* *unigenitum* (*d*), qui illum *ceu ex corde*, *ſive ex ipſis viſceribus produxit* (*e*) *de ſua ſubſtantia*, *ſine diviſione tamen*, *vel abſciſſione* (*f*), *paternæ Deitatis participem*, *cum ſit ejuſdem Regni conſors*, *utpote unigenitus Filius*, *Dei Verbum*, *&* *Dei ſapientia* (*g*): denique qui aperte, & dilucide confitetur *unam ſacroſanctam*, *&* *regiam Trinitatem* Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *quæ in una natura ortus*, *ac principii experte conſiſtit* (*h*); quis, inquam, ſuſpicabitur, hunc crediditſſe, Filium alterius eſſe a Patre naturæ? Audiamus, quonam pacto ratiocinetur Euſebius. „ Quid mirum, (inquit), ſi... „ Patris Unigenitus .... & Deus fuerit? De Deo ſiquidem quid „ aliud gigni poteſt, quam quod ipſi per omnia ſit ſimillimum? “ (*i*) Et alibi affirmat, non ſolum Filium genitum ex ſubſtantia Patris, ſed eſſe ipſam ſubſtantiam αὐτουσίαν, quod verbum, vi ſua, & ipſam *conſubſtantialis* vocem exſuperat.

Objecta ſolvuntur.

Euſebio objiciebat S. Athanaſius, auſum eſſe in quadam epiſtola Epiſcopo Euphranioni data pronunciare, Filium non eſſe *verum Deum*. Quæ phraſis licet validum adverſus Euſebii orthodoxiam ſpecie tenus argumentum afferre videatur, explicatur tamen facile,

(a) *De Eccl. Theol. cap.* 8. *pag.* 66.
(b) *Dem. lib.* 5. *p.* 202. (c) *Ib. lib.* 4. *p.* 149.
(d) *De Eccl. Theol. lib.* 1. *cap.* 10. *p.* 68.
(e) *In Pſal.* 44. *p.* 186. (f) *Dem. lib.* 4. *p.* 149.
(g) *In Pſ.* 85. *p.* 534. (h) *De laud. Conſt. pag.* 511.
(i) *De Eccl. Theol. cap.* 10. *pag.* 68.

EUSEBIUS.

facile, & emollitur; ſiquidem penes Euſebium affirmare, *Filium non eſſe Deum*, ſeu potius non eſſe *verum Deum*, perinde ſonat, ac *Filium non eſſe Patrem*. Sic enim ipſemet mentem ſuam explicat, dum accuſatus a Marcello Ancyrano de hujuſcemodi loquendi phraſi reſpondet, ſe ita eſſe loquutuum, ut dicto Evangelii conformis fieret dicentis: *Ut cognoſcant te ſolum verum Deum*. Et ſtatim addit: „ Sed non gravemur, & verum Deum confiteri, & Filium „ veluti in imagine reſultantem, ut additio illa *ſolus*, ſoli Patri „ adaptetur, utpote qui imaginis ſit archetypon " (*a*): Et in ſecundo adverſus Sabellium libro ſcribit: ideo „ dictum eſt, *ut co-* „ *gnoſcant te ſolum verum Deum*, non quia non vere eſt unigeni- „ tus Filius Dei, ſed quia a ſemetipſo, & ex ſemetipſo, & per „ ſemetipſum, ſi tamen ita dici debet. Fons & principium omnium „ bonorum eſt Pater, qui genuit talem bonam progeniem " (*b*); ideo Patri *ſoli* bonitatem tribuit non mentitus, ſed ut indicaret eſſe ſui principium. Et alio in loco eumdem textum explicans, ſubdit: „ Verus Deus eſt Pater in eo, quod natus non eſt. Verus „ Filius eſt in eo, quod eſt unigenitus. Non enim mendacium ge- „ nuit verus; ſed verus Pater Deus non natus, verus Deus filius „ Unigenitus. Nam & illud, quod dictum eſt: *ſolus habet immor-* „ *talitatem*, verum eſt; a ſemetipſo enim ſolus habet. Sed ſicut „ Pater *habet vitam in ſemetipſo*, ita & Filio dedit habere vitam „ in ſemetipſo " (*c*).

Ex his igitur Euſebii teſtimoniis luculenter apparet, illum, quando Patrem appellat ſolum verum Deum, quod frequenter in ſuis libris occurrit, nil aliud ſignificare velle, niſi divinitatem illi convenire tamquam principio, & fonti cæterarum Perſonarum, & quando Deus abſque alio addito dicitur, intelligendus Pater, ut Tertullianus dicit in ſuo adverſus Praxeam tractatu (*d*).

Quoad inferioritatem vero Filii ad Patrem, fatemur quidem merito Euſebium reprehendi, qui hoc dixerit verbis uſus, & phraſibus nimium durioribus, nihil tamen prolatum ab ipſo rectæ Eccleſiæ doctrinæ contrarium, ſi de inferioritate originis intelligatur, non naturæ. Nam Filius licet Deus ſit, & ejuſdem cum Patre naturæ, ab illo tamen ceu Filius procedit; hinc quandam originis ſuperioritatem ſupra Filium importat juxta Chriſti Domini effatum: *Pater major me eſt:* quæ verba S. Athanaſius (*e*), S. Baſilius (*f*), S. Gregorius Nazianzenus (*g*), S. Joannes Chryſoſtomus (*h*), S. Cyrillus Alexandrinus (*i*), ne de Patribus loquar, qui Nicænam præceſſere Synodum, ſemper interpretati ſunt de Je-

(a) *De Eccl. Theol. lib. 2. cap. 23. p. 141.*
(b) *Lib. 2. adv. Sab. inter Opuſc. Sirmon. Tom. I. pag. 14.*
(c) *Ibid. lib. 1. p. 10.* (d) *Cap. 13.*
(e) *Tom. 2. p. 264. Ed. Lond. 1703.*
(f) *Tom. 1. p. 712.* (g) *Pag. 582.*
(h) *Hom. 72. in Jo.* (i) *In Theſ. lib. 11.*

ſu Chriſto ſecundum divinitatem, adeo ut S. Gregorius Nazianzenus illos minime adprobet, qui de humanitate interpretantur, ſcribens: „ Nam quod ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus ſit, vere quidem dici poteſt, ſed non perinde honorifice. „ Quid enim mirum, Deum homine majorem eſſe " (*a*)?

Non diutius immorabor in defendendo Euſebio ob varia nomina, quibus Dei Filium appellavit, nimirum dum vocat illum Caput militiæ cæleſtis, magni Conſilii Angelum, alterum principium, & ob ſimiles hiſce phraſes, in quibus non magis ille culpandus, quam antiquiores Patres Eccleſiæ, qui & illis uſi ſunt. Dum autem Filium, alteram *naturam* appellat *δευτέραν*, eo nomine excuſandus, quod verba *ſubſtantiæ*, & *naturæ* non ad illum adhuc ſenſum forent determinata, quo nunc gaudent, ideoque ſumebantur etiam ad Perſonam denotandam; quod adeo verum eſt, ut S. Gregorius Nazianzenus, aliique, qui floruerunt, quando jam præſtituta erat ſua illis verbis ſignificatio, adhuc tamen aliquando fateri non dubitaverint, Patrem eſſe primam ſubſtantiam, ſeu naturam, & Filium ſecundam.

Difficilius fortaſſis ea explicari poterunt, & emolliri, quæ de Spiritu Sancto protulit, quem dixit „ ex eorum cenſu eſſe, qui per Filium condebantur; quandoquidem *omnia per ipſum facta ſunt*, & *ſine ipſo factum eſt nihil* (*b*) „; excuſari tamen poterit, ſi dicemus, hanc veritatem nondum ab Eccleſia definitam; cæterum Euſebium crediditſſe ſemper *ſacroſanctam*, & *regiam Trinitatem*, *Patrem*, & *Filium*, & *Spiritum Sanctum*, *quæ in una natura ortus*, & *principii experte conſiſtit* (*c*). Præterea, ſicut quidam ex antiquioribus Patribus vocabulo *creationis* uſi ſunt ad Filii generationem denotandam, ita fortaſſis Euſebius eadem eſt uſus voce ad Spiritus Sancti proceſſionem indicandam. Quod autem eodem in loco dicat, *Spiritum Sanctum nec Deum*, *nec Filium eſſe*, *quia minime a Patre genitum*; non eſt putandum, Divinitatem a Spiritu Sancto auferre, quam illi aperte tribuit, ſcribens: *tertiam*, *ſanctamque virtutem*, *quam Sanctum illi Spiritum nominant*, *Deum eſſe* (*d*); ſed ſolum indicare voluiſſe, Spiritum Sanctum non eſſe Patrem, quem communiter denotamus, cum abſolute Deum pronunciamus, nec eſſe Filium, utpote a Patre minime genitum.

Euſebii geſta ſatis non evincunt fuiſſe Arianum.

Quod tamen ſummopere invidiam Euſebio creavit, ejuſque fidem ſuſpectam reddidit, illud eſt, quod cum Primipilis Arianæ perfidiæ fœdere, & neceſſitudine fuerit conjunctus, & in iis, quæ adverſus S. Athanaſium, S. Euſtathium, alioſque Epiſcopos virtute, fide, & pietate ſpectatiſſimos vi & violentia geſta ſunt, non modicam habuerit partem. Facile enim creditur non diverſa ſenſiſſe ab iis, quorum partes adeo aperte tutatus eſt.

Verum

(a) *Greg. Naz. orat. 36. pag. 582.*
(b) *De Eccl. Theol. lib. 3. cap. 6. p. 175.*
(c) *De laud. Conſt. p. 511.* (d) *Lib. 3. Præp. p. 326.*

Verum ad evincendum, Euſebii geſta, & agendi rationem nihil cum ejus fide commune habuiſſe, ſatis erit oſtendere aliis, de cauſis ad ita agendum compelli potuiſſe, non ex ſola doctrinæ uniformitate. Arius Alexandria pulſus cum ſuis aſſeclis Cæſaream venit ad Euſebium, & ut erat vir verſipellis, & callidus, haud difficulter Euſebio perſuaſit, ſe injuſta vexari perſecutione, & æquam Alexandri Epiſcopi ſui ſeveritatem ceu apertam vim, & crudelem tyrannidem expoſuit. Fieri enim potuit, ut Euſebium falleret, qui naturali quadam miſeratione commotus patrocinium ſuſceperit viri Eccleſiaſtici ſe injuſta perſecutione vexatum jactantis, quin tamen ejus errores vel agnoſceret, vel defendendos ſuſciperet. Quod profecto eo probabilius nobis videtur, quia agnitis, & detectis Arii doctrinis, illi in Nicæno Concilio anathema dicere non detrectavit. Nihilo tamen ſecius, cum ad Arii defenſionem fœdus iniiſſet cum Euſebio Nicomedienſi, & Paulo Tyrienſi, aliiſque Arianiſmi Primipilis, quorum factioni addictus retinebatur vinculis neceſſitudinis, & amicitiæ, timens etiam, ne oppoſitæ factionis Epiſcopi Sabellii errores obtentu vocis *conſubſtantialis* revocarent, vocem illam nunquam ex corde probavit, licet ob reverentiam erga Nicænum Concilium admiſerit, & Euſebianæ factionis actibus adverſus illius defenſores conſenſerit, & ſeſe immiſcuerit. Interfuit itaque cum illis Antiocheno Concilio, in quo S. Euſtathius depoſitus fuit, & in Concilio Tyri habito inter S. Athanaſii Judices ſedit: at iniquas criminationes ſanctiſſimis hiſce Epiſcopis impactas adprobaſſe non eſt dicendus, & licet eorum conſenſerit depoſitioni, id fortaſſe contigit, quia ab illis vaferrimis hominibus calumnias ſuas, veritatis fuco, linire, & tegere probe callentibus deceptus, & in errorem pertractus fuit. In geſtis itaque Euſebii ſumma quidem apparet levitas, & animi mollities; at hæc minime probant, ea in corde foviſſe perniciosa dogmata, & virulentas opiniones, quæ illi tribuuntur. Nonne & Conſtantinus Imperator licet Eccleſiæ utilitatis, & ſanæ, catholicæque doctrinæ ſtudioſiſſimus Arianis artibus deceptus, & eorum fraudibus circumventus illorum defenſionem adverſus SS. Alexandrum, Athanaſium, & Euſtathium ſuſcipere non dubitavit? Hæc ſunt rationum momenta, quæ ad Euſebii apologiam conducere poſſunt, quin tamen diverſa ſentientes vel damnare, vel vituperare audeamus.

Non deſunt Martyrologia (*a*), in quibus Euſebii nomen inter Sanctos recenſetur, & in vetuſtiſſimo Eccleſiæ Lemovicenſis manuſcripto Breviario tres leguntur de eo lectiones, & collecta in ejus feſtivitate recitanda, quæ undecimo Kalendas Julii ſignatur. In fronte Manuſcripti Eccleſiæ Pariſienſis octingentorum annorum antiquitatem referentis, in quo Euſebii hiſtoria juxta Ruffini verſionem habetur, hæc leguntur verba: *In nomine Dei ſummi. Incipit hiſtoria Sancti Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi*. Legantur Valeſiana Prolego-

R 2

(a) *Uſuardus in Martyrologio*.

EUSEBIUS.

legomena in hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii, in quibus alia afferuntur teſtimonia, in quibus Euſebius *Sanctus Epiſcopus*, *Beatiſſimus Epiſcopus*, *& Sanctæ memoriæ Præſul* appellatur.

At ex adverſo Pater Longuevalius in ſua Eccleſiæ Gallicanæ hiſtoria hæc gallice ſcribit, quæ latine reddo: „ Nonnulli Scriptores „ Sanctum appellarunt Euſebium Cæſarienſis Eccleſiæ in Palæſtina „ Civem, & Epiſcopum, & Uſuardus eum in ſuo Martyrologio „ inter Sanctos adſcripſit. Verum licet plura in ejus tutelam, & „ defenſionem prodierint apologetica ſcripta, tamen ſemper de fide „ ſuſpectus habitus fuit, & ejus ſanctitas dubia, & incerta, quemadmodum & pœnitentia, quam egiſſe ſupponunt. Baronius e „ Martyrologio Romano undecimo Kalendas Julii ejus nomen expunxit, ejuſque loco Euſebium Samoſatenum collocavit"?

CA-

CAPUT NONUM.

S. ATHANASIUS

Epiſcopus Alexandrinus, Eccleſiæ Doctor.

ARTICULUS PRIMUS.

Ejus Vitæ Breviarium.

NIHIL certi, ac explorati reperire eſt apud Antiquos Scriptores, unde annum nativitatis S. Athanaſii ſtatuere certo poſſimus; nam de ejus ortu altum ubique ſilentium ſervatur. Verum quod ex ejus hiſtoria deprehendere poſſumus, natum credimus anno circiter ducenteſimo nonageſimo ſexto. Patrium ſolum ſui, & familiæ ſuæ fuiſſe Alexandriam, tum plurimi tradunt, tum ipſemet in quadam ex ſuis Epiſtolis clare innuit, dum ſcribit, excubantes Arianos in aditus, parteſque urbis (Alexandriæ) ademiſſe ſibi, ex quo ſe illorum manibus præripuerat, parentes inviſendi facultatem (a); & Conſtantinus illum ad eam urbem poſtliminio revocans ajebat, ſe velle eum patriæ, & propriis laribus reſtituere. Parentes ejus pii, Chriſtiani, & etiam, ſi fides inferioris ævi Scriptoribus eſt habenda, nobilitate & opibus inſignes, chriſtiane educandum, & moribus informandum chriſtianæ religionis ſanctitati reſpondentibus ſedulo ſategerunt. At vix in grammaticis, aliiſque humanis diſciplinis addiſcendis aliquot conſumpſerat annos, cum a S. Alexandro nondum Alexandriæ Epiſcopo a parentum manibus abſtrahitur, & ab eo ceu alter Samuel in Templo Domini educatur, eumque ſecum ad menſam habebat, ac in ſcribendo occupabat. Prophanas litteras didicit, ne ea eruditione careret, quam contemnere ſtatuerat; ac ſacris litteris, & diſciplinis adeo ſedulam navavit operam, ut ex opportunitate, aptitudine, & copia ex Sacris Scripturis teſtimonia depromendi facile ſit conjicere, eorum libros, & verba memoriæ infixa retinuiſſe. Antiquorum etiam Eccleſiæ Patrum, & Doctorum ſcripta ſumma diligentia ac ſtudio evolvit, in quibus & verum Scripturarum ſenſum, & Incarnationis Dominicæ dogma, quod poſtea tanta animi alacri-

S. ATHANAS.

S. Athanaſii ortus circa annum 296.

Ejus Patria, & ſtudia.

(a) *Ep. 2. ad Lucif.*

S. ATHANAS.

alacritate, & pectoris fortitudine adverſus Arianos tutatus eſt, penitius introſpexit ac penetravit.

S. Antonium inviſit: apud ipſum moratur: aſceticam amplectitur vitam: Clero cooptatur: Diaconus eligitur intra annos 320. & 325.

Circa annum 315. Antonium Magnum, cujus jam fama erat ubique locorum pervagata, adiit Athanaſius, deſiderio incenſus imitandi potius, quam inviſendi hominem adeo clarum, unde profectus & inſtitutionis cauſſa non modico tempore cum eo verſatus eſt, atque abluenti manus, ut olim Eliæ Eliſæus, aquam miniſtravit, ut ipſe narrat & gloriatur. Hujus magiſterio aſceticam vitam iniit, quam & in Epiſcopatu cuſtodivit, ut teſtes locupletiſſimi ſunt Ægyptii Epiſcopi in epiſtola Synodica anno 340. data. Sic itaque adoleſcens bonis inſtructus moribus, & in virtutum officiis exercitus, nec non & ſacris doctrinis eruditus, ut decet eos, qui ad Eccleſiæ miniſterium eliguntur, Clero cooptatur, & ſacris Eccleſiaſticorum ordinum gradibus decurſis, ad Diaconatus officium aſſumitur, quo ordine inſignitus erat tempore Nicæni Concilii, & ut videtur, promotus anno vel 219. vel 220. quando S. Alexander Arium anathemate perculſit.

S. Alexandro ſucceſſor eligitur in Alexandrina Sede anno 326.

Plures labores & ærumnas patitur ob fidei defenſionem toto vitæ ſuę curſu.

S. Alexandro comes adhæſit in Nicæna Synodo, & licet ſolum Diaconus, ſtrenue contra Arium dimicavit. In ſequenti vero anno Alexandrinam Epiſcopalem Sedem conſcendit. Ariani indigne & atrociter ferentes ab ejus communione repelli, atrociores in ipſum ſtruxere calumnias, & in Concilio Tyri celebrato ab Epiſcopatu eum dejecere. Athanaſius Tyro profugus Conſtantinopolim venit adeundi cauſſa Imperatorem; verum Arianorum legati cum illum apud Imperatorem accuſaſſent, quod commeatum frumenti quotannis Alexandria Conſtantinopolim tranſvehi ſolitum intercluderet, Imperator, non expectata ejus defenſione, Treviros in Galliis relegavit. At circa annum 337. cum Conſtantinus, cui Galliæ ſorte obvenerant, eodem reverſus, cum Treviris moraretur, Athanaſium remiſit Alexandriam, datis ad populum Alexandrinum litteris, queis virum ſummis exornat laudibus. Vix ſedem ſuam repetierat, cum Euſebiani ejus hoſtes novas calumnias ſtruunt, & iterum eum ſede pellentes, Gregorium Cappadocem ejus loco collocant. At ille Romam evocatus a Julio, navem cum quibuſdam fratribus conſcendens, Romam verſus iter arripuit. Ingreſſus Romam a Julio perhonorifice & perhumaniter excipitur, & in Concilio ibidem coacto, ejus detecta innocentia, ad eccleſiaſticam communionem admittitur, & pro irritis habenda factioſorum adverſus Athanaſium ſcita definiuntur; quod pariter præſtiterunt, & confirmaverunt Patres in Sardicenſi Concilio congregati anno 347. & poſt biennium ſuæ Sedi reſtituitur a Conſtantio, iteratis fratris ſui litteris permotus, quo defuncto, iterum a Conſtantio in exilium pellitur, & in deſertum ſe abdit. Ariani ejus loco Georgium eligunt, quo in populari ſeditione interfecto, imperante Juliano anno 360. Alexandriam Athanaſius revertitur, a qua iterum a Juliano expellitur, & revocatur imperante Joviano. Huic Imperatori litteras dedit tanto Doctore dignas, in qua Nicænam fidem commendat, & Nicænum Symbolum affert, cui nonnulla perſpicuitatis gratia ſubjungit, iiſ-

dem-

demque tum alia perneceſſaria, tum maxime Spiritus Sancti divinitatem declarat. Plura tamen adhuc toleranda fuere ab Athanaſio ſub Valentis imperio, qui illum in exilium depulit primum anno 367. & poſtea populares ſeditiones reformidans revocavit. Denique ætate ac ſenio confectus, prope octuagenarius, promeritum tantis officiis ac laboribus præmium accepturus, ſexto Nonas Maji diem obiit. S. Athanas. Obitus.

S. Gregorius Nazianzenus ejus integrum elogium his verbis complectitur: *Athanaſium laudans, virtutem laudabo* (a). Ejus ſcripta præcipua in eum collineant ſcopum, ut Myſteria Trinitatis, Divinitatem Verbi, & Spiritus Sancti explicent ac tueantur. Tres ſunt Scriptorum ejus celebriores Editiones, Commelini ſcilicet anni 1600. Petri Nannii anni 1627. & tandem Monachorum Ordinis S. Benedicti, ſive Montfauconii anni 1698. In ſcribendo ſtylum materiæ aptare noverat, de qua tractabat, nec non perſonis, quas alloquebatur; ſcriptionem ſuam tanta condiebat modeſtia, ſalibus, & gratia, ut non amiſſo argumentorum pondere veritatem, quam ſuadere volebat, in intima cordis impelleret; ejus ratiocinationes ordinatæ ſunt, optimeque ad concludendum concinnatæ, probationes vero perſpicuæ nitidæque, & plerumque ex Sacris Scripturis depromptæ, quas ut clariores efficiat, quandoque etiam aptis concinniſque ſimilitudinibus ornat. Stylo uſus eſt claro, ſimplici, & ab omni redundantia abhorrente, & præterea vivido, nervoſo, & efficaci; Apologiæ & Epiſtolæ elegantes ſunt, ac in eis plus ineſt, quam reliquis, diligentiæ & artis, tropis appoſite & ſobrie utitur, reſperſæ ſunt ſalibus frequentiſſimis, & in Commentariis brevitate uſus, ſine obſcuritate, & in hiſtoricis ſimpliciorem ac nativum adhibet ſtylum, nec umquam narrationes inutili digreſſione abrumpit. Nobiliores Editiones. Scriptionis ſtylus.

De Symbolo (b), *Quicumque*, qui Athanaſianum nomen præfert, diſſident inter ſe Eruditi, num ſcilicet ſit inter genuina S. Doctoris Opera collocandum. Profecto ex ſtylo & verbis apparet, a Scriptore Latino, potius quam a Græco exaratum, & Græce ſcriptum a Latine edito diſcrepat. Præterea uſque ad ſextum ſæculum ignotum fuit, & adverſus errores Neſtorianorum, Eutychianorum, & Monothelitarum concinnatum videtur, nec Athanaſio tribuendum, qui a novis condendis fidei formulis ſemper abhorruit, & ſolam volebat retinere Nicænam, & in antiquioribus Manuſcriptis minime legitur. A quodam Concilio Auguſtodunenſi celebrato, ut creditur, anno 670. citatur, quod tamen Concilium nonniſi in quadam collectione S. Benigni Divionienſis habetur. In quarto Toletano Concilio anni 633. profeſſio fidei recitatur, cujus nonnulli articuli ex hoc videntur Symbolo deprompti, & a neutro ex monumentis ſive Symbolum, ſive articuli S. Athanaſio tribuuntur. Primus, qui illum ſub

(a) *Oratio in M. Athanaſ.*
(b) *Grancol. Comment. in Brev. Tom. 1. pag. 236.*

S. ATHANAS.

S. Doctoris nomine citaverit, Theodulphus Aurelianenſis fuit, illum poſtea ſecuti & imitati Hincmarus, Ado, Haymonius, aliique antiquiores Galli Scriptores, quare Pithœus ab Auctore Gallo exaratum ſuſpicatus eſt, ſeu potius formulam fidei in Toletano Concilio recitatam Gallus quidam nomine Athanaſii inſignivit.

Sunt etiam, qui illum Vigilio Tapſenſi tribuunt, cui ſolemne fuit ſua ſcripta evulgare ementito alicujus Patris nomine, & præcipue S. Athanaſii, cum præſertim Vigilius Neſtorianorum, & Eutychianorum errores oppugnaverit, contra quos exaratum Symbolum videtur; nonnulli etiam ex ejus articulis in libro Vigilii contra Varimundum leguntur (1). A Gregorio IX. Breviario Romano an. 1323. inſertum creditur.

S. Athanaſii Opera italice translata ſunt quæ ſequuntur: I. *Vita S. Sincleticæ*, Opus ſpurium S. Athanaſio tributum, verſa a Presbytero Lucenſi. Lucæ 1720. II. *Hiſtoria Imaginis Beritenſis* Opus pariter ſpurium italice. Venetiis apud Dominicum Farri 1593. Iterum apud Dominicum Imberti 1602. III. *Tractatus de ſimplici & pura Eccleſia Dei* excerptus ex Operibus S. Athanaſii (nullum ſiquidem extat Opuſculum S. Athanaſii hujuſmodi titulum præferens) italice redditus legitur a Gratiano Peruſino. Venetiis apud Cominum de Tridino 1545. Verſionem hanc videre mihi non contigit. IV. *Symbolum* S. Athanaſio tributum italice vertit, ſed paraphraſtice Cornelius Riellus Minorita Neapolitanus. Neapoli 1629. Lauretus Mattei quoque in ſuo *Pſalmiſta Etruſco* carmine italico reddidit. Bononiæ per Joſephum Longhi 1688. V. In Pſalterio Davidico Ludovici Pitorii præmittitur Opuſculum S. Athanaſii *de Pſalmorum virtute*: ſed puto eſſe verſionem epiſtolæ ad Marcellinum præmiſſæ *expoſitioni Pſalmorum* in Editione Pariſienſi Tomi 2. VI. *Vita S. Antonii*, Opus genuinum S. Athanaſii, italice reddita legitur in libro *Vitæ Patrum* pluries impreſſo, ſed noviſſime & ſumma elegantia italici ſermonis a C. V. Dominico Manni. Florentiæ 1732. *Ex Argelato & Paitono*.

A R-

(1) Canonicus Galiardi ſuſpicatur, opus eſſe S. Philaſtrii. At Clariſſimus Muratorius libentius Fortunato adſcribendum putat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Celebriorum S. Athanaſii Operum Synopſis.

Oratio S. Athanaſii adverſus Gentes.

OMNIA D. Athanaſii Opera non ejuſdem ſunt rationis & argumenti. Plura Polemica ſunt, nonnulla Hiſtorica, aliqua vero Moralia; omnia tamen tanto in pretio ab Antiquis habita, ut illorum quidam dicere non ſit veritus, ſi deeſſet papyrus, eſſe in veſtibus deſcribenda. Ex ejus Operibus tempore prior eſt *Oratio contra Gentes*.

Ejus ſynopſis juxta Edit. Pariſ. ann. 1698.

Origo & progreſſus Idololatriæ.

Idolorum vanitas demonſtratur.

Duabus conſtat partibus, in quarum prima S. Athanaſius Idolorum vanitatem oſtendit; in alia vero unius veri Dei exiſtentiam evincit. Oſtendit itaque, ideo homines in Idololatriam prolapſos, quia (*a*) *in ſui cupidinem corruentes corporalibus voluptatibus ſe dedere; per errorem exiſtimantes, voluptatem ſibi bonam eſſe, ipſo vocabulo boni abutentes, voluptatem ipſam bonum cenſuere, & ſic voluptatis amore irretiti* ei adhæſere, libero abutentes arbitrio ad malum, cum æque illo optime uti poſſent ad bonum. „ (*b*) Per- „ cepta itaque voluptatum multiplici ſpecie, & retenta divinarum „ rerum oblivione, dum in corporeis affectibus voluptatem ſen- „ tiunt,.... perſuadent ſibi, ultra viſibilia nihil eſſe, ſed ſola iſta „ temporalia & corporea boni naturam habere; hinc ex rebus cor- „ poreis, ſenſibilibuſque non unum jam Deum ſibi confinxere, ſed „ plures,... & primo quidem cælo, ſoli, lunæ, reliquiſque ſtellis „ divinos honores conſecraverunt.... mox adhuc magis humi cum „ tenebricoſis ſuis cogitationibus ſubſidentes æthera, aerem, elemen- „ ta, homines, lapides, & ligna, immo libidinem ipſam, fœminas, „ & amicos pro numinibus celebraverunt". Poſtquam vero Idololatriæ originem narravit, ejuſque progreſſus, ad Idolorum vanitatem oſtendendam progreditur, non ſolum ex turpiſſimis eorum geſtis per ipſorum vates enarratis, nimirum furtis, adulteriis, homicidiis; verum (*c*) *ex illis ipſis*, quæ ipſi *de ſuis numinibus opinantur & narrant*.

Dei unitatem evincit.

Probata itaque Idolorum vanitate, duplicem Gentibus ad (*d*) *ducem & opificem Univerſi inveniendum viam* oſtendit Sanctiſſimus Præſul; alteram videlicet *uniuſcujuſque animam, & in anima ipſam mentem*, quæ a Deo creata, & ratione, atque intelligentia donata ſuper creatas res ſeſe evehere valet, ac Deum auctorem ſuum agnoſcere, & invenire. Alteram vero conſtituunt viſibiles creaturæ, per quas Deum adire poſſunt, (*e*) *rerum natura veluti litteris per ordinem & harmoniam Dominum ſuum conditorem indicante, & altiſſima voce proteſtante*. Quis enim ſolem conſpiciens, lunam, ſydera,

(a) *Pag.* 3. (b) *Pag.* 6. 7. (c) *Pag.* 8. & *ſeq.*
(d) *Pag.* 25. (e) *Pag.* 29.

S. ATHANAS. dera, & naturas inter ſe contrarias, tamen concordem harmoniam tenere, anni tempora perenni curſu ſibi invicem ſuccedentia, (*a*) *hyemem concedentem veri*, *ver æſtati*, *æſtatem autumno*, fœcunditatem terræ ſuis temporibus varia proferentis poma, quis, inquam, hæc videns, *non animo ratiocinetur*, *unam eſſe vim potentiamque*, *quæ iſta diſpenſet*, *& gubernet?* & hanc Deum eſſe, & quidem unum, non plures; „ (*b*) *non enim* ſi plures eſſent rerum naturæ „ principes, ſervaretur hujuſmodi univerſitatis ordo, ſed omnia „ confuſa & inordinata forent propter multos iſtos, cum unuſquiſ- „ que omnia ad ſuum arbitrium traheret & cum alieno depugna- „ ret, & (*c*) oporteret, ſi plures eſſent principes, non unum, ſed „ plures quoque & diverſos eſſe mundos. (*d*) Porro hic unus „ Deus eſt ſanctus, & excelſior omni creata ſubſtantia, Chriſti „ Pater, qui veluti optimus gubernator, ſua ſapientia, ſuaque ra- „ tione Domino noſtro Salvatore Chriſto, ea, quæ ubique ſunt, „ ſalubriter gubernat ac diſpenſat.... Verbum illius, quod uni- „ verſitatem iſtam inſtruit & illuſtrat ſua providentia, utpote boni „ Patris bona ratio“. Has autem omnes veritates confirmat S. Athanaſius, pluribus in medium allatis tum veteris, tum novi Teſtamenti teſtimoniis, Idolorum cultum deteſtantibus, & docentibus, unum eſſe Deum, qui omnia per ſuum Verbum creavit, & condidit.

Oratio de Verbi Incarnatione ſcripta circa annum 318.

Oratio de Incarnatione ſcripta fuit circa idem tempus, & eſt velut præcedentis continuatio, ut ipſemet Athanaſius ſtatim in initio orationis teſtatur. Eam Theodoretus non ſemel citat ſub hoc titulo *Sermo de Incarnatione*, & Adrianus primus Pontifex pari nomine eam deſignat; ſed D. Hieronymus huic Orationi, ſicut & præcedenti titulum fecit *Liber contra Gentes*, ea nimirum de cauſſa, quia S. Athanaſius acriter falſorum Numinum cultum & adorationem exaggerat, & deteſtatur.

Ejus analyſis.

Bifariam pariter hanc Orationem partitur Sanctus Præſul; in priori ſibiquidem parte de Mundi creatione loquitur, in altera vero de humani generis reparatione per divinum Verbum differit. Oſtendit itaque primo, (*e*) opificium Mundi non ſponte & fortuito efformatum, ut Epicurei fabulantur, nec ex præexiſtente ingenitaque materia factum, ut Plato arbitrabatur, ſed ex nihilo ac ex prorſus nuſquam extantibus Deum Patrem per Verbum ſuum creaſſe. Nam perfectiſſimus rerum omnium ordo, & harmonia documento eſt, *non ſponte* res creatas prodiiſſe, ſed cauſſam effectum præceſſiſſe; & rurſum ſi ad Mundum creandum Deus materia eguiſſet, *imbecillis* reperiretur, cum citra materiam nihil poſſet condere, & *non creator* rerum diceretur, ſed artifex, quum *in ſubjecta materia*, cujus ipſe eſt auctor, opus ſuum explicaret. Et revera Scri-

(a) *Pag.* 30. (b) *Pag.* 32.
(c) *Pag.* 33. (d) *Pag.* 34.
(e) *Pag.* 48. *& ſeq. juxta Edit. Monach. Ord. S. Bened.*

Scripturæ tum veteris, tum novi Teſtamenti omnia a Deo Patre per Verbum ſuum creata fuiſſe teſtantur. Deinde nonnulla ſubdit S. Præſul de lapſu primi hominis, ut lectoris in memoriam revocaret, Adami prævaricationem (*a*) *cauſſam fuiſſe*, ut *Verbum* Dei, humanitate aſſumpta, *ad nos accederet*, & *inter homines appareret*: ſolus enim Dei Filius hominem a pœna mortis, quam peccando promeruerat, poterat liberare, (*b*) & ipſe *imago Patris hominem ad Dei imaginem factum reficere, atque idololatria & impietate univerſum terrarum orbem occupante, & Dei agnitione ubique latente, hominem ad veri Dei agnitionem adducere ipſe ſolus poterat*. Incarnationis effectus præcipuos binos eſſe docet; nimirum (*c*) *ut mortem a nobis debellaret, ac nos renovaret*; ſecundo, *ut ipſe, qui ex natura ſua apparere non poterat, nec videri, per opera appareret, palamque oſtenderet, ſe Verbum Patris Mundi Ducem, & moderatorem eſſe*. Primum ſua morte perfecit, alterum miraculis & prodigiis oſtendit.

S. ATHANAS.

De cauſſis Incarnationis.

Deinde ſibi objicit: (*d*) „ Si neceſſe erat illum pro omnibus „ corpus ſuum morti tradere, cur non maluit illud privatim & „ cum honore deponere, quam cruci affixus mortem cum igno„ minia pati? Et reſpondet, quod a Salvatore factum eſt, vere eſ„ ſe divinum, ejuſque Divinitate multis de cauſſis dignum. Nam „ mors, qua homines intereunt, illis ex eorum naturæ infirmitate „ advenit.... At Dominus non infirmus, ſed Dei virtus, & Dei „ Verbum, ipſaque vita eſt. Si ergo privatim, & conſueto more „ corpus in lecto depoſuiſſet, id illi ex naturæ infirmitate accidiſ„ ſe, nihilque amplius aliis hominibus habuiſſe putaretur,... nec „ par erat, Dominum, qui aliorum morbos curabat, morbo ipſum „ corripi; nec enim infirmari debuit corpus, in quo aliorum ſana„ bat infirmitates. Quare igitur, ut morbum, mortem non impe„ divit? Quia nempe propter mortem corpus habuit; nec eam il„ lum a ſe arcere decuit, ne id reſurrectioni eſſet impedimentum.... „ (*e*) ideoque nec corporis interitus occultus eſſe decebat, quia ſi „ mors latuiſſet, neque coram teſtibus obita fuiſſet, occulta quo„ que ac ſine teſtibus fuiſſet ejus reſurrectio.... Quomodo vero e„ jus diſcipuli de reſurrectione libere loqui auſi fuiſſent, qui illum „ prius mortuum fuiſſe affirmare non poſſent? Sicut nec honorifi„ cam mortem ſibi eligere debuit, ne ſuſpicioni adverſus ſeipſum da„ ret, quaſi non qualibet morte eſſet fortior; (*f*) & quia, ſi id„ eo venerat, ut maledictionem, in quam incideramus, portaret, „ quomodo aliter factus fuiſſet maledictio, niſi maledictionis mor„ tem ſuſcepiſſet? Ea autem Crux eſt; nam ſcriptum eſt: *Maledi*„ *ctus qui pendet in ligno*". Nec diutius vel brevius, quam triduum corpus Chriſti mortuum jacere debuit „ (*g*), ſi quidem inde „ potuiſſet aliquis ſuſpicari, illud nequaquam mortuum eſſe, vel non „ omni-

Cur Chriſtus mortuus ſit in Cruce.

(a) *Pag.* 50. (b) *Pag.* 58. & *ſeq.*
(c) *Pag.* 61. (d) *Pag.* 61. & *ſeq.*
(e) *Pag.* 67. (f) *Pag.* 68. (g) *Pag.* 69.

S. ATHANAS.

,, omnino a morte tactum fuiſſe , ſi illico reſurrexiſſet,... & ne
,, aliud putarent homines eum habere corpus , ſi nimirum nonniſi
,, poſt multum temporis, cum jam penitus fuiſſet corruptum, illud
,, vitæ reddidiſſet ; ... idcirco non amplius, quam tres dies expe-
,, ctavit ". Oſtendit deinde utilitatem & gloriam , quam Chriſtus
ex ſua morte percepit, & beneficia, & commoda, quæ nobis attu-
lit. Poſt hæc veritatem Reſurrectionis oſtendit duplici ratione; &
primo quidem, ,, quia (*a*) ſi verum eſt, mortuum nihil agere, quo-
,, modo mortuus Chriſtus, qui tot & tanta prodigia egit? qui
,, nempe homines ad pietatem trahit, qui illis ut virtutem ſecten-
,, tur perſuadet, qui eos.... rerum cæleſtium deſiderio inflammat,
,, vimque contra mortem infundit .... qui impiam idolorum ever-
,, tit ſuperſtitionem, Dæmonum præſtigia irrita reddit, ſiquidem ,
,, ſigno Crucis, omnis ars magica deficit. Altera vero ratio eſt,
,, quia (*b*) cum vitæ templum factum fuiſſet,... vitam in ſe con-
,, tinebat, quapropter mortuum manere non potuit. Quod ſi ideo
,, reſurrexiſſe non creditur, quia non videtur ; ex operibus tamen
,, agnoſci poteſt; nam ipſa clamant opera, & rem manifeſte pro-
,, bant ".

Incarnationem probat contra Judæos.

Progreditur S. Athanaſius ad oſtendendum Judæis, Chriſtum eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum: 1. (*c*) Quia in ipſo impleta ſunt vaticinia omnia & Prophetarum oracula de Salvatoris Meſſiæ ortu, morte, & crucifixione: 2. Quia juxta vaticinia Prophetarum (*d*) *omnes Gentes, impietate rejecta, ad Deum Abraham, per Verbum, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, confugiunt*, ac ejus doctrinam amplectuntur: 3. Quia in ipſo impletum eſt Iſajæ vaticinium; (*e*) *Tunc aperientur oculi cæcorum*; ideo cum cæcum natum videntem conſpexiſſent Judæi, dixerunt, *ea numquam alias facta audiviſſe*, (*f*) *a ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic a Deo, non poſſet facere quidquam*: 4. Quia juxta Jacobi, & Danielis vaticinia in adventu Chriſti Prophetæ, Reges, & viſiones ablata ſunt, nec habent jam amplius Judæi Legem & Prophetam, immo nec Jeruſalem, nec ſacrificium apud illos manet, diruta Urbe, everſo Templo: 5. Denique quia & alia in ipſo impleta ſunt vaticinia de Gentibus ad fidem vocandis, de cultu Idolorum evertendo, & de morte debellanda.

Paganorum objecta diluit.

Pagani vero alia objiciebant; nimirum (*g*) indignum eſſe Dei Verbo, carnem unius hominis aſſumere, ut ſe inſpiciendum præberet, cum eum decuiſſet per alias pulchriores Mundi partes apparere, & ſplendidiore uti inſtrumento, v. g. ſole, luna, aſtris, igne, vel æthere: vel ſi homines erudire, & ſervare cupiebat, ſolo nutu id debuiſſet agere, non autem corpus aſſumere; quemadmodum utique olim factum eſt, cum res ex nihilo ſunt productæ. Verum hiſce repo-

(a) *Pag.* 73. (b) *Pag.* 74.
(c) *Pag.* 80. (d) *Pag.* 82. *& ſeq.*
(e) *Iſaiæ* 35. 5. (f) *Joan.* 32. 33. (g) *Pag.* 84.

reponit S. Præſul : „ (*a*) Si in Mundo, qui corpus eſt, Dei Verbum eſt, ſi in omnibus & ſingulis rebus exiſtit, nec incredibile, nec abſurdum videri debet, ſi ipſum quoque in homine eſſe aſſerimus; cum ejus Incarnationis ſcopus non eſſet tantum advenire & apparere, ſed ſanare & docere, ac indigentium commodo proſpicere, non ſolis, non lunæ corpus aſſumere decebat, ſed ſolius hominis ſanandi & reducendi, & adeo conſentaneum erat, Medicum & Servatorem ad hominem accedere, ut qui in ipſo erant infirmitates, curaret, & vitam illi reſtitueret ac immortalitatem". Rurſum vero Incarnationis veritatem probat ex celeri Evangelii per totum orbem propagatione, & Idololatriæ in omnibus Univerſi partibus poſt ejus doctrinæ prædicationem everſione, non ergo, infert, purus homo, ſed Deus. „ (*b*) Etenim quî fieri poteſt, ut unus homo omnium, quos Gentes colunt, Deorum potentiam ſuperet, nihilque prorſus illos eſſe ſua propria virtute convincat? Quod ſi Magum eſſe dicant, quî fit ut a Mago ars omnis magica deſtruatur, & non potius confirmetur?... An Dæmonem eum aliis valentiorem fuiſſe contendunt? ... Quî fieri poteſt, ut ille ſit Dæmon, qui ipſe Dæmones expellit? Nam ſi aliquos tantum Dæmones abigeret, recte eum in principe Dæmoniorum cæteris inferioribus fortiorem fuiſſe arbitrarentur; ... verum ſi omnis Dæmonum furor ejus nomine retunditur ac repellitur; nemo certe non videt, nullam in Chriſto Dæmoniacam eſſe virtutem .... ſed vere illum Dei Filium, & Verbum, Sapientiamque ac virtutem Patris eſſe". Coronidem imponit orationi ſuæ admonens lectores ſuos „ (*c*) præter ſtudium & veram cognitionem Scripturarum, vitæ quoque integritatem, & munditiam animæ, nec non Chriſtianam virtutem neceſſariam eſſe, ut per eam mens incedens ea, quæ expetit, aſſequi, & Dei Verbum, quantum humanæ naturæ licet, comprehendere queat. Siquidem nemo, Sanctorum verba ſine pura mente, & illorum vitæ imitatione intelligere poteſt".

S. ATHANAS.

S. Athanaſius Eccleſiæ ſuæ reſtitutus anno 349. ſtatim ac quietem nactus eſt, ſuam Apologiam edere ſtatuit adverſus Arianos, qui tamdiu exagitati, totieſque confutati criminationes pervulgare non ceſſabant. Hoc autem tempore exaratam ab ipſo Apologiam ipſemet ſubindicat, ubi loquens de duplici exilio, quod ſubierat, dicit, ſe recenter ex eorum manibus fuiſſe ereptum, & a malis, quæ ipſi in poſtremo exilio intulerant. Scribebat igitur poſt ſuum ex ſecundo exilio reditum, qui contigit anno 349. ac proinde circa annum 351.

Apologia S. Athanaſii adverſus Arianos ſcripta circa annum 351.

Licet fuſior ſit hæc Apologia & proiixior, pauca tamen ab ipſo Athanaſio proferuntur, nonnulla ſcilicet in Præfatione, & alia in calce; cætera vero ſunt ſolum monumenta ab ipſo in ſui defenſionem

(a) *Pag.* 83. *&* *ſeq.*
(b) *Pag.* 89. *&* *ſeq.* (c) *Pag.* 96.

S. ATHANAS. nem producta. In duas partes dividi poteſt; (*a*) quarum altera epiſtolas omnes complectitur ſive Synodicas, ſive privatas in cauſſa ſua conſcriptas ab anno 340. uſque ad annum 350. quarum argumentum eſt confutatio calumniarum ab Euſebianis in Synodo Tyria, in Mareote, & alibi adverſus Athanaſium ſtructarum. Secunda vero, hiſtoriam Meletii, rerumque ab Iſchyra, Arſenio & Euſebianis contra eumdem geſtarum ab anno 300. uſque ad 338. complectitur. In priori parte, encyclica Alexandrinæ Synodi producta, oſtendit Athanaſius, meras fuiſſe calumnias criminationes ipſi ab Euſebianis impactas, videlicet, quod poſt ſuum ex Gallia reditum, multarum cædium auctor fuiſſet, quod Epiſcopatum Alexandrinum invaſiſſet, furtimque ordinatus fuiſſet, quod frumentum alendis viduis deſtinatum in proprium lucrum convertiſſet, nec non Calicem confregiſſet, & Arſenium interemiſſet. (*b*) Productis vero Synodi Romanæ, Julio Pontifice, litteris, luculenter evincit, ſe Tyri de ſibi objectis criminibus minime fuiſſe convictum, proceſſus in Mareote inſtitutos informes fuiſſe, & ipſo abſente efformatos. Deinde (*c*) Synodi Sardicenſis decretis oſtendit, ſuam in Synodo innocentiam comprobatam, in ſua ſede reſtitutionem decretam; e contra Gregorium ſuæ Sedis invaſorem depulſum, & Euſebianos accuſatores ſuos damnatos, & anathemate perculſos. Epiſtolæ vero, quæ ſubſequuntur Conſtantii & Conſtantini Auguſtorum, ejus innocentiæ fidem indubiam faciunt, & illum cum pace ad ſuam & Sedem & Patriam tranſmittunt, jubentque, omnia hactenus adverſum Athanaſium ſcripta deleri. In ſuæ innocentiæ teſtes adducit etiam (*d*) Patrum Hieroſolymitani Concilii litteras ad Epiſcopos Ægypti, & Libyæ datas, quibus de ſuo reditu ſummopere gratulantur, & in ſuam recipiunt communionem, nec non Urſacii & Valentis ad Julium Papam Epiſtolam, qua fatentur, quæcumque hactenus de Athanaſio dixiſſent, meras fuiſſe calumnias.

Continuatio. In altera vero parte rem altius repetens ab ipſo Meletii Schiſmate hiſtoriam orditur. Hinc ad Arianæ hæreſeos ortum progreſſus de Nicæna Synodo agit, deque Euſebii Nicomedienſis cura, ut Arius damnatus in Eccleſiam admitteretur: Conſtantini ab ipſo Euſebio circumventi minas, queis Athanaſio exilium interminabatur, niſi Arium cum ſuis reciperet, calumnias a Meletianis ſtructas de lineis, nempe ſtichariis (1), quaſi ipſe legem Ægyptiis dediſſet, ac ea primus exegiſſet ab illis; hiſtoriam Iſchyræ & Arſenii narrat. Refert poſtea res in Tyrienſi Synodo geſtas, legationem ad Mareotem, epiſtolam Flavii Himerii Catholici ad exactorem Mareotes, cui curam Eccleſiæ pro Iſchyra ædificandæ demandat, ſuum apud

(a) *Pag.* 125. *& ſeq.* (b) *Pag.* 141. *& ſeq.*
(c) *Pag.* 155. *& ſeq.* (d) *Pag.* 175. 176.
(1) Hoc nomine vocantur, præſertim apud Græcos, veſtes quædam ſtrictiores eccleſiaſticæ, quæ ſunt Antiſtitum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum propriæ.

apud Treviros in Galliis exilium ; denique refert Epiſtolam Conſtantini Junioris, quam in gratiam ſui ab exilio redeuntis ad Alexandrinos miſit. Ex omnibus hiſce monumentis duo concludit Athanaſius, nimirum primo, non amplius in judicium vocandum, cum ejus cauſſa a pluribus Conciliis examinata fuerit & dijudicata ; ſecundo, nullam indulgentiam, aut gratiam locum habuiſſe, ſed jure & merito tantam Epiſcoporum turbam, & privatim ſingulos, & congregatos omnes ſuam innocentiam declaraſſe, & inimicorum ſycophantias damnaſſe. S. ATHANAS.

Aliam exaravit D. Athanaſius Apologiam, quam de ſua fuga inſcripſit, quippe qui totus eſt in depellendis Arianorum, & præſertim (*a*) Leontii Antiocheni, Narciſſi Nerionadis, & Georgii Laodiceni dicteriis, qui eum probris onerabant, & timiditatis accuſabant, quod cum ab ipſis de medio tollendus inquireretur, non dedititius illis ſe obtulerit, ſed fuga ſuæ incolumitati conſuluerit ; at quam inique ſecum agant, oſtendit, & quam ſimulate & callide detegit, & ſuæ fugæ prudens conſilium comprobat Scripturarum teſtimoniis, & Prophetarum, Apoſtolorum, & ipſiuſmet Chriſti Domini exemplis. Apologia de ſua fuga.

Circa hoc idem tempus, ut colligitur ex his, quæ ipſe ſcribit, litteras dedit ad Solitarios, in quibus dicit, tunc temporis Leontium Antiochenam Sedem tenere ; quod longius protrahi nequit, quam ad initium anni 358. Hæc epiſtola, quæ tractatus potius dicenda eſt, duas habet partes, priorem dogmaticam, quæ jamdiu periit, alteram hiſtoricam, quæ ferme integra ſuperſtes manet una cum totius Operis Præfatione. Et primo quidem ſic ſcribit : „ (*b*) Ut „ veſtræ charitati morem gererem.... noſtras, Eccleſiæque calami„ tates paucis conſcripſi, & quoad facultas tulit, exſecrandam Ario„ manitarum hæreſim confutavi, oſtendique, quam ſit illa a veri„ tate aliena “; & poſt pauca ſubdit : „ Quo magis ſcribere ag„ grediebar, mihique ipſi ad intelligendam Verbi Divinitatem vim „ inferebam, eo longius cognitio a me recedebat: agnoſcebamque, „ me tanto magis rei aſſequendæ imparem eſſe, quanto magis eam „ attigiſſe mihi videbar. Etenim nec hoc ipſum, quod me intelli„ gere putabam, ſcribere poteram, immo quod ſcribebam minus „ erat, quam concepta, licet puſilla, veritatis umbra.... Sæpe vo„ lui ſubſiſtere, atque a ſcribendo deſinere: ita credite. Ne autem „ videar, aut vobis moleſtus eſſe, aut eos, qui illud a vobis poſtu„ lant,.... per ſilentium meum in impietate detinere, mihi ipſi „ ad hæc pauca ſcribenda vim intuli, & hæc miſi veſtræ pietati. „ Etſi enim comprehenſio veritatis, ut in ſe eſt, nunc ob carnis „ infirmitatem procul a nobis ſit, at poteſt agnoſci, ut ait Eccleſia„ ſtes, impiorum ſtultitia .... (*c*) Et tametſi comprehendi ne„ queat, quid ſit Deus, dici tamen poteſt, quid non ſit.... eo Epiſtola ad Solitarios.

„ prorſus

(a) *Pag.* 320.
(b) *Tom.* 1. *pag.* 343. (c) *Pag.* 344.

S. Athanas.

„ prorſus modo etiam de Filio Dei cogitandum : etſi multo lon-
„ gius natura ab eo ſimus, quam ut eum comprehendere valeamus,
„ poſſumus tamen, immo facile eſt, ea confutare, quæ ab Hæreti-
„ cis proferuntur, ac dicere, non eſſe illa Filium Dei ; neque fas
„ eſſe, qualia ipſi loquuntur, de ejus Divinitate vel cogitare, ne-
„ dum labiis proferre.

„ Sic equidem pro facultate ſcripſi, vos autem, dilecti, hæc ac-
„ cipite, non quaſi perfectam de Divinitate Verbi explicationem
„ complectantur, ſed ut quæ dumtaxat Chriſti hoſtium impietatem
„ arguant, & quæ volentibus occaſionem præbeant ad piam ſan-
„ ctamque in Chriſto fidem aſſequendam. Quod ſi quid omiſſum
„ eſt (puto autem omnia omiſſa eſſe) cum conſcientia pura veniam
„ mihi tribuite, tantumque velim, audax meum pro pietate propo-
„ ſitum approbetis .... Cum hæc igitur legeritis, orate pro no-
„ bis, & invicem vos ad illud cohortamini ; & quam primum hæc
„ ipſa ad nos remittite, nec ulli prorſus hujus exemplar tradatis,
„ nec vobis ipſis tranſcribatis, ſed ut probis trapezitis ſat vobis ſit
„ horum lectio ſæpius repetita, ſi libeat. Non enim tutum eſt no-
„ ſtrum balbutientium & indoctorum litteras ad poſteros perveni-
„ re ". Tam modeſte & ſobrie de ſe ſentiebat, & loquebatur o-
mnium ſui temporis, & fortaſſis totius Græciæ Theologus maxi-
mus, ac doctiſſimus (*a*). Huic præfationi totius Operis ſecunda
pars ſuccedit, quæ narrationem complectitur perſecutionum, quas
paſſus eſt S. Athanaſius, mutilam & imperfectam, quippe quæ i-
nitium ſumit ſolum poſt Concilium Tyrienſe anni 335. & deſinit
in turbinibus, vexationibuſque excitatis ab intruſione Georgii in
Epiſcopatum ; & in ea meminit lapſus tum Oſii, tum Liberii.
Hinc inferre licet, hoc Opus ſcribi ab Athanaſio non potuiſſe an-
te annum 357.

Refellit in eo Athanaſius Conſtantii Imperatoris excuſationes, &
cauſſas, quibus in ſua Epiſtola ad populum Alexandrinum per He-
raclium Comitem miſſa, & per eum publicata recentem perſecu-
tionem emollire ſtudebat. Inquiebat ſiquidem Conſtantius, ſolum
„ (*b*) fratris ſui divinæ & piæ memoriæ viri amicitiam reveri-
„ tum, Athanaſium ad quoddam ſpatium temporis Alexandriam
„ adire permiſiſſe ", cui reſpondet Athanaſius : *Illud eum & in
promiſſis fallacem, & erga fratrem ſuum poſt obitum ejus ingra-
tum comprobare ;* cujus tamen ut hæreditatem adiret civile, bellum
excitare non omiſit. Addebat Conſtantius, Athanaſium in exilium
pellendo, *patris ſui placita ſervare*. Cui reſpondet Athanaſius: *Il-
lum patris exemplum imitari, ſed quantum hæreticis libet ; at in
iis, quæ diſpliceant illis, debitam patri ſuo reverentiam ſervare
neſcit. Nam Conſtantinus Euſebii & Sociorum calumniis inductus
Epiſcopum* (Athanaſium) *amandavit in Gallias, ad tempus ſcili-
cet, ac*

(a) *Fleury Tom.* 13. *lib.* 13.
(b) *Pag.* 374. *n.* 50.

cet, ac ut inſidiatorum immanitatem devitaret . . . . at nequaquam iiſdem Euſebianis morem geſſit, nec illum miſit, quem illi Epiſcopum eo mittere peroptabant, immo id volentes coercuit, atque rem aggreſſos gravibus minis deterruit. (*a*) *Cur itaque ſi Patris ſui placita ſervare voluit, primo Gregorium, jam vero depeculatorem Georgium miſit? aut cur Arianos, quos Porphyrianos ille nuncupavit, hic ſtudet in Eccleſiam introducere?... Quare dum ſe ſimulat eccleſiaſticum curare canonem, omnia contra canonem agere molitus eſt? Quis canon præcipit, ut e Palatio mittatur Epiſcopus? Quis canon jubet, milites invadere Eccleſias? Quis tradidit, Comites, inconſideratoſque Spadones eccleſiaſticis præeſſe rebus, aut edicto judicia eorum, qui Epiſcopi vocantur, promulgare?* S.ATHANAS.

Acrius in hoc ſcripto Conſtantium inſectatur; exprobrat illi ſiquidem ejus animi levitatem & inconſtantiam, quam oſtendit in ſuis Epiſtolis & edictis; ex quibus apparet, non ex ſui animi ſententia agere, ſed illorum voluntatibus & placitis trahi. Suam illi crudelitatem exprobrat, qui nec cognatis ſuis pepercerit: „ (*b*) „ Patruos enim (inquit) occidit, patrueles ſuſtulit, ſocerumque, „ cujus jam filiam duxerat, cognatos item ſuos afflictos minime „ miſertus eſt. . . . Sic jam erga fratrem ſeſe impie gerere auſus „ eſt.... nam deſponſam ejus Olympiadem Barbaris (Arſacio ſcilicet Armeniæ regi.) tradidit, quam ille uſque ad mortem apud „ ſe ſervavit, educavitque quaſi propriam ſibi uxorem". (*c*) Denique Conſtantium *Antichriſtum* appellare non veretur. Et ut Arianæ perſecutionis iniquitatem oſtendat, ſcribit: „ (*d*) Quod ſi „ indecorum omnino fuerit, Epiſcopos quoſdam horum formidine „ ſententiam mutaſſe; multo ſane indecentius, hominumque ſuæ „ ſententiæ diffidentium eſt, vim inferre, & invitos cogere. Sic „ Diabolus cum nihil veri habeat, in ſecuri & aſcia irruens confringit portas eorum, qui ſe recipiunt. Salvator autem ea eſt „ manſuetudine, ut his verbis doceat quidem: (*e*) *Si quis vult* „ *poſt me venire*, & *qui vult meus eſſe diſcipulus*, ſed ubi quempiam adierit, nullam inferat vim; ſed potius pulſando hæc loquatur: (*f*) *Aperi mihi ſoror mea ſponſa*. Tunc ſi aperiant, ingreditur, ſi negligant abnuantque, ſecedit. Non enim gladiis aut „ telis, non militum manu veritas prædicatur, ſed ſuaſione & „ conſilio. Quænam autem ſuaſio, ubi Imperatoris formido? Aut „ quodnam conſilium, ubi qui abnuit, exilio tandem vel morte „ multatur"? Et poſt plura ſubdit: „ (*g*) Religionis proprium „ eſt non cogere, ſed perſuadere, uti diximus. Namque Dominus „ non vim inferens, ſed cujuſque voluntati facultatem relinquens, „ ait: (*h*) *Si quis vult poſt me venire*, & diſcipulis ſuis: (*i*) *Num*

(a) *Pag.* 375. *n.* 51. (b) *Pag.* 385. *n.* 69.
(c) *Pag.* 388. *n.* 74. (d) *Pag.* 363. *n.* 33.
(e) *Lucæ* 9. 23. (f) *Cant.* 5. 2.
(g) *Pag.* 384. *n.* 67. (h) *Matth.* 16. 24. (i) *Jo.* 6. 68.

S. ATHANAS.

„ *& vos abire vultis?* (*a*) Quænam Eccleſia eſt, quæ jam libere „ Chriſtum adoret? nam ſi pia quidem ſit, in periculo verſatur; „ ſi ſimulet, reformidat. Omnia ſimulatione impietateque, quoad „ facultas tulit, replevit. Si quis ubique pius homo, Chriſtique „ amans reperiatur (extant ſane ubique tales permulti) deliteſcunt, „ ſicubi tamen ipſi fidum hominem, veluti Abdiam, inveniant, „ vel ſi liceat in cavernis, & in foramine terræ ſecedere, aut de„ mum in deſertis locis aberrantes commorari".

Orationes Quatuor adverſus Arianos ſcriptæ circa annum 358.

Quatuor hæ Orationes ita inter ſe cohærent, ut unum ipſæ Opus ſimul conficiant. Prima Opus omnino novum, a cæteris penitus diſtinctum, pollicetur, quarta vero, cum ſolita terminetur Doxologia, poſtremam eſſe, & toti Operi coronidem imponere oſtendit. Hoc Opus aggreſſus videtur Athanaſius, dum adhuc in Ægypti ſolitudine latitaret, verum non ſemel intermiſſum repetiit. Ex quibuſdam ſecundæ Orationis verbis apparet, eam ab ipſo exaratam, ut Arianis reſponderet, qui nonnulla contra primam Orationem objecerant, & ut eos ad ſilentium cogeret, tertiam & quartam addidit; primam autem Orationem nonnullis amicorum, qui frequentius cum Arianis certare cogebantur, precibus annuens compoſuit. Quod Opus profecto ipſis in hocce certamine multum prodeſſe poterat, & adjumento eſſe, quippe quod, ut ſcribit Photius (*b*), adverſus univerſam Arianorum aciem poteſt ſufficere. Profligat etiam Neſtorii ac Eutychetis, & aliorum, qui ſubſecuti ſunt, hæreticorum perverſa dogmata; ita nitide veram de Chriſto fidem exponit.

Primæ Orationis analyſis.

Primam ſuam Orationem exorditur S. Athanaſius, oſtendens, (*c*) *omnes quidem hæreſes* ſtatim detectas fuiſſe, *& earum impietatem omnibus jamdudum patefactam*. Sed ſubdit: „ Ariana, quæ po„ ſtrema hæreſum eſt, vafra & callida, animadvertens antiquiores „ ſe ſorores alias hæreſes palam notatas, ipſa ſeſe Scripturarum „ vocabulis, ſui patris diaboli exemplo, ſimulate induit,... ut chri„ ſtiana ſpecie aſſumpta, aliquos ad prave de Chriſto ſentiendum „ poſſit falſis argumentationibus adducere;... neceſſarium propte„ rea duxi thoracis nefandæ hujus hæreſis ſinus explicare, atque e„ jus ſtultitiæ patefacere fœtorem". Addit, „ (*d*) eos, qui Aria„ nos Chriſtianos vocant, multum, valdeque errare: nam pro Chri„ ſto Arius illis eſt, ut Manichæis Manichæus .... & quod pro „ Chriſtianis Ariani nominentur, hoc ſuæ impietatis habent inſi„ gne. Nec ſe conentur defendere, nec, quod illis probro eſt, in „ eos falſe conjiciant, qui ſui ſimiles non ſunt, ut etiam chriſtia„ nos a propriis Magiſtris velint appellare, quo nimirum hoc pa„ cto ipſi quoque videantur Chriſtiani appellari. Nam, urget, „ numquam populus a propriis Epiſcopis nomen accepit, ſed a Do„ mino, in quem & fidem habemus... Hi autem, qui ab aliis ha„ bent

(a) *Pag.* 376. *n.* 53. (b) *Cod.* 140.
(c) *Pag.* 405. *n.* 1. (d) *Pag.* 406. *n.* 2.

S. ATHANAS.

„ bent ſuæ fidei originem, congruenter illorum nomine notantur, „ utpote qui ad eoſdem pertineant. (*a*) Sane cum nos omnes a „ Chriſto Chriſtiani & eſſemus & nominaremur, ejectus eſt olim „ Marcion hæreſis auctor; atque ii quidem, qui cum illo perman- „ ſerunt, qui Marcionem expulit, Chriſtiani nomen retinuerunt; „ qui vero ſecuti ſunt Marcionem, Marcionitæ deinceps ſunt ap- „ pellati. Similiter Valentinus, Baſilides, Manichæus, & Simon „ Magus proprium nomen ſuis aſſeclis impertierunt .... Sic igitur „ etiam poſtquam beatæ memoriæ Alexander Arium ejecit, hi qui- „ dem, qui cum Alexandro perſtiterunt, Chriſtiani, ut antea, dicti „ ſunt; qui autem cum Ario receſſerunt, ... jam inde Ariani ſunt „ appellati .... Tametſi enim Magiſtrorum ſucceſſores habemus, „ quorum efficimur diſcipuli; tamen quia ea, quæ ſunt Chriſti, „ nos illi docent, Chriſtiani nihilominus & ſumus & dicimur. At „ qui ſequuntur hæreticos, innumerabiles licet ſucceſſores habue- „ rint, ejus ſemper nomine, qui hæreſis inventor fuerit, appella- „ buntur. Certe etiamſi mortuus ſit Arius, multique ex ſuis illi „ ſucceſſerint, tamen qui ejus propugnant opiniones, ex Ario A- „ riani vocantur. Et vero non leve hujuſce rei argumentum mihi „ eſſe videtur, quod qui e Gentilibus etiam nunc ad Eccleſiam ac- „ cedunt, dimiſſa Idolorum ſuperſtitione, non illorum, a quibus „ inſtruuntur, cognomen accipiunt, ſed Salvatoris; itaut qui Gen- „ tiles dicebantur, Chriſtiani incipiant vocari ". Notat, (*b*) *Arium maximam partem aliarum hæreſum eſſe furatum, & ſolius Sotadæ ſcurriles facetias*, ipſis Gentilibus odioſas, *æmulatum fuiſſe*. Enumerat deinde ejus hæreſes, & errores, cujuſmodi ſunt: (*c*) *Non ſemper fuit Filius .... Ipſum Dei Verbum ex nihilo factum eſt ... Duas eſſe Dei ſapientias*, aliam creatam, increatam alteram .... *Chriſtum non eſſe veram Dei virtutem, ſed unam earum, quæ virtutes ſolent dici, inter quas & locuſta & eruca, non virtus tantum, ſed magna virtus appellatur .... Verbum natura eſſe mutabile*, (*d*) *non eſſe verum Deum; perfecte & plene ſuum Patrem non poſſe intueri vel cognoſcere .... verum nec ſuam ipſe naturam notam habet*. Omnibus hiſce erroribus D. Athanaſius catholicas opponit veritates, & errores Arii perpendens eorum oſtendit falſitatem, & ab illo incipiens, quo aſſerebat, fuiſſe aliquando tempus, quo Verbum non erat. Illum refellit, 1. quia nihil ſimile de Filio dictum legitur in Scripturis, in quibus immo e contrario (*e*) *perſpicuum eſt, ſempiternum illud & æternum eſſe*, (*f*) *ac Dei virtutem, & Dei ſapientiam* dici. 2. Quod ſi Scripturæ de rebus, quæ nondum erant, ita loquuntur, ac ſi eſſent, ſemper tamen illas poſtea creatas dicunt; ſic de Jeremia dicit: (*g*) *Antequam*

(a) *Pag.* 407. *n.* 3. (b) *Pag.* 408. *n.* 4.
(c) *Pag.* 409. *n.* 5. (d) *Pag.* 410. *n.* 6.
(e) *Pag.* 415. *n.* 11. (f) 1. *Corinth.* 1. 24.
(g) *Jerem.* 1. 5.

S. ATHANAS.

tequam te formarem in utero, novi te; & de Abraham: (a) *Antequam Abraham fieret, ego ſum;* at cum de Filio agitur, verbo *fuiſſe* vocem addit (b) *ſemper*, quæ ejus æternitatem oſtendit. 3. Quia illis verbis (c) *fuiſſe aliquando tempus, quo Verbum non erat*, clare dicitur, *aliquando Deum fuiſſe ſine proprio Verbo, & Sapientia, lucem fuiſſe aliquando ſine ſplendore, fontem ſterilem & aridum eſſe*. 4. Dicere, Verbum non eſſe æternum, (d) *idem plane eſt, ac ſi diceretur, Deum rerum effectorem omnino non eſſe; quippe qui propriam ex ſe ipſo opificem Rationem ſeu Verbum non habeat, ſed adventitium, atque ab eo alienum, naturaque diſſimile ſit Verbum illud, in quo res creat*. 5. *Filius eſt imago Patris*, (e) *ſane in imagine eadem eſſe oportet, ut vere qui vident Filium, videant & Patrem; ergo ſi æternus eſt Pater*, æternus quoque ſit oportet & Filius, & ſi per Filium omnia facta ſunt, neceſſe eſt, ipſum non inter ea, quæ per ipſum facta ſunt, connumerari. 6. (f) *Si non fuit Filius antequam naſceretur, nec igitur ſemper fuit in Deo veritas, cum Filius de ſe dicat: Ego ſum veritas*.

Prima Arianorum objectio.

Objiciebant tamen Ariani: 1. „ (g) Si Filius factus & imago „ eſt Patris, ſi perfecte ſimilis eſt Patri, debet certe, quemadmodum genitus eſt, ſic & ipſe generare, fierique & ipſe filii Pater: qui item ex ipſo genitus fuerit, generare & ipſe debet, & „ ita deinceps infinite “. At reponebat D. Athanaſius, propagationem non niſi in creatis rebus locum habere; at in divinis ſicut *Pater non ex patre eſt, ita nec Filius alium habet* filium; cum ipſe ſit imago Patris, & conſtans *firmaque utriuſque conditio, hinc in divinitate Pater proprie Pater eſt, & Filius proprie Filius, atque in his ſolis conſtans firmaque eſt Patris & Filii conditio, ita ut Pater ſemper ſit Pater, & Filius ſemper Filius*. Deinde paucis verbis S. Præſul refellit, ſeu potius deridet (h) pueriles quaſdam ſubtilitates ex fallacibus vocibus compactas, quibus pueros fallebant, & captioſas quaſdam interrogantiunculas ad mulierculas decipiendas ab ipſis adinventas; at diutius immoratur, ut oſtendat (i), Dei Filium, humanam aſſumendo carnem, natura mutatum non eſſe, ſed ſemper Deo æqualem extitiſſe, unum cum Patre Deum; immutabilem Dei imaginem, & Veritatem, & ab immutabili principio genitam.

Secunda Arianorum objectio.

Verum reponebant Ariani: Verbum mutabilis eſſe naturæ oportere, cum de illo dicant Paulus & Pſalmiſta, (k) *Deum exaltaſſe illud, & donaſſe illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, (l) & *propter juſtitiam & manſuetudinem unxiſſe illud Deus oleo lætitiæ*

(a) *Joan.* 8. *v.* 58. (b) *Pſal.* 89. 1.
(c) *Pag.* 419. *n.* 14. (d) *Pag.* 421. *n.* 17.
(e) *Pag.* 425. *n.* 21. (f) *Pag.* 425. *n.* 20.
(g) *Ibid. n.* 21. (h) *Pag.* 427. *n.* 22.
(i) *Pag.* 439. *n.* 35. *& ſeq.*
(k) *Philip.* 2. 9. (l) *Pſ.* 44. 8.

titiæ præ conſortibus ſuis. Si ergo exaltatum eſt, gratiamque acce- „ pit, & unctum eſt, mercedem igitur recepit ſuæ voluntatis; „ quod ſi voluntate egit, ſane mutabilis eſt naturæ". At ſic illos refellebat S. Athanaſius. Ex Scripturis certum eſt, Verbum *gloriam apud Patrem habuiſſe*, *antequam Mundus fieret*, & ante ſuam Incarnationem Deum gloriæ fuiſſe, & Altiſſimum; ergo melior fieri nequibat per Incarnationem, nec nomen Filii, aut divinitatem acquirere tamquam mercedem virtutum ſuarum; dicitur tamen tunc exaltatus, unctus, nomine divino donatus, cum factus fuit homo, non vero quatenus erat Verbum Dei. Hoc in ſenſu explicat etiam Apoſtoli verba ad Hebræos, ſcribentis: (*a*) *Tanto præſtantior Angelis factus*, *quanto excellentius præ illis nomen hæreditate accepit*; & oſtendit, (*b*) *Apoſtoli dictum* tempus reſpicere, *quo nobis Deus in Filio locutus eſt*, *& peccatorum facta eſt purgatio*; proinde ea de Verbo Divino pronuntiata, quatenus Mediatoris officium ſuſcepit, & implevit in aſſumpta humana noſtra natura. Ubi obſervat etiam S. Athanaſius, Apoſtolum *nulla hic uſum comparatione* inter Angelos, & Filium Dei, *nec dixiſſe*, *majorem vel honoratiorem*, *ne quis illum ejuſdem ac illos eſſe generis ſuſpicaretur*, *ſed PRÆSTANTIOREM dixiſſe*, *ut naturæ Filii*, *& rerum creatarum differentiam demonſtraret*; illum enim *Filium appellat*, *Angelos vero ſervos*; *illum cum Patre ad dexteram*, *ut filium*, *ſedere*; *illos autem ſtare*, *mitti ac miniſtrare*. Addit præterea, Apoſtoli verba intelligi poſſe, Chriſti miniſterium longe Angelorum miniſterio excellentius; quippe quia *lex vetus ab Angelis promulgata* neminem reddebat perfectum, quæ Verbi adventu indigebat; at Lex nova, cujus Filius Legiſlator eſt, longe illa præſtantior eſt, (*c*) *ſiquidem præſtantius ſacrificium*, *quod per ipſum peragitur*, *præſtantior ſpes*, *quæ in eo collocatur*, *ac promiſſa*, *quæ nobis per illum ſunt facta*, *non ut magna cum parvis comparantur*, *ſed ut diverſa ab aliis natura*, *quam is qui iſta adminiſtravit*, *rebus factis eſt præſtantior*. S. ATHANAS.

In ſecunda Oratione explicationem proſequitur teſtimoniorum Sacræ Scripturæ, queis Ariani abutebantur, ut ſuum fulcirent errorem. Tria præcipua objiciebant; primum ex illis Apoſtoli verbis deſumptum, cum ait (*d*): *Conſiderate Apoſtolum*, *& Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum*, *qui fidelis eſt ei*, *qui fecit illum*; alterum ex Petri verbis in Actibus Apoſtolorum dicentis: (*e*) *Sciat omnis domus Iſrael*, *quia & Dominum & Chriſtum fecit hunc Jeſum*, *quem vos crucifixiſtis*; & tertium ex libro Proverbiorum deſumptum, ubi dicitur: (*f*) *Dominus creavit me initium viarum ſuarum in opera ſua*. Ad hæc reſpondet S. Præſul, in Scripturis „ (*g*) hæc & ſimilia dicta eamdem vim, & ſignificationem ha- „ bere, Secundæ Orationis analyſis.

S 3

(a) *Ad Hebr.* 1. 4. (b) *Pag.* 459. *n.* 55.
(c) *Pag.* 464. *n.* 60. *& ſeq.* (d) *Ad Heb.* 3. 1. 2.
(e) *Act. Apoſt.* 2. 36. (f) *Proverb.* 8. 22. (g) *Pag.* 469. *n.* 1.

S. ATHANAS.

,, bere, quæ & pietati eſt conſentanea, & Verbi Divinitatem oſten-
,, dit, itemque ea, quæ humano more illi attribuuntur, dicta eſſe,
,, quatenus ipſe filius quoque hominis factus eſt. " Deinde addit,
illa verba *qui fecit illum* (*a*) ,,non de illis dicta ab Apoſtolo, quæ
,, ante creationem erant, ſed de his dumtaxat, quæ Verbum car-
,, nem factum ſpectant;..., quando nimirum Verbum, qui erat
,, apud Deum, & Deus erat,... carnem, ut Aaron poderem, ac-
,, cepit e terra,.... ut quid ad offerendum, tamquam Pontifex,
,, habens, ſeipſum offerret Patri. (*b*) Eodem ſimiliter modo (ſub-
,, dit) intelligendus eſt locus Actorum, (*c*) *quia & Dominum*
,, *& Chriſtum fecit hunc Jeſum*; nec enim ſcriptum eſt: fecit ſibi
,, ipſi Filium, vel, fecit ſibi ipſi Verbum; nam (*d*) his Petri
,, verbis indicatur non quidem natura Verbi, ſed ipſum ſecundum
,, naturam humanam factum eſſe;... quemadmodum ex ſignis &
,, miraculis, quæ edidit Dominus, oſtenſus eſt non ſimplex homo,
,, ſed Deus eſſe in corpore, & Dominus, ac Chriſtus ". Præte-
rea dicit, eo etiam in ſenſu verba illa, *& Dominum*, *& Chriſtum*
fecit hunc Jeſum, intelligi poſſe, videlicet, Patrem voluiſſe, ut
ſuum Verbum caro fieret, ut qui omnium Dominus erat ſecundum
Divinitatem, in omnes etiam dominaretur ſecundum Humanitatem.
Verba autem Proverbiorum *Dominus creavit me*, *ſic interpretatur*:
(*e*) *Pater corpus mihi perfecit*, *& me ad homines pro hominum*
ſalute creavit, unde verbum *creavit* non de Divinitate uſurpatum,
ſed de Humanitate; & quæ ſequuntur: *initium viarum ſuarum in*
opera ſua, ſignificant, illum ,, (*f*) hominem factum ad ipſa opera
,, inſtauranda. Namque ea eſt conſuetudo Scripturæ divinæ, quæ
,, quoties de Verbi ortu ſecundum carnem loquitur, cauſſam ſub-
,, jungit, propter quam factus eſt homo; cum autem de ejus Di-
,, vinitate verba facit, omnia ſimplici dictione, abſolutaque ſenten-
,, tia, & nulla implicita cauſa proferuntur ". Verbum vero crea-
re non uſurpatur in Scripturis, cum de æterna Verbi generatione
ſermo habetur; unde ſubjitur in loco Proverbiorum laudato: *Ante*
colles gignit me, *ab æterno ordinata ſum*; & in Pſalmis dicitur,
Priuſquam formaretur terra & orbis a ſæculo & uſque in ſæculum
tu es Deus; & in Evangelio Joannis: *In principio erat Verbum*;
& denique concludit, Verbum ideo dici initium viarum Domini,
quia ipſe in omnibus primatum tenet, & per ipſum omnia ſunt
facta; ſicut dicitur (*g*) *primogenitus creaturæ*, *non veluti rerum*
creatarum æqualis, *aut iiſdem prius tempore*, *ſed ob ſingularem*
Verbi erga res creatas benignitatem;... (*h*) *& primogenitus mor-*
tuorum, *non quod primus noſtrum mortuus eſt*, *ſed quia morte pro*
nobis ſuſcepta, *& deſtructa primus*, *ut homo*, *revixit*, *cum ſuum*
cor-

(a) *Pag.* 475. *n.* 7. (b) *Pag.* 479. *n.* 11.
(c) *Actor.* 2. 36. (d) *Pag.* 480. *n.* 12.
(e) *Pag.* 515. *n.* 47. (f) *Pag.* 521. *n.* 53.
(g) *Pag.* 529. *n.* 62. (h) *Ibid. n.* 61.

corpus pro nobis ex mortuis excitavit. Fuſe vero evincit, Verbum dici non poſſe a Deo creatum; cum omnia per ipſum creata ſunt, quia quæcumque habet Pater, ſua ſunt, quia & ipſi Angeli ipſum adorant, ac in ejus nomine Baptiſma donatur. S. ATHANAS.

Analyſis tertiæ Orationis.

In hac tertia Oratione tres diſtinguere poſſumus partes. In priore de unitate naturæ Patris & Filii diſputat; in altera nonnulla explanat Scripturæ teſtimonia Chriſti humanitatem reſpicientia, & quibus abutebantur Ariani ad ejus impugnandam Divinitatem; in tertia vero nonnullas ſolvit objectiones. Primo itaque oſtendit, Patrem in Filio eſſe, & Filium in Patre, *non veluti duo vaſa vacua, quæ ſe invicem impleant,...* (*a*) nec *eodem modo, quo eſt in Sanctis, ut eos corroboret*, nec *ut eſt in nobis, qui in ipſo vivimus, movemur, & ſumus;* quemadmodum docebant Ariani; ſed quia eſt ejuſdem omnino naturæ, ejuſdem eſſentiæ. Cum itaque una ſit Divinitas Patris & Filii, neceſſario conſequitur, & Patrem in Filio, & Filium eſſe in Patre. Nec tamen putandum, quia Filius eſt unus cum Patre Deus, ipſum in ſe Deum non eſſe; nam licet Pater ſit Pater, non Filius, & Filius Filius ſit, non Pater, cum tamen unum & idem ſint in natura & Divinitate; *idcirco eadem de Filio, quæ de Patre dicuntur, Patris excepto nomine*. Hanc idiomatum communicationem in eo ſtatuit D. Athanaſius, quia Filius eſt vere a Patre genitus, ejuſque ſubſtantialis Imago.

At objiciebant Ariani, in Scripturis, & præſertim in Exodo, ſolum Patrem Deum appellari; reponebat S. Præſul, *ea ſcripta* (*b*) *eſſe non propter Filium, ſed ad falſorum Deorum, qui ab hominibus facti ſunt, everſionem;* quod oſtendit verbis ipſius Chriſti Domini, qui non a ſe Divinitatem ablegavit, ſed eam de ſe ipſo aperte prædicavit, cum dixit: (*c*) *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum;* & Apoſtolus Joannes ſcribebat: (*d*) *Et ſimus in vero Filio ejus Jeſu Chriſto, ipſe eſt verus Deus & vita æterna*. Iterum probat, Patrem & Filium unum eſſe non ſola concordia voluntatis, ſed natura & ſubſtantia, (*e*) *quia Filius eſt Patri ſimilis, & ex ipſo Patre genitus;.... idcirco cum agit Filius, Pater ſimiliter agit, & cum Filius ad Sanctos accedit, Pater quoque ad illos in Filio accedit... cum Pater dat gratiam & pacem, eamdem pariter dat Filius;... una enim, eademque eſt gratia, quæ a Patre in Filio datur, quemadmodum una eſt lux ſolis & ſplendoris, & ſol nonniſi per ſuam lucem illuminat;* quæ unio cum in creatis rebus locum nequeat habere, unitatem naturæ in Patre & Filio luculenter evincit. Obiter autem notat acute S. Doctor, (*f*) *Gentilium accuſationem, qui, quoniam Trinitatem colimus, multos a nobis Deos agnoſci dicunt & arbitrantur*, locum habere adverſus Arianos, *qui inepte* con-

(a) *Pag.* 551. *n.* 1. (b) *Pag.* 557. *n.* 7.
(c) *Joan.* 17. 3. (d) 1. *Joan.* 5. 20.
(e) *Pag.* 560. *n.* 11. (f) *Pag.* 564. *n.* 15.

S. ATHANAS.

contendunt, Filium externum creatumque eſſe,... quem vel Deum eſſe negent oportet, vel ſi Deum eſſe, inficiari non audent,... planum eſt, multos Deos propter diverſam illorum naturam ab illis induci. Explicat deinde aliud Scripturæ teſtimonium, quo utebantur Ariani, ut evincerent, inter Patrem & Filium non aliam reperiri unitatem, quam voluntatis & conſenſus, nimirum illud: (*a*) *Pater Sancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut unum ſint, ſicut & nos*, & oſtendit, Chriſtum a Patre non efflagitare, „ (*b*) ut ſui ſimiles in natura efficeremur, ſed ut quemadmodum ille, tamquam Verbum, eſt in proprio Patre, ita & nos, ſecundum aliquam ſimilitudinem, in ipſumque intuentes, unum inter nos animorum conſenſu & concordia efficiamur,.... & una inter nos charitate copulemur; qua in re Filii & Patris unitas nobis eſt exemplar “. Quam explicationem confirmat aliis Scripturæ teſtimoniis; ut cum dicitur: (*c*) *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, quæ dicta ſunt „ (*d*) non ut nos tales efficeremur, qualis eſt Pater; nam id fieri nequit, cum & creati, & ex nihilo facti ſimus;... ſed ut ad ejus beneficia attendentes,.... ſicut Deus, miſericordes efficiamur,.... ut ea, quæ Deus gratis nobis tribuit, aliis abſque delectu impertiamur, & in omnes prorſus beneficentiam exerceamus “.

Nonnulla alia Arianorum objecta ſoluta.

At objiciebant Ariani: ſi Jeſus Chriſtus eſſet natura Filius Dei, vel in ſubſtantia Patri per omnia ſimilis, dicere nequiviſſet: (*e*) *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*; & rurſum: (*f*) *Pater neminem judicat, ſed omne judicium dedit Filio*; (*g*) & *Nunc anima mea turbata eſt*. Quid dicam: *Pater ſerva me ex hac hora*; &: (*h*) *Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me?* &: (*i*) *De die & hora illa nemo novit, neque Angeli, neque Filius*. Quæ objecta ſoluturus S. Præſul ſimul cum aliis ab Arianis productis, obſervandum præmittit, „ (*k*) ſcopum & characterem Sanctæ Scripturæ eſſe, ut duo de Salvatore demonſtret, illum ſcilicet Deum ſemper fuiſſe, & Filium eſſe... ipſumque poſtea propter nos, carne ex Virgine Deipara Maria aſſumpta, hominem factum eſſe “. Quo poſito oſtendit, quæ in laudatis locis habentur, Chriſto convenire, quatenus homo eſt. Obſervat tamen, utriuſque naturæ divinæ & humanæ proprietates in Chriſto prædicari tamquam de uno & eodem, quia ambæ in una coadunantur Perſona, ideoque eadem eſt Perſona, quæ & miracula patrat, & tormenta ſubit, in duplici tamen diverſa natura; miracula enim operatur ut Deus, patitur ut homo.

Illud tamen ſaltem fatendum (urgebant Ariani,) (*l*) *Filium a Pa-*

(a) *Joan.* 17. *v.* 11. (b) *Pag.* 569. *& ſeq. n.* 20.
(c) *Matth.* 5. *v.* 48. (d) *Pag.* 568. *& ſeq. n.* 19.
(e) *Matth.* 28. 18. (f) *Joan.* 5. 22.
(g) *Joan.* 12. 27. (h) *Matth.* 27. 46.
(i) *Marci* 13. 32. (k) *Pag.* 579. *n.* 29.
(l) *Pag.* 607. *& ſeq. n.* 59.

Patre voluntate & arbitrio factum eſſe; ſed ſic illis reſpondebat S. Athanaſius: „ Nobis velim patefaciant, unde allata tandem voluntatis & arbitrii eruerint vocabula, vel quonam ex Scripturæ „ loco ea exprompſerint ... (*a*) didicimus, ſolis rebus factis voluntatem & arbitrium antecedere, quippe cum illæ naturæ aliquando non eſſent ... (*b*) cum autem Verbum ſuum ex ſe ipſo naturâ gignit, præviam nullam adhibet deliberationem ... (*c*) nam „ deliberationi antecellit & præit id, quod ex natura eſt, ... & „ fatendum eſt, natura non voluntate Patrem Filii eſſe. (*d*) Num „ ergo quia ex natura, non autem ex voluntate ſit Filius, præter „ voluntatem Patris, & nolente Patre eſt Filius? Minime vero, „ ſed potius Pater vult Filium.... Ut enim non ex voluntate „ bonus eſſe cœpit, nec tamen contra mentem & ſententiam eſt „ bonus; namque hoc ipſe vult, quod eſt: ita licet Filius ex voluntate eſſe non inceperit, non tamen præter voluntatem & mentem „ Patris eſt. (*e*) Quî enim fieri poteſt, ut Verbum, quod conſilium „ & voluntas Patris eſt, ipſum quoque voluntate & arbitrio ſit productum? (*f*) & ſicut homines ea quæ gignunt non voluntatis ſunt,... „ nec prius deliberando patres fiunt, ſed gignere eſt proprium naturæ; ita & Filius Dei non voluntate, ſed ex natura Patris genitus eſt ".

S. ATHANAS.

In quarta Oratione probat D. Athanaſius, non eſſe niſi unum Deum: „ (*g*) Quia ex Deo Deus eſt, & Dei Verbum, Sapientia, Filius & Virtus eſt Chriſtus, idcirco unus Deus in divinis „ Scripturis annuntiatur; .... unitas ſiquidem divinitatis individua, ... nulloque modo ſeparabilis, ac proinde dicendum eſt, „ unum eſſe Divinitatis principium, ... unde proprie & monarchia „ eſt ". Verum oſtendit etiam, Patrem & Filium duas eſſe Perſonas; quod hoc modo evincit, & probat. Vel Chriſtus Dei Verbum *ex ſe ipſo exiſtit*, *aut extrinſecus factus eſt*, aut eſt a Patre genitus; „ (*h*) ſi primum, ideſt ſi ex ſeipſo exiſtit, & eſt Deus; „ duo igitur erunt principia, nec ille Patris proprius erit; & merito quidem, utpote qui non ipſius Patris, ſed ſui ipſius ſit. Quod „ ſi extrinſecus factus eſt, res creata certe erit. Reſtat itaque, ut „ eum ex ipſo Deo eſſe dicamus. Quod ſi verum eſt, aliud ſane „ fuerit id, quod eſt ex aliquo, & aliud id, ex quo eſt; ac proinde „ fatendum eſt, eſſe duo; " idem enim *ſui cauſſa & effectus eſſe* non poteſt, nec *idem quod gignitur & gignit*. Poſtquam vero Perſonarum diſtinctionem adverſus Sabellium oſtendit ex notione Filii, evincit adverſus Arianos ex Patris notione, Filium eſſe æternum; quia Deus numquam ſine Verbo, & ſapientia ſua fuit; alioquin non ſemper ſapiens fuiſſet; non fuit ergo tempus, quo Verbum non exiſte-

Quartæ Orationis analyſis.

(a) *Pag.* 609. *n.* 60. (b) *Ibid. n.* 61.
(c) *Pag.* 611. *n.* 62. (d) *Pag.* 615. *n.* 66.
(e) *Pag.* 613. *n.* 64. (f) *Pag.* 616. *n.* 67.
(g) *Pag.* 617. *n.* 1. (h) *Pag.* 619. *n.* 3.

S. ATHANAS.

exiſteret. Reponebant Ariani, „ (*a*) Deum ſapientem quidem eſ- „ ſe, nec ſine Verbo & ratione, ſed propriam in ſeipſo habere „ ſapientiam, propriumque Verbum, non autem Chriſtum, ſed in „ quo etiam ipſum Chriſtum fecerit;.... mentitus ergo (reſpondit „ S. Athanaſius) Chriſtus, cum ait; *Ego in Patre*, quandoquidem „ alius eſt in Patre. Falſum item ex illorum ſententia erit, quod „ dicitur, *Verbum caro factum eſt* “.

Objecta ſolvit.

Refellit deinde Euſebianos aſſerentes, „ (*b*) merum nomen Filii „ eſſe, Filium autem Dei, ideſt Verbum Patris, eſſentia & ſub- „ ſtantia vacuum eſſe “; nam contrarium aperte teſtatur Chriſtus, cum dicit: *Ego & Pater unum ſumus;* quæ verba palam oſtendunt, Patrem & Filium & duo eſſe, & unum, (*c*) *unum vero ſecundum divinitatem, & quatenus Filius eſt Patri conſubſtantialis.... & duo, quia Pater eſt, & Filius, quod eſt Verbum.... Nam niſi ita ſit, dicendum certe illi erat: Ego ſum Pater, vel, Ego & Pater ſum. Nunc iſta voce, Ego, Filium ſignificat; Genitorem autem, cum ſubdit, & Pater: Et denique dictione unum unam divinitatem, ſuamque deſignat conſubſtantialitatem*. In his hujus quartæ Orationis, quæ ſequuntur, eo tendit S. Præſul, ut alios circa Trinitatem errores detegat & refellat. „ (*d*) Quidam „ enim docebant, Filium ante creatum Mundum tacite in Patre „ extitiſſe, emiſſumque, ut Mundus crearetur, quo creato, in Pa- „ trem rediiſſe “. Alii putabant, (*e*) unitatem, quæ prius in Deo erat, poſtea in Trinitatem dilatatam, & exinde efformatum ternarium Perſonarum numerum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Nonnulli Filium a Verbo diſtinguebant arbitrantes, primo fuiſſe Verbum, deinde in Incarnatione Filium: quidam de temporali Chriſti in carne nativitate illa verba: *Ante luciferum genui te*, interpretabantur. Nonnulli denique Verbum a Filio omnino disjungebant, & Filium dicebant eſſe Chriſtum, eo innixi teſtimonio S. Petri: (*f*) *Verbum miſit Deus filiis Iſrael annuntians pacem per Jeſum Chriſtum. Hic eſt omnium Dominus*. Hos omnes errores, inaneſque ſubtilitates refellit S. Athanaſius pluribus argumentis oſtendens, dici non poſſe, Verbum ſilens fuiſſe in Patre, & veluti otioſum ante creationem; nam (*g*) *ſi perfectum erat in Patre, ita ut etiam potuerit agere* ante Mundi creationem, *fruſtra genitum fuiſſet. Siquidem creare poterat, cum adhuc in Patre eſſet*. Similiter falſum eſſe, Unitatem eſſe in Trinitate dilatatam; *nam* (*h*) *Unitas aliquam paſſa eſſet affectionem, factaque id, quod non erat. Siquidem dilatata fuiſſet, quæ lata non erat,.... quod nemo dixerit, niſi qui corpus Deo falſo affingat, eumque paſſibilem naturam habere arbitretur*. Si vero Verbum a Filio differret, profecto hoc

(a) *Pag. 620. n. 4.* (b) *Pag. 623. n. 8.*
(c) *Ibid. n. 9.* (d) *Pag. 624. n. 11.*
(e) *Pag. 626. n. 13.* (f) *Actor. 10. v. 36.*
(g) *Pag. 624. n. 11.* (h) *Pag. 626. n. 13.*

hoc inferius & minus eſſet, cum de Filio ſit dictum: *Nemo novit Patrem, niſi Filius*, illum proinde Verbum non noſſet. Quod ſi Filius Dei factus fuiſſet ſolum poſt Incarnationem; ſolum igitur ex Incarnatione Filius foret, & ſolum tunc noviſſet Patrem, quoniam Filius eſt, non Verbum, de quo dictum fuit: *Nemo novit Patrem, niſi Filius*, cum tamen ex oppoſito ex pluribus antiqui fœderis teſtimoniis manifeſtum ſit, Filium Moyſi apparuiſſe aliiſque Patriarchis, iiſque Patrem indicaſſe. Denique ſi verba Pſalmi: *Ante Luciferum genui te*, de temporali ex Maria nativitate ſumantur, nihil admiratione dignum occurreret, ubi tamen veluti ſingularis & inſignis alicujus rei fit mentio, cum plures alii ex eorum Matribus ante ſideris ortum geniti fuerint. Nullum tandem dubitandi locum, quin Verbum & Filius non ſint unum, & idem; quoniam ſcriptum eſt: (*a*) *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia*. Et (*b*) *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. S. ATHANAS.

Latebat adhuc in Eremo S. Athanaſius, ut Arianorum rabiem effugeret eum undique conquirentium ad interneccionem, quando quatuor haſce epiſtolas ſuo nomine inſcriptas dedit ad Serapionem Thmuitanum Epiſcopum. Compererat hic Præſul, novam in Eccleſia exortam eſſe hæreſim, cujus ſectatores & Magiſtri, licet faterentur Filium eſſe Patri conſubſtantialem, attamen Sancti Spiritus divinitatem inficiabantur, quem rem creatam eſſe dicebant, & unum ex adminiſtris Spiritibus, ſoloque gradu, non natura ab Angelis differre. De hac nova peſte certiorem fecit S. Athanaſium, præcipuaque illi ſcripſit argumenta, queis hæreſim ſuam fulciebant, atque ut eis reſpondeat, hortatur & rogat. Acerbo perculſus dolore fuit S. Athanaſius, hoc audito nuntio, & licet tot inter verſaretur anguſtias, Serapioni tamen quatuor hiſce epiſtolis reſpondere & ſatisfacere non omiſit. Epiſtolæ ad Serap. ſcriptæ poſt annum 358. & circa annum 360.

Prima itaque epiſtola „ (*c*) mirum ſibi videri (ſcribit) quod „ qui Filium Dei rem creatam eſſe nolunt (qua quidem in re recte ſentiunt) Spiritum Filii rem creatam eſſe vel etiam audire „ patiantur,.... qui habet eamdem cum Filio unitatem, quam „ Filius cum Patre". Explicat deinde omnia Scripturæ teſtimonia, queis abutebantur, ut oſtenderent, Spiritum Sanctum eſſe inter creaturas annumerandum, & longa enumeratione oſtendit varias ſignificationes, quibus in Scripturis Spiritus nomen uſurpatur. Dein obſervat, nomen Spiritus ſimpliciter in Scripturis prolatum, vel ſine articulo, vel ſine aliquo addito rem creatam ſignificare; „ (*d*) „ at in nullo Scripturæ loco Spiritum Sanctum ſimpliciter Spiritum „ dici ſine addita voce vel Dei, vel Patris, vel mei, vel ipſius „ Chriſti & Filii, vel a me, quod eſt a Deo, vel niſi cum articulo, ita ut non Spiritus ſolum dicatur, ſed vel ille Spiritus, „ vel Spiritus Sanctus, vel Paraclitus, vel veritatis, ideſt Filii". Pro- Analyſis 1. epiſt. ad Serap.

(a) 1. *ad Corinth.* 1. 24. (b) *Joannis* 1. 14.
(c) *Tom.* 2. *p.* 649. *n.* 2. (d) *Pag.* 650. *n.* 4.

S. ATHANAS. Probat vero eſſe Deum, quia & in Scripturis dicitur Deus, & illa ei tribuuntur ſive munia, ſive prærogativæ, quæ ſoli Deo queunt convenire.

Objecta ſolvit. „ (*a*) Verum hæc ita ſint, (inquiebant Novatores); ſed ſi „ Spiritus res creata non eſt, neque unus ex Angelis, ſed ex Pa- „ tre procedit; igitur Filius quoque ipſe dicendus eſt; proinde duo „ ſunt fratres; ipſe ſcilicet, & Verbum. Quod ſi frater eſt, quî „ fieri poteſt, ut Unigenitum ſit Verbum, vel ut æquales non ſint, „ ſed hic poſt Patrem, ille poſt Filium nominetur? Si item ex „ Patre eſt, cur non & ipſe genitus, aut filius eſt, ſed ſimpliciter „ Spiritus Sanctus dicitur“? At S. Athanaſius, ut oſtendat ſuarum interrogationum dementiam, quibus humanæ generationis ſeriem & modum & in divinitate ineptiſſime fingebant, ſic illos ex oppoſito interrogando aggreditur. „ Reſpondeant igitur, utrum „ Pater ex Patre ſit, & num alius cum illo genitus fuerit, ſintque „ ex uno fratres.... Quis item eorum Pater & Avus, qui Proavi?... (*b*) In humanis quidem Pater aliquis dicitur, qui alte- „ rius filius fuit, & ſimiliter filius dicitur, qui idem alterius eſt „ Pater. Unde non proprie in hominibus Patris & Filii nomen „ ſervatur.... Nam ſibi invicem ſunt partes, & quiſquis gigni- „ tur, Patris partem habet, ut & ipſe alterius fiat Pater. At „ non ita res ſe habet in Divinitate. Nec enim hominum ſimilis „ eſt Deus, nec diviſam habet naturam. Quapropter nec ſui divi- „ ſione Filium generat, ut & ipſe alterius Pater fiat, cum neque „ ipſe ſit ex Patre; neque Filius pars ſit Patris. Itaque Filius „ non generat, ut ipſe genitus eſt, ſed totus eſt totius imago & „ ſplendor, atque in ſola Divinitate Pater proprie eſt Pater, & „ Filius proprie eſt Filius, qui Pater ſemper fuit Pater, & Filius „ pariter ſemper fuit Filius,... & ut numquam Pater deſinet eſſe „ ſolus Pater, ita Filius numquam deſinet eſſe ſolus Filius. Nemo „ igitur niſi mente captus dixerit, vel cogitaverit, fratrem eſſe „ Filio, & nomen Avi Patri convenire. Hinc enim nuſquam in „ Scripturis Sanctis Spiritus Filius dictus eſt, ne frater eſſe exiſti- „ maretur: uti nec Filius Filii, ne Pater Avus crederetur. Sed „ Filius Patris eſt Filius, & Spiritus Patris Spiritus dictus eſt, „ atque ita una Trinitatis Divinitas & fides eſt. (*c*) Res crea- „ ta Trinitati non adjungitur, nam tota unus Deus eſt.... Hæc „ fidelibus ſatis debent eſſe: hucuſque humana cognitio pervenire „ poteſt, hic Cherubim alis faciem velant“.

Probat Spiritus Sancti Divinitatem a pag. 670. uſque ad 680. Spiritus Sancti Divinitatem his argumentis evincit S. Præſul. 1. Quia nihil habet cum rebus creatis commune. 2. Quia Deus aperte in Scripturis vocatur. 3. Quia non eſt ex nihilo, ut creaturæ. 4. Quia eſt Spiritus ſanctificans, vivificans, creator, immutabilis, immenſus, Filii imago, totum replens orbem

(a) *Pag.* 663. *n.* 15. (b) *Pag.* 664. *n.* 16.
(c) *Pag.* 665. *n.* 17.

bem terrarum. 5. Quia in ejus nomine, æque ac Patris & Filii, Baptiſma confertur. 6. Quia ſicut gratia nobis a Patre per Filium conceditur, ita ſupernaturalia dona per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris diffunduntur. 7. Per ipſum Prophetas futura vaticinatos eſſe. Quibus omnibus argumentis pondus perpetuæ traditionis in Eccleſia vigentis de Spiritus Sancti divinitate ſuperaddit, dicens: „ (*a*) Sanctorum doctrina ad „ ſanctam, & individuam Trinitatem adſtruendam conſpirat, ea- „ que. una eſt Catholicæ Eccleſiæ fides. (*b*) Porro Trinitas non „ nomine tenus, & ſola verborum ſpecie eſt Trinitas, ſed ve- „ re & reipſa exiſtit Trinitas, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus „ Sanctus, unde dictum eſt: (*c*) *Euntes docete omnes gentes, ba-* „ *ptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* “. Quod ſi Spiritus Sanctus creatura eſt, non amplius *Trinitas in Deo, ſed dualitas*, aut Trinitas monſtrum erit, & Chriſtiani cum Deo creaturam conſociabunt, & venerabuntur. Oſtendit deinde, quæ a Tropicis dicebantur (ſic enim hos Novatores appellat, quippe qui per tropos, & figuras ea, quæ de Spiritu Sancto enunciantur in Scripturis, explicabant) adverſus Spiritus Sancti divinitatem, & ab Arianis proferri contra divinitatem Filii. Tandem in calce epiſtolæ Serapionem obſecratur, ut ſi quæ ſunt ab ipſo productæ ratiocinationes (*d*), *infirmæ* videantur, & *humiles*, *alia quidem emendet*, *alia vero condonet*. Obteſtatur tamen, *nihil ab ipſo traditum*, *niſi ſecundum Apoſtolicam fidem*, *prout ſibi a Patribus tradita eſt*, *nihil externum commentus*, *ſed quod didicit*, *juxta mentem Sanctarum Scripturarum in ſuis litteris exaraſſe*.

S. Athanas.

Analyſis aliarum ad Serapionem epiſtolarum.

In ſecunda epiſtola ad Serapionem D. Athanaſius illos refellit, qui inter res creatas Verbum enumerabant. Quæ profert argumenta, eadem prorſus ſunt, ac illa, quæ in ſuis adverſus Arianos Orationibus protulerat, & quæ ſuperius attigimus. Tertia vero breviarium eſt prioris, immo videtur haſce duas epiſtolas nonniſi unam fuiſſe, quam in duas poſtea Exſcriptores diviſerint, quoniam, quæ tertia dicitur, eadem eſt, ac ſecunda; in initio enim hujus ſecundæ Serapioni pollicetur Athanaſius, ſe primæ epiſtolæ compendium ad illum miſſurum; videtur proinde hæc tertia epiſtola partem conſtituere ſecundæ. (*e*) Oſtendit itaque, & probat, omnia, quæ in Scripturis de Filio Dei dicuntur, & de Spiritu Sancto enunciari; & argumenta, quæ Filii adſtruunt divinitatem, eadem & divinam Spiritus Sancti naturam evincere. (*f*) In quarta demum epiſtola probat, Spiritum Sanctum non eſſe appellandum Filium, & de Deo ea ſolum eſſe enuncianda, quæ ipſe dignatus eſt revelare; & inſanum eſſe, inſcrutabilia de Trinitate ſcrutari, nec

(a) *Pag. 681. n. 32.* (b) *Pag. 677. n. 28.*
(c) *Matth. 28. 19.* (d) *Pag. 682. n. 33.*
(e) *Pag. 691. n. 1. & ſeq.*
(f) *Pag. 696. n. 1. & ſeq.*

S. ATHANAS. nec de Divinis pari modo ratiocinandum, ac de humanis. (*a*) Refellit vero inanes oppugnantium Spiritus Sancti divinitatem ſubtilitates, & argutiolas, ea ferme methodo, prout in prima. Quia vero Serapion ipſum rogaverat, ut quomodo explicaret, & intelligeret illud Evangelii dictum: (*b*) *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro;* exponere dignaretur, primo reſpondet, „ (*c*) Origenem, & Theo„ gnoſtum putaſſe, illam eſſe in Spiritum Sanctum blaſphemiam, „ cum ii, quibus in Baptiſmate donum Spiritus Sancti tributum „ eſt, ad peccata recidunt". Quam explicationem ut minus aptam rejicit dicens, Chriſtum iis verbis (*d*) *Phariſæos increpaſſe, qui minime Baptiſmum ſuſceperant; proinde hoc dictum ad eos non ſpectare, qui poſt lavacrum prævaricantur.* Addit, quod ſi vera foret hæc illorum interpretatio, non fuiſſet *culpandus Novatus pænitentiam tollens, & docens, nullam supereſſe iis veniam, qui poſt lavacrum peccaverint;* ac oſtendit, Paulum, dum dicit: (*e*) *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam,* non excludere pœnitentiam poſt Baptiſmum, ſed novum Baptiſma: Et, quando Chriſtus dixit, blaſphemiam in Filium eſſe remiſſibilem, in Spiritum vero Sanctum irremiſſibilem, minime ſignificare voluiſſe, (*f*) *ſe eſſe Spiritu Sancto minorem; ſed ut declararet, ſe, cum Dei Verbum eſſet, per Spiritum omnia operari, auditoreſque doceret, cum Spiritus opera Beelzebubi adſcriberent, in ſe operantem Spiritum blaſphemare;* proinde utramque blaſphemiam ad eum pertingere. Cum enim ipſe & Deus, & homo eſſet, in utrumque blaſphemabant; in hominem, cum dicebant: (*g*) *Unde huic Sapientia iſthæc,* (*h*) & *quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* (*i*) & *homo cum ſis, facis te ipſum Deum;* in Deum vero, quando ejus Divinitatem inficiabantur, ejus opera omnino divina Beelzebubi tribuentes, & hoc ſecundum, dicit S. Athanaſius, proprie eſſe peccatum in Spiritum Sanctum. quoniam juxta ejus mentem: „ (*k*) qui Dominum videt de ſe differentem, „ ſi tantum corporalia ejus ſpectet, & non credens dicat: (*l*) *Un-„ de huic iſta ſapientia?* peccare quidem, & tamquam in Filium „ hominis blaſphemare: qui vero ejus opera videat in Spiritu San„ cto facta, dicatque, eum, qui talia edidit, nec Deum eſſe, nec „ Dei Filium, ſed ea Beelzebubi adſcribat, manifeſte blaſphemare „ negando ejus divinitatem "; priorem itaque blaſphemiam non adeo

(a) *Pag.* 702. 703. *n.* 8. *& ſeq.*
(b) *Matth.* 12. 32. (c) *Pag.* 702. *n.* 9.
(d) *Pag.* 704. *n.* 12. (e) *Ad Hebr.* 6. 4.
(f) *Pag.* 711. *n.* 20. (g) *Matth.* 13. 54.
(h) *Joan.* 8. 57. (i) *Joan.* 10. 33.
(k) *Pag.* 711. *n.* 20. (l) *Matth.* 13. 54.

adeo eſſe execrabilem; at poſteriorem tantam eſſe, ut merito nunquam ſibi remittendam pertimeſcere deberent.

Tractatus de Synodis anno 359.

Cum D. Athanaſius omnia bene comperiſſet, quæ geſta fuerunt in Conciliis Ariminenſi, & Seleuciano, ſive quia ipſis interfuerit, vel ſaltem in iis locis verſatus ſit, ut ipſemet innuere videtur, ſive ea ab oculatis, & omni fide dignis teſtibus acceperit; operæ pretium putavit, ea omnia amicis ſuis enarrare hoc ſuo Tractatu in epiſtolæ modum conſcripto. Sunt, qui arbitrantur, ad ſolitarios miſſam hanc epiſtolam, quam illis ſcripſiſſe dicit, quia *fortaſſis* plura audierint enarrari de Synodis, quæ tunc in omnium ore verſabantur; unde colligi poteſt, *fortaſſis* etiam non audiviſſe; at cum agatur de Synodis cæterum celebratiſſimis, nonniſi Monachis in ſolitudine degentibus convenire poſſe videtur. Qua vero fuerit cauſa ad hanc epiſtolam perſcribendam permotus, haud obſcure indicat Athanaſius ipſo Operis exordio, ubi ait, ſe ea ſcripta exaraſſe, tum ut amicorum deſiderium, diſcendique ſtudium impleret, tum ut ne illi, multis varie Synodi geſta narrantibus, animo penderent. Addi poteſt, ad ſcribendum impulſum, ne horum Conciliorum hiſtoria ab aliis fortaſſis minus recta fide conſcriberetur. Non uno in loco notat, ſe iſta ſcripſiſſe, dum eæ Synodi celebrabantur: ait enim: „ (*a*) Si qui illa ſcripſere, non vulgares homines, ſed ex toto or„be coacti ſunt, ſi qui jam Ariminum convenere Epiſcopi plus „quadringenti, ea teſtimonio ſuo comprobant“. Credendum eſt itaque, exaratum hunc Tractatum ab Athanaſio circa finem anni 359. ſtatim poſt Concilium Seleucianum, & priuſquam certior fieret de dolis, & fraudibus ab Arianis adhibitis Nicææ in Thracia die decima Octobris ejuſdem anni, ut ad ſubſcribendum formulæ fidei omnino ſimili poſtremæ Sirmienſi Legatos Ariminenſes inducerent.

Analyſis hujus Tractatus.

In tres partes hic de Synodis Tractatus dividi poteſt. In prima agit de Synodis Ariminenſi, & Seleuciana, quas coactas dicit, efflagitantibus Arianis (*b*) *ſub ementita aſſerendæ fidei ſpecie, ſed revera ut Nicænam poſſent Synodum obruere*, poſtquam nihil amplius de fide quærendum ſupererat. Abſurditatem patefacit, & irridet formulæ, „ (*c*) quam ſcripſerant Urſacius, & Valens cum „Sociis, cui Conſulatus initium poſuerant menſem, itemque illius „anni diem, ut prudentibus omnibus palam facerent, non antea, „ſed tunc demum ſub Conſtantio eorum cœpiſſe fidem .... atque „utinam de ſua tantum fide ſcriberent, nunc enim vere incipit il„la, nec quaſi de Catholica loqui auſi fuiſſent. Non enim ſcripſe„re: Ita credimus; ſed (*d*) *Edita eſt fides Catholica* .... Quod „ſi ex illorum ſententia a præſenti Conſulatu fides habet initium, „quid acturi Patres ſunt, & beati Martyres? immo quid illi ipſi „facient erga eos, qui a ſe in Chriſtiana Religione inſtituti, an-

„te hunc

(a) *Pag. 749. n. 33.* (b) *Pag. 716. n. 1.*
(c) *Pag. 717. & ſeq. n. 3.* (d) *Pag. 719. n. 4.*

S.Athanas.

„ te hunc Conſulatum obdormierunt? “ .... Addit (*a*): Nicæni „ Patres .... non Conſulatum, vel menſem, vel diem propoſuere, „ ſed de Paſchate quidem ita ſcripſere: *Decreta ſunt*, *quæ ſequun-* „ *tur*; tunc enim decretum eſt, ut omnes morem gererent. De „ fide vero nequaquam dixere: *Decretum eſt*, ſed: *Sic credit Ca-* „ *tholica Eccleſia* “. Integram dein refert fidei formulam Sirmii per Valentem, Urſacium, Germinium, alioſque Sectarios conſcriptam anno 359. die 22. Martii: hanc epiſtola ſequitur ab Epiſcopis Ariminenſibus ſcripta, & per Deputatos ad Conſtantium miſſa, qua illum certiorem reddebant de Actis in Concilio, & de ſententia depoſitionis in Urſacium, Valentem, alioſque Arianos prolata. Progreditur poſtea ad Seleucianum Concilium, cujus ſummatim narrat hiſtoriam, & huic primæ parti finem imponit acri invectiva adverſus Eudoxum, & Acacium, qui de Sancta Nicæna Synodo obloqui non ceſſabant.

Concilia, & formulæ fidei Arianorum.

In ſecunda vero parte, ut perpetuas Arianorum mutationes, & viciſſitudines oſtendat; quid diverſis temporibus dixerint, & docuerint, exponit. Exordium ſumit ab Arii blaſphemiis in ſua Thalia prolatis, & a ſuis ſectatoribus confirmatis in epiſtola Alexandro Epiſcopo Alexandrino oblata, accumulat etiam plura excerpta ex epiſtolis Euſebii Nicomedienſis, Narciſſi, Patrophili, aliorumque Arii Sectatorum, & ex ſcriptis Aſterii Sophiſtæ. Deinde ad eorum Concilia, ac varias fidei formulas ab eis conſcriptas (1) a Concilio Hieroſolymitano anni 335. quod primum numerat, cum in Tyrienſi de fide non egerint, uſque ad Seleucianum anni 359. progrediens, omnia & ſingula recitat fidei ſymbola ab Arianis compacta, tria ſcilicet in Concilio Antiocheno, occaſione Baſilicæ aureæ dedicandæ, exarata anno 341; quartum, quod Auguſto Conſtanti per Narciſſum in Gallias legatum miſſum obtulere. Poſtea quintam conſcripſere Fidei Profeſſionem cæteris omnibus prolixiorem. Sexta numero in ſecunda Sirmienſi adverſus Photinum Synodo edita fuit anno 351. Huic ſeptimam ſubjicit Athanaſius Sirmii item editam anno 357. cui ſubſcripſit Hoſius. Poſtea illam memorat, quæ octava numero eſt, quæque præfixo Imperatoris nomine, atque eiuſdem anni conſulatu, ſub initio hujus epiſtolæ primo loco poſita fuit. Hanc ſubſequitur eodem anno 359. Seleuciæ edita ab Acacianis: decima Nicææ in Thracia exarata, & Conſtantinopoli confirmata anno 360. Undecima denique Antiochiæ anno 361. conſcripta, in qua poſtrema Ariani pœnitentia ducti, quod in aliquibus præcedentibus formulis Filium vocaverint Patri ſimilem, aperte profeſſi ſunt, ſe illum credere Patri diſſimilem, non ſolum natura, & ſubſtantia, ſed etiam voluntate, & ex non exſtantibus factum, ut ab initio

(a) *Ibid. n.* 5.

(1) Fleuryus uſque ad decem & ſex enumerat fidei formulas ab Arianis conſcriptas ab anno 335. uſque ad annum 361. *Tom.* 3. *lib.* 4. *pag.* 640.

initio dixerat Arius; unde factum, ut Catholici poſtea ipſos Anomœos, ſeu Exoucontianos appellaverint, denominatione deſumpta ex tribus græcis vocibus ἐξ οὐκ ὄντων, quæ ſignificant *ex nihilo*, ſeu *ex non extantibus*.

EUSEBIUS.

Defenſio vocis homouſion.

Cum nihil Arianis magis cordi eſſet, tam in omnibus ſuis Conciliabulis, quam in repetitis fidei formulis, quam *conſubſtantialis* vocem, & Nicænum Concilium abolere; hinc S. Præſul in hac tertia ſui de Synodis Tractatus parte utriuſque defenſionem ſuſcipit. Scribit itaque, abſque ulla prorſus cauſa illos nomen *conſubſtantialis* rejicere, cum eam vocem amplexati ſint, & adprobarint (*a*) *non vulgares homines ex toto orbe coacti* in Nicæna Synodo, *& qui Ariminum convenere Epiſcopi plus quadringenti eam teſtimonio ſuo comprobarunt*; nec obtendant, (*b*) *vocem illam in Scripturis non haberi*, cum Arius, & ipſi Ariani verbis utantur, quæ in Scripturis *non habentur*; & (*c*) *nihil intereſſe, ſi quis non ſcriptas voces proferat, dummodo piam ſervet ſententiam*. (*d*) Sic Apoſtolus Paulus non dubitavit vocibus uti a *prophanis* acceptis. Refutatis Arianis, ad illos ſe convertit, qui ſenſum conſubſtantialis admittebant quidem, at vocem repudiabant, ut Baſilius Ancyranus, nonnullique alii, & iſtos dicit (*e*) non ut *inimicos ſpectandos* Eccleſiæ, ſed ut *fratres*, quippe qui *eadem qua nos ſunt ſententia, ſolo nomine in controverſiam adducto*. Verum quia iſti in ſua verbi illius rejectione innitebantur Synodo Antiochiæ habitæ circa annum 269. adverſus Paulum Samoſatenſem, in qua Patres illi vocem *homouſion* rejecerant, ad eos refellendos oſtendit, Patres illos in una fide cum Nicænis convenire; quod ſi vocem conſubſtantialis rejecerunt, in cauſa fuit pravus ſenſus illi voci a Paulo Samoſatenſi affixus, qui hoc modo (*f*) *argutari ſolebat, & dicere: Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt, ergo conſubſtantialis eſt Patri, atque hinc neceſſe eſt, tres eſſe ſubſtantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli ſophiſma jure caventes dixere, Chriſtum non eſſe conſubſtantialem; neque enim Filius ita ſe habet reſpectu Patris, qualiter ille cogitabat*. Hinc occaſionem nactus mentem exponit, & ſententiam Dionyſii Alexandrini, qui falſo criminabatur, quaſi dixiſſet, Filium eſſe creaturam, & negaſſet eſſe Patri conſubſtantialem, ejuſque adductis verbis, non adoptatam quidem ab illo vocem conſubſtantialis, at talem eſſe Filium aperte docuiſſe, & affirmaſſe oſtendit. At cum (*g*) *Ariani unitatem Filii cum Patre dicerent non eſſe ſecundum ſubſtantiam, nec ſecundum naturam,.... ideo qui Nicææ erant congregati*, Patres, *eorum, qui ita ſentirent, vafritiem conſpicati.... liquidius ſcripſere, conſubſtantialem eum eſſe, ut hinc vera, & genuina Filii natura*

(a) *Pag.* 749. *n.* 33. (b) *Pag.* 752. *n.* 36.
(c) *Pag.* 754. *n.* 39. (d) *Pag.* 754. *n.* 39.
(e) *Pag.* 755. *n.* 41. (f) *Pag.* 759. *n.* 45.
(g) *Pag.* 760. *n.* 45.

S. ATHANAS.

tura explorata eſſet, ... omneſque Arianorum ad ſimpliciores ſeducendos argutias refellerent. (*a*) Auctoritatem etiam allegat S. Ignatii Martyris, & Antiocheni Epiſcopi, alteriuſque antiquioris, cujus nomen reticet, ut oſtendat, licere in ſermonibus de divinis rebus voces adhibere, licet eas in Scripturis non ſit reperire, dummodo tamen minime officiant veritati. (*b*) Poſtea plura congerit teſtimonia, in quibus unitas, & æqualitas Patris, & Filii, ac proinde utriuſque conſubſtantialitas luculenter exprimuntur. (*c*) Denique epiſtolam claudit, recitando litteras Conſtantii ad Ariminenſem Synodum, & Synodi ad eum reſponſum, quas Appendicis loco addere, ipſemet ſcribit.

Epiſtola ad Jovianum Imperatorem.

Rogavit anno 363. Athanaſium Jovianus Imperator, ut fidei veritatem in tot opiniones, parteſque diſtractam dilucide ſibi exponeret, atque tranſmitteret, unde noſſe poſſet, quomodo ſe gerere deberet in rebus Eccleſiaſticis dirigendis ad totius Orbis Chriſtiani, divina aſpirante gratia, unionem procurandam. Convocatis itaque ab Athanaſio doctioribus ex Libya, Thebaide, & Ægypto Epiſcopis, quam compendio damus, epiſtolam illi ſcripſit, quæ ſic incipit: (*d*) „Religioſum Imperatorem decet diſcendi ſtudium, & cæle-„ſtium rerum amor; ita vere cor in manu Dei habiturus es. Cum „igitur tua pietas fidem Catholicæ Eccleſiæ a nobis cupiat perdi-„ſcere; poſtquam gratias ob eam rem Domino egimus, nihil no-„bis melius viſum eſt, quam ut tuam pietatem fidei, quam Pa-„tres Nicææ confeſſi ſunt, commonefaceremus. Quidam enim illa „rejecta, & nobis varie inſidiati ſunt, quod Arianæ hæreſi aſſen-„tiri noluimus, & hæreſis, atque ſchiſmatum in Eccleſia Catho-„lica auctores fuerunt. Nemini tamen obſcura eſſe poteſt vera, & „pia in Dominum fides, ut quæ ex Divinis Scripturis haberi, & „internoſci queat. Hac enim initiati Sancti, Martyres ſunt effe-„cti, qui quidem ſoluti a corpore, nunc ſunt in Domino: eaque „inviolata manſiſſet ſemper, niſi quorumdam hæreticorum malitia „ipſam adulterare tentaſſet“. Explicat deinde, in quo ſita ſit Ariana hæreſis, & quomodo Arius plures in errorem pertraxerit ſuis ſermonibus; quæ in ipſum decreta ſunt in Nicæna Synodo, & quomodo fuerit anathemate perculſus, narrat; additque, conatus ab aliquibus adhibitos ad hæreſim jam proſtratam ſuſcitandam, & blaſphemias ab aliis in Spiritum Sanctum prolatas; & poſtea ſubdit: „(*e*) Fidem, quam Nicææ confeſſi ſunt, tuæ Religioni tradere cu-„ravimus, ut ſcilicet non ignoraret tua pietas, quæ omni cum „diligentia ſcripta ſunt, quantumque errent, qui alia præter hanc „fidem docent. (*f*) Scito enim, Religioſiſſime Auguſte, hæc ab „omni ævo eſſe prædicata, hancque ipſam fidem Patres, qui Ni-„cææ convenerunt, confeſſos fuiſſe, eamque ſuffragio ſuo compro-„bare

(a) *Pag.* 761. *n.* 47. (b) *Pag.* 767. *n.* 53.
(c) *Pag.* 768. *n.* 55. (d) *Pag.* 780. *n.* 1.
(e) *Pag.* 781. *n.* 1. (f) *n.* 2.

„ bare univerſas totius Orbis Eccleſias, nempe Hiſpaniæ, Britan- S. Athanas.
„ niæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Myſiæ, Mace-
„ doniæ, Græciæque, & Africæ univerſæ, nec non Sardiniæ, Cy-
„ pri, Cretæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Iſauriæ, Ægypti, Libyæ, Pon-
„ ti, Cappadociæ, vicinas quoque nobis, nec non Orientis Eccle-
„ ſias, paucis exceptis, qui Arii hæreſim ſequuntur. Quæ enim ſit
„ omnium illarum Eccleſiarum ſententia, & experientia novimus,
„ & earum habemus litteras. Nec vero te fugiat, piiſſime Auguſte,
„ tametſi pauci quidam huic fidei adverſentur, præjudicium tamen
„ facere non poſſe, quippe cum Orbis univerſus Apoſtolicam fidem
„ retinet. Illi enim Ariana hæreſi perdiu jam infecti veræ pieta-
„ ti hodie pertinacius adverſantur “.

Recitat deinde integrum Nicænum Symbolum; poſtea ſic proſequitur: „ (*a*) In hac fide, Auguſte, tamquam divina, & Apo- Epiſtolæ continuatio.
„ ſtolica omnes neceſſe eſt permanere, nec ullus eam ſubtilibus ſer-
„ monibus, & contentionibus immutare debet, uti fecere Ariani,
„ qui *Filium Dei ex nihilo eſſe* ajunt, *fuiſſeque aliquando, cum*
„ *non eſſet, creatumque, & factum, ac mutabilem eſſe*. Siquidem
„ iccirco, ut ſupra commonuimus, Nicæna Synodus hujuſmodi hæ-
„ reſim anathemate mulctavit, & fidem veritatis confeſſa eſt. Nec
„ enim Filium Patri eſſe ſimilem tantummodo dixerunt, ne videli-
„ cet ſimilis dumtaxat Deo putaretur, ſed ut verius ex Deo Deus
„ eſſe crederetur, ſcripſerunt, *Conſubſtantialem* eſſe, quod quidem
„ proprie convenit germano, & vero Filio veri, & naturalis Pa-
„ tris. Neque etiam Spiritum Sanctum a Patre, & Filio disjun-
„ xere; ſed illum potius una cum Patre & Filio glorificavere in
„ una ſanctæ Trinitatis fide, quia nempe una eſt in Sancta Trini-
„ tate divinitas “. Quæ poſtrema verba non ſine admiratione perpendens S. Gregorius Nazianzenus ſcribere non dubitavit: (*b*) „ Hujus
„ confeſſionis, ut mihi videtur, auctoritate permoti tum Occiden-
„ tales, tum quidquid in Oriente vitale eſt, veritatem colunt “:
Hinc eam appellat (*c*) *donum vere regium, & magnificum*. Porro epiſtolam benigne, & gratanter excepit Auguſtus, & per eam in agnitione, & amore veritatis mirifice fuit confirmatus.

Huic Athanaſii epiſtolæ Joviano Imperatori datæ, nonnullæ ſubjiciuntur petitiones, ſive querimoniæ ab Arianis adverſum Sanctiſſimum Præſulem huic Auguſto oblatæ. Dum itaque Antiochia exiret extra urbem deambulaturus, illi obviam facti Lucius, aliique Ariani efflagitarunt, ut illos audire dignaretur. Eos interrogavit Auguſtus, quinam eſſent? ex quanam civitate venirent? quid vellent? Reſponderunt, „ (*d*) ſe Chriſtianos eſſe ex Alexandrina ci- Arianorum querimoniæ adverſus Athanaſium.
„ vitate, & ſibi Epiſcopum dari, flagitare. Imperator dixit: Juſſi,
„ priorem, quem habuiſtis, Athanaſium in throno collocari. A-

T 2 „ riani

(a) *Pag.* 782. *n.* 4.
(b) *Greg. Nazianz. orat.* 21. *Tom.* 1. *pag.* 356.
(c) *Ibid.* (d) *Pag.* 782. *& ſeq.*

S. ATHANAS.

„ riani dixerunt: Jam multis annis exul, & accuſatus eſt. Miles „ de repente commotus reſpondit: obſecro imperium tuum, ut ipſe „ inquiras, quinam, & unde ſint. Hi enim ſunt abjectæ reliquiæ „ Cappadociæ, reſidua impii illius Georgii, qui civitatem, & mun- „ dum deſertum reddidere. His auditis Imperator, equum calcari- „ bus concitavit, & abiit in campum". Alia vice Joviano dixe- re: „ (*a*) ſe accuſationes, & probationes habere contra Athana- „ ſium, qui ante decem, & viginti annos ab æternæ memoriæ „ Conſtantino, & Conſtantio in exilium pulſus eſt. Et ſub Deo „ dilectiſſimo, Philoſophiæ ſtudioſiſſimo, & beatiſſimo Juliano item „ exulavit (ita illum Apoſtatam honorifice compellabant). Impe- „ rator dixit: Jam præterierunt, quæ ante decimum, viceſimum, „ & triceſimum annum inſtitutæ ſunt accuſationes ... & ſcio, quam- „ obrem accuſatus, & quare proſcriptus ſit". Et iterum Impera- torem adeuntes, dixerunt: „ Rogamus te: quemcumque volueris E- „ piſcopum præter Athanaſium. Imperator ait.... Diligenter ſci- „ ſcitatus, novi eum recte ſentire, & orthodoxum eſſe, atque recte „ docere. Ariani dixerunt: Ore quidem recte loquitur, animo au- „ tem doloſe ſentit. Imperator dixit: Satis hoc eſt, quod vos de „ illo teſtificati eſtis, eum recte loqui, ac docere. Quod ſi lingua „ quidem recte docet, loquiturque, animo autem prave ſentit, res „ illi cum Deo eſt; homines enim cum ſimus, ſermonem audimus; „ quæ vero in corde latent, novit Deus. Ariani dixerunt: Jube „ nos conventus agere. Imperator dixit: quis vos prohibet? Aria- „ ni dixerunt.... hæreticos, & dogmatiſtas nos declarat. Impera- „ tor dixit: Hoc ejus officium eſt, atque eorum, qui recte docent. „ Ariani dixerunt: ... hunc ferre non poſſumus, & agros Eccle- „ ſiæ abſtulit. Imperator dixit: Pecuniarum igitur gratia huc ac- „ ceſſiſtis, & non fidei cauſa?... Diſcedite, & quieſcite.... (*b*) „ Ite ad Eccleſiam, cras conventus vobis eſt; adſunt hic Epiſco- „ pi... unuſquiſque veſtrum ſecundum id, quod credit, ſubſcribat. „ Athanaſius etiam hic eſt. Qui fidei verbum neſcit, diſcat ab A- „ thanaſio".

Aliæ criminationes.

Analyſis Tractatus de Incarnatione.

De anno, quo Sanctus Athanaſius hunc de Incarnatione Tracta- tum exaravit, nihil certum eſt, reponi tamen poſſe credimus poſt an- num 364.; nam Anomæorum, & Macedonianorum hæreſes oppu- gnat, quæ tunc graſſabantnr (*c*). Tres complectitur partes. In priore D. Athanaſius objectiones diluit Anomæorum contra divi- nitatem Jeſu Chriſti ex pluribus Scripturæ tum veteris, tum novi Teſtamenti deſumptas teſtimoniis, cujuſmodi ſunt illa: (*d*) *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo:* & (*e*), *Quid me dicis bonum? nemo bonus, niſi unus Deus*, & (*f*), *De die extrema nemo ſcit, neque Filius, niſi Pa- ter*: &

(a) *Pag.* 783. (b) *Pag.* 784.
(c) *Pag.* 871. (d) *Joan.* 5. 26.
(e) *Marc.* 10. 18. (f) *Id.* 13. 32.

ter: & (*a*), *Deus meus*, *Deus meus ut quid dereliquiſti me:* Et (*b*), *Quem Pater ſanctificavit*, *& miſit in Mundum:* Et denique illud Proverbiorum: (*c*) *Dominus creavit me initium viarum ſuarum*. Omnia autem ex novo Teſtamento deſumpta teſtimonia interpretatur S. Præſul de Chriſto ut homine, non ut Deo: ex veteri vero deprompta de ejus Eccleſia explicat. In ſecunda vero parte de Sancti Spiritus divinitate diſputat, quem Patri, & Filio conſubſtantialem aſſeverat, & probat his argumentis. 1. Quia Scriptura (*d*) *cum Patre*, *& Filio ipſum annumerat*, *& glorificat*. 2. Quia (*e*) *ſicut in nomine Patris*, *& Filii baptizamur*, *ita & in nomine Spiritus Sancti*, *& efficimur Filii Dei*, *non Deorum*. *Pater enim*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus Dominus Sabaoth eſt*. 3. Quia D. Paulus tribuit Spiritui Sancto, quæ Iſajas dixerat de Patre, & D. Joannes Apoſtolus de Filio, videlicet ipſum creaſſe omnia viſibilia, & inviſibilia, unde patet, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unum eſſe Deum. 4. (*f*) Quia Scriptura, quidquid de Patre, & Filio prædicat, & de Spiritu Sancto enuntiat, eaſdemque illi tribuit operationes, & munera; & in hoc poſtremo dilatando argumento longius immoratur, innumeris pene confirmans Scripturæ teſtimoniis. (*g*) In tertia denique parte totus eſt in divinitate Verbi adverſus Arianos, plurimis Scripturæ textibus adductis, probanda. (*h*) Duas in Chriſto oſtendit eſſe voluntates, divinam unam, alteram humanam juxta duplicem in ipſo exiſtentem naturam, ex quibus diſtinctio exoritur illorum officiorum, quæ Chriſto ut Deo conveniunt, ab illis, quæ nonniſi ratione aſſumptæ humanitatis ſunt illi tribuenda.

[redacted] S. Athanas.

Epiſtolam hanc Epiſcopis Africæ ſcripſit Athanaſius, ut Epiſcoporum in fide unitatem foveret, & conſervaret, illoſque muniret, ac roboraret adverſus eos, qui obtentu obſcuritatis in voce (*i*) *Conſubſtantialis quamdam Synodum quaſi Arimini celebratam in medium afferebant*, *atque omnem movebant lapidem*, *ut ea potius*, *quam Nicæna*, *obtineret*, in qua nominatim Urſacius, Valens, Eudoxus, & Auxentius fuere anathemate mulctati. Summo ſtudio Nicænæ Synodi auctoritatem extollit oſtendens, nullam Arianorum Synodum cum illa quidem conferendam. Nam Nicæna Synodus (*k*) *Œcumenica fuit trecentis decem*, *& octo coactis Epiſcopis* ex omnibus terræ partibus, *ut de fide ageretur Arianæ impietatis cauſa*. Ejus Decreta *Indi*, *& quotquot apud Barbaros alios Chriſtiani ſunt*, *agnoverunt*, & venerati ſunt, *legitima de cauſa coacta fuit*, videlicet & *ob Arianam hæreſim*, *& ob Paſchatis ſolemnitatem*. Epiſcopos in ea collectos pietate claruiſſe, & ſcientia, qui nonniſi Sa-

Analyſis Epiſtolæ ad Epiſcopos Africæ.

T 3 cram

(a) *Matth.* 27. 46. (b) *Joan.* 10. 36.
(c) *Proverb.* 8. 22. (d) *Pag.* 876. *n.* 9.
(e) *Pag.* 877. *& ſeq. n.* 10. (f) *Pag.* 880. *n.* 13.
(g) *Pag.* 886. *n.* 20. (h) *Pag.* 887. *n.* 21.
(i) *Pag.* 891. *n.* 1. (k) *Pag.* 892. *n.* 2.

cram Scripturam ſpirabant, & hi *Patri conſubſtantialem Filium* confeſſi ſunt. At non tales fuere Arianorum Synodi, in quibus nonniſi *pauci* numero adfuere Epiſcopi, & quorum Decreta ne (*a*) *quidem ipſi approbant. Nam in ſuis decem, aut pluribus etiam Synodis modo illa, modo alia ſcripſerunt*, mutataque in ſingulis ſententia, quædam a prioribus extraxere, in ſequentibus quædam immutarunt, alia addiderunt. Nullam illis legitimam adfuiſſe cauſam eas congregandi, ſed ſolum *odio*, *contentione*, & *vi coactas*, in quibus non de Religione tractarent, ſed de inutilibus, & abſurdis, & quorum nonnulli ab Epiſcopis, *qui Ariminum convenerant*, ob eorum perfidiam *depoſiti ſunt*. Oſtendit deinde, merito (*b*) Nicænam Synodum *Conſubſtantialis* vocem uſurpaſſe, & rationem reddit explicans, quid eo nomine deſignare voluerint Patres. (*c*) Nonnulla poſtea addit de Spiritus Sancti divinitate, (*d*) & denique in calce epiſtolæ Africæ Epiſcopos obſecrat, ne dimoveri ſe ſinant *multitudine Synodorum, Ariminenſi, Sirmienſi, iis, quæ in Iſauria celebratæ ſunt, aliis, quæ in Thracia, iis, quæ Conſtantinópoli, item quæ Antiochiæ habitæ ſunt, quæ plurimæ ſunt, & tumultuoſæ; ſed apud eos Nicæna ſolum fides obtineat, quæ vere cippus eſt conſcriptus contra univerſas hæreſes*. Duo ſunt in hac epiſtola adnotatione digna. (*e*) Primum vox *hypoſtaſis* uſurpata ab Athanaſio ad ſubſtantiam denotandam. Alterum, Libyæ Epiſcopos adeo vinculis fidei, & charitatis fuiſſe invicem devinctos, ut in Conciliis, (*f*) *cum aliquem abeſſe contigerit, alii pro aliis ſubſcriberent*. Hinc factum arbitramur, quod nonaginta numerentur Epiſcopi in Concilio Alexandrino, ut in hujuſce epiſtolæ titulo enuntiatur. Adnotavimus etiam loquentes de plenario Carthaginenſi Concilio, hunc morem etiam inter Africæ Epiſcopos viguiſſe tempore S. Cypriani, ut præſentes pro abſentibus fratribus ſubſcriberent.

Ad Epictetum Epiſtola circa annum 369. ſeu rectius 371. Ejus conſcribendæ cauſa.

Hanc epiſtolam conſcripſit Athanaſius, occaſione ductus nonnullarum controverſiarum, quas in Corinthi Eccleſia excitaverunt nonnulli, qui licet Nicænæ Fidei ſe adhærere profiterentur, in duo tamen extrema oppoſita, & æque periculoſa prolabebantur. Quidam enim ajebant, corpus ex Maria genitum conſubſtantiale eſſe Verbi divinitati; alioquin qui illud ex Maria eſſe affirmaret, non Trinitatem, ſed quaternitatem in Deo admitteret; ex quo illud conſequebatur, nimirum aut Chriſtum corpus non ex Virgine ſumpſiſſe, cum eſſet æternum non minus, quam divinitas; aut Verbum in carnem, oſſa, & capillos, & in totum corpus mutatum fuiſſe; proinde ipſam divinitatem Cruci adfixam fuiſſe. Alii vero ex oppoſito aſſerebant, Verbum, & Filium Dei cruci affixum non unum, & idem eſſe, ſed Verbum in Chriſtum illapſum fuiſſe, ſicut in reliquos Prophetas, adeoque Chriſtum, nonniſi merum hominem eſſe

(a) *Pag.* 893. *n.* 3. (b) *Pag.* 894. *n.* 4.
(c) *Pag.* 895. *n.* 5. (d) *Pag.* 899. *n.* 19.
(e) *Ibid. n.* 11. (f) *Ibid. n.* 19.

eſſe in Filium a Deo adoptatum. Qui hunc poſtremum errorem ſuſtinebant, diſcipuli erant Apollinaris, qui tamen adhuc hujuſce hæreſis auctor non dignoſcebatur. Coacta itaque fuit Synodus, in qua omnes hæ opiniones diſcuſſæ, communi conſenſu rejectæ fuere, & quiſque diſputantium in catholica fide conſtitit. Acta hujus Synodi in ſcripta redacta Epictetus Corinthi Epiſcopus, qui illi interfuerat, ad Athanaſium miſit, ab eo poſtulans, ut, quomodo confutandi eſſent hi errores, doceret. S.Athanas.

Exhorruiſſe ſe S. Athanaſius erroneas illas legendo opiniones teſtatur, & Epitectum reprehendit, qui talia vulgari, & proponi paſſus ſit. Ut autem illos refellat, non ſolum Scripturarum affert auctoritatem, ſed & Nicænæ Synodi definitiones, quibus, qui talia vulgaverant, acquieſcere debebant, ſi inter Eccleſiæ Filios adnumerari cuperent: „ (*a*) Patres enim, qui Nicææ convenerunt, non „ corpus, ſed ipſum Filium dixerunt eſſe Patri conſubſtantialem, „ & hunc quidem ex ſubſtantia Patris; corpus vero ex Maria eſ„ ſe, ex Scripturis item declararunt.... Si enim Verbum corpori, „ quod ex terra naturam ſuam tenet, eſt conſubſtantiale, & aliun„ de Verbum itidem eſt Patri conſubſtantiale, ipſe Pater corpori „ ex terra facto conſubſtantialis erit. Ecquid ultra Arianos inſe„ ctemini, quod dicant, Filium eſſe creaturam, cum ipſi Patrem „ rebus creatis eſſe conſubſtantialem affirmetis?... Si vero Verbum „ eſt corpori conſubſtantiale, ſuperflua fuerit Mariæ mentio, & „ miniſterium, cum corpus ante Mariam ab æterno eſſe poſſit, ut „ eſt ipſum Verbum; ſi tamen, ut vos dicitis, conſubſtantiale eſt „ corpori.... Sed neque Verbum,... ut mutatum in corpus, ſe „ ipſum pro ſe ipſo in ſacrificium offerret, ac ſe ipſum redimeret". Verbis poſtea Iſajæ, & Evangelii ſecundum Lucam evincit, Jeſum Chriſtum corpus ſumpſiſſe noſtro conſubſtantiale ex ſemine Abrahæ, & ex ſubſtantia Virginis, quæ illud vere genuit, & uberibus ſuis lactavit. (*b*) *Hoc corpus*, ſubdit, *octavo die circumciſum eſt, famem, ſitim, paſſionem, & denique Crucem ſubiit; erat autem impaſſibile, & incorporeum Dei Verbum. Illud ipſum corpus in ſepulchro poſitum erat, cum Verbum abiit (licet a corpore minime ſegregaretur) ut prædicaret iis, qui in carcere erant, ſpiritibus*... (*c*) *Et quæ humanum Verbi corpus patiebatur, hæc ipſa Verbum, quod corpori conjunctum erat, ad ſe referebat, ut nos Verbi Deitatis participes fieri poſſemus* .... „ (*d*) Hæc autem non fictione facta „ ſunt,... ſed Salvatore vere homine facto, hinc totius hominis „ ſalus conſecuta eſt. Nam ſi fictione dumtaxat Verbum in cor„ pore fuit, ſequitur, ut ſecundum impiiſſimum Manichæum, ſpe„ cie tenus tantum ſalus, & reſurrectio hominum fieri dicatur.... „ Cum tamen poſtquam a mortuis reſurrexiſſet, dixerit Chriſtus: (*e*) Hujus Epiſtolæ Analyſis.

T 4 „ *Palpa-*

(a) *Pag.* 903. *& ſeq. n.* 4. (b) *Pag.* 905. *n.* 5.
(c) *Ibid. n.* 6. (d) *Pag.* 906. *n.* 7.
(e) *Lucæ* 24. 39.

S.ATHANAS. „ *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet....*
„ Non dixit, ut me videtis carnem, & oſſa eſſe, ſed habere ....
„ Quod autem a Joanne dicitur: (*a*) *Verbum caro factum eſt*, ea-
„ dem eſt ſignificatione, ac illud Pauli: (*b*) *Chriſtus factus eſt pro*
„ *nobis maledictum*. (*c*) Et ſicut non ipſe factus eſt maledictum,
„ ſed quia maledictum pro nobis ſuſcepit, ... ſic & Verbum caro
„ factum eſt, non quod in carnem mutatum fuerit, ſed quod car-
„ nem viventem pro nobis aſſumpſerit, & homo factum ſit ....
„ Multum autem erubeſcant, qui vel ſemel cogitaverint, poſſe pro
„ Trinitate fieri Quaternitatem, ſi corpus ex Maria eſſe dicatur.
„ (*d*) Nam creatura creatori exæquari non poteſt, & divinitas ac-
„ ceſſionem non admittit. Nec corpus a Verbo redemptum, & vi-
„ vificatum Verbo vivificanti ad Deitatem incrementum aliquod
„ addidit, cum potius humano corpori & Verbi communicatione,
„ & conjunctione ingens facta ſit acceſſio". Refellit deinde illos,
qui dicebant, *eum, qui ex Maria prodiit, nec Chriſtum, nec Do-
minum, vel Deum eſſe*, ſcribens: „ (*e*) Si enim Deus in corpo-
„ re non erat, quomodo vocatus eſt (*f*) *Emmanuel, quod eſt in-*
„ *terpretatum nobiſcum Deus?* Cur Paulus Romanis ſcripſit: (*g*)
„ *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia*
„ *Deus benedictus in ſæcula?* Quomodo Thomas, cum illa clavo-
„ rum veſtigia conſpexiſſet, exclamavit: (*h*) *Dominus meus, & Deus*
„ *meus?* ... (*i*) Si quemadmodum in ſingulos Prophetas Verbum
„ advenit, ita quoque in quemdam hominem Mariæ Filium veniſ-
„ ſet; ... cur hic homo ex Virgine, & non ex viro, & muliere
„ ipſe quoque prodiit? Sic enim quiſque Sanctorum genitus eſt....
„ Quare item cum ad ſingulos Prophetas Verbum advenerit, dici-
„ tur tamen ad ſolum Mariæ Filium ſemel in conſummatione ſæ-
„ culorum adveniſſe? Aut cur Verbo ita veniente, ut venerat in
„ Sanctos illos, qui prius extiterant, alii quidem mortui cum ſint,
„ nondum reſurrexerunt; ſolus vero Mariæ Filius poſt triduum re-
„ ſurrexit? ... Et cum de aliis omnibus dictum ſit dumtaxat, quod
„ geniti, & nati ſint, de ſolo Mariæ Filio dictum eſt: *Et Verbum*
„ *caro factum eſt?* ... (*k*) Hunc Pater in Jordane, & in monte
„ manifeſtavit dicens: (*l*) *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mi-*
„ *hi complacui*. Hunc Ariani quidem abnegarunt, nos vero agno-
„ ſcentes adoramus, nec Filium a Verbo dividimus, ſed agnoſci-
„ mus ipſum Verbum eſſe Filium, per quem omnia facta ſunt, &
„ per quem nos redempti ſumus". Deinde gratias Domino agit,
quod qui tam perverſe opinabantur, tandem *cum concordia diſceſ-
ſerunt piæ, & orthodoxæ fidei confeſſione inter ſe conciliata pace*.
Et finem epiſtolæ imponit hiſce verbis, quæ maximam tanti Do-
ctoris

(a) *Joan.* 1. 14. (b) *Galat.* 11. 13. (c) *Pag.* 907. *n.* 8.
(d) *Pag.* 908. *n.* 9. (e) *Ibid. n.* 10.
(f) *Matth.* 1. 23. (g) *Rom.* 9. 5. (h) *Joan.* 20. 28.
(i) *Pag.* 909. *n.* 11. (k) *Ibid. n.* 12. (l) *Matth.* 3. 17.

S. ATHANAS.

ſtoris animi modeſtiam, & humilitatem oſtendunt: „ (*a*) Rogo i-
„ gitur tuam pietatem primum, ſecundo auditores, ut hæc cum
„ bona conſcientia recipiatis; & ſi quid a pietate deficiunt, illud
„ corrigatis, mihique indicetis. Quod ſi, utpote ab homine impe-
„ rito, non pro dignitate rei, nec ſatis accurate iſta conſcripta ſunt,
„ veniam detis omnes noſtræ in dicendo imbecillitati “.

Epiſtola ad Adelphium circa annum 369. ſeu potius 371.

Circa hoc idem tempus aliam dedit epiſtolam Adelphio Epiſcopo Onupheos Lychnorum, qui poſt ſuum ab exilio reditum (pulſus enim fuerat in exilium Pſinablam Thebaidis ab Arianis) cum iiſdem diſputationem habuerat de Chriſti carne adoranda. Ariani ſiquidem obtentu, quod Chriſti caro eſſet creata, eam minime adorandam dicebant, cum rem creatam non liceat adorare. Eos pro virili refutaverat Adelphius: at operæ pretium duxit hac de re Athanaſium conſulere, qui Eccleſiarum Oraculum audiebat, ut abundantiori per eum de hac veritate lumine perfunderetur. Illi igitur rem cum Arianis geſtam ſcripſit. S. Athanaſius vero, perlectis ejus litteris, ipſius ſtudium, pietatem, & animi fortitudinem in oppugnandis novis Arianorum erroribus commendavit, ejuſque petitionibus annuens hanc illi epiſtolam dedit, non quidem quaſi neceſſariam putaret ad refellendos Hæreticos, ſed ne ſimplices aſtutiis, & dolis Arianorum ſeducerentur.

Epiſtolæ Analyſis.

Primo itaque dicit, Catholicos (*b*) *rem creatam non adorare, ſed rerum creatarum Dominum carnem factum Dei Verbum adorare*.
„ Etſi enim ipſa caro, ſeorſim ſpectata, pars ſit rerum creatarum,
„ tamen Dei facta eſt corpus. Neque vero hujuſmodi corpus a
„ Verbo dividentes adoramus, nec cum Verbum volumus adorare,
„ a carne removemus .... ſed idem Verbum in carne exiſtens
„ Deum agnoſcimus.... Sic, ſubdit, leproſus ille Deum in cor-
„ pore exiſtentem adoravit.... & ſic mulier, quæ fluxum ſangui-
„ nis patiebatur, credidit, tactiſque tantummodo ejus veſtis fim-
„ briis, ſanata eſt “. Doctrinam vero ſuam poſtea confirmat verbis Apoſtoli ſcribentis: (*c*) *In nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris*. „ (*d*) Neque enim
„ dedecus Verbo caro attulit: abſit; ſed ipſa potius ab illo glo-
„ riam accepit “. Confirmat miraculis per carnem a Chriſto patratis, & quia caro a Verbo nequit dividi; „ (*e*) & ſi Iſraelitæ
„ Hieroſolymam aſcendere, ut adorarent in Templo Domini, ubi
„ Arca erat, jubebantur; cur & Dominum in carne tanquam in
„ Templo exiſtentem adorare non licebit “? In calce vero epiſtolæ ſcribit Adelphio: „ (*f*) Hanc etiam epiſtolam, ſi opus fuerit,
„ Hieraci Presbytero “ (qui in Ariana perſecutione & ipſe
„ Confeſſoris titulum promeruerat) „ recitari cupimus “. Hac ſua
de

(a) *Ibid. pag.* 910. (b) *Pag.* 912. *& ſeq. n.* 3.
(c) *Ad Philip.* 2. 10. (d) *Pag.* 913. *n.* 4.
(e) *Pag.* 915. *n.* 7. (f) *Pag.* 917. *n.* 8.

S. Athanas.

de carne Verbi adoranda catholica doctrina S. Athanaſius Neſtorium, & Eutychem longe ante ortas ipſorum hæreſes condemnavit: Neſtorium quidem, cum Chriſtum neget in duo eſſe dividendum; Eutychem vero, cum integras, atque diſtinctas tueatur Chriſti naturas.

Bini adverſus Apollinarem libri ſcripti circa annum 372.

Binos adverſus Apollinarem libros conſcripſit Athanaſius poſtremis vitæ ſuæ temporibus, & poſt epiſtolam ad Epictetum, ideſt circa annum 372.

Prioris libri Synopſis.

Priorem exorditur librum ab errorum Apollinaris (1) enumeratione, & expoſitione, eoſque nullum inter ſe nexum, & colligationem habere oſtendit. Præcipuos autem enumerat, ſcribens: „ (*a*) „ Iſti aut mutationem Verbi comminiſcuntur, aut diſpenſationis paſ„ ſionem meram eſſe phantaſiam ſuſpicantur, atque interdum in„ creatam, cæleſtemque Chriſti, carnem aliquando Deitati ajunt „ eſſe conſubſtantialem. Deinde inquiunt, vice interioris, qui in „ nobis eſt, hominis, mentem cæleſtem ineſſe Chriſto .... neque „ enim poſſibile erat, perfectum hominem fieri. Ubi enim perfe„ ctus homo, ibi & peccatum.... Sed aſſumpſit, inquiunt, cor„ pus abſque mente, ut ipſe mens in illo eſſet, expers omnino „ peccati “. Hos autem errores refellens S. Athanaſius primo loco oſtendit, quod (*b*) *cum Chriſtus ſecundum carnem ex hominibus duxerit ortum*, paſſus ſit, & mortuus, & reſurrexerit, ut prædixerant Prophetæ, dici nequit, *aut increatum aliquid fuiſſe*, nec *tolerantiam paſſionis*, *phanthaſiam exiſtimandam*. (*c*) Nec dicendum, „ increatum factum eſſe, quod unitum eſt cum increato. „ Nam carnis cum Verbi divinitate conjunctio ex utero facta „ eſt.... Naſcitur Chriſtus,... in pannis repoſitus, a Simeone „ in Templo geſtatus, ad circumciſionem carnis adductus eſt, aug„ mentumque accepit ætatis, atque ſtaturæ.... Increato autem in„ crementum adſcribere impium eſt. Nam quod increatum eſt, „ natura ſua increatum dicitur, nec acceſſionem, aut diminutionem „ admittit “. (*d*) *Sed*, dicebat Apollinaris, *nos creaturam non adoramus*; cui reponit S. Athanaſius: „ Increati Verbi corpus fa„ ctum eſt, ac ipſi, cujus corpus factum eſt, adorationem aſſertis „ veſtram,... quemadmodum mulieres poſt Reſurrectionem acce„ dentes ad Dominum tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt. Et „ rurſum (*e*) quomodo e cælis corpus habeat Chriſtus, & filius „ hominis ſit? nam Matthæus quidem filium Abrahæ, & David „ illum deſcribit ſecundum carnem: Lucas vero eum Adæ, & Dei „ Fi-

---

(1) Apollinaris doctus Epiſcopus Laodiceæ, quarto ſæculo, primum amicus fuit D. Athanaſii, & Baſilii, ac magnus orthodoxæ Fidei propugnator; verum poſtea ſuis animi dotibus abuſus & ſcientia, factus eſt novarum hæreſum adinventor, & nomen dedit ſectæ, quæ Apollinariſtarum dicta eſt.

(a) *Pag.* 923. *n.* 2. (b) *Pag.* 924. *n.* 3.
(c) *Ibid. n.* 4. (d) *Pag.* 926. *n.* 6.
(e) *Pag.* 928. *n.* 8.

„ Filium enarrat “. Verum quidem eſt, D. Paulum duplicem diſtinguere Adamum, terreſtrem alterum, alterum cæleſtem. „ Cum autem „ animale, & ſpirituale dicit, non alterum, & alterum corpus oſten- „ dit; ſed idem ipſum corpus, primum quidem in potentia, & natura „ animæ, & propterea animale, ſecundo autem in potentia, & „ natura Spiritus. Spiritus enim eſt Dei Verbum “. Probat deinde hanc eamdem veritatem pluribus Scripturæ teſtimoniis, quibus dicitur Verbum factum caro, appellatur Filius hominis, Filius Abrahæ, Filius David, dicitur paſſum, mortuum, & venturum judicare vivos, & mortuos. Evincit, carnem *conſubſtantialem Patri* dici non poſſe; alioquin *ipſam Patris, & Spiritus Sancti Deitatem capacem mortis* dicendum foret. *Mors quippe carnis, conſubſtantialis Verbi mors fuit*. Prӕterea: (*a*) *Sicut Filius conſubſtantialis Patri declaratur,... ſic & Spiritus Sanctus: conſubſtantialis enim eſt Trinitas. Dabitis ergo conſubſtantiali carni perfectionem, præter Filii perfectionem, & ſecundum vos quaternitas pro Trinitate prædicabitur*. Progreditur deinde ad tertiam errorum Apollinaris claſſem, & ex ipſo Jeſu Chriſti nomine evincit, illum Deum ſimul, & hominem eſſe. Addit, veram animam aſſumpſiſſe, „ (*b*) in „ ipſa morte Chriſti commonſtrari, quando corpus quidem uſque ad „ ſepulchrum tantum pervenit, anima vero uſque ad infernum „ tranſmeavit.... ſepulchrum quidem corporalem adventum excepit, ac ibi corpus adfuit, infernus vero incorporeum admiſit “. Proſequitur vero: „ (*c*) Si vice interioris noſtri hominis cæleſtem „ mentem in Chriſto fuiſſe dicatur; quo pacto igitur dolebat, an- „ xius erat, perturbabatur? Hæc autem neque carnis mente carentis, „ neque immutabilis Deitatis fuerunt, ſed animæ intelligentia præ- „ ditæ, dolentis, conturbatæ, anxiæ; quæ intra proprium corpus „ eſſe teſtatus eſt ipſe Chriſtus, cum dixit: (*d*) *Pono animam* „ *meam pro ovibus meis* “. Dein obſervat, in ſenſu Apollinaris, Chriſtum nec Deum eſſe, nec hominem: non Deum, quia anima Deus non eſt: non hominem, quia corpus ſine anima homo non eſt; ideoque, cum dicebat, Deum eſſe illum, qui ex Maria natus eſt, hoc affirmabat in ſenſu Pauli Samoſateni, & Marcioniſtarum. Poſtremo denique luculenter oſtendit, Verbum in Chriſtum non adveniſſe, ſicut in unum ex Prophetis. „ (*e*) Quis enim, ſcribit, „ Prophetarum Deus cum eſſet, homo factus eſt? Cur autem (*f*) *lex nihil ad perfectum adduxit*. Quare Dominus dixit: (*g*) *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*.

S. ATHANAS.

In ſecundo autem libro, cui titulum fecit *de Salutari adventu Jeſu Chriſti*, & in quo ſtylus nonnihil obſcurus, implexuſque apparet, oſtendere aggreditur, Deum eſſe verum hominem; quod evin- Analyſis ſecundi libri.

(a) *Pag.* 929. *n.* 9. (b) *Pag.* 933. *n.* 13.
(c) *Pag.* 935. *n.* 15. (d) *Joan.* 10. 15.
(e) *Pag.* 939. *n.* 21. (f) *Hebr.* 7. 19.
(g) *Joan.* 8. 36.

S. ATHANAS.

evincit primo ex ipſo Chriſti nomine; (*a*) *quandoquidem nomen illud paſſio, & mors conſequuntur;* ſecundo teſtimoniis Evangeliorum ſecundum Matthæum, & Marcum, in quibus legitur, Jeſum Chriſtum natum ex Maria Virgine in Bethlehem Judæ de ſtirpe David, Abraham, & Adam; tertio ex D. Paulo in pluribus ſuis epiſtolarum locis dicente; (*b*) *Chriſtum ex Virgine ea omnia ſumpſiſſe, quæcumque ab initio Deus ad conſtitutionem hominis formavit, & condidit, excepto peccato.* At objiciebant Apollinariſtæ: „ (*c*) Si ergo omnia accepit, ſane & humanas cogitationes habuit; impoſſibile autem eſt, humanis cogitationibus non ineſſe peccatum; quomodo igitur Chriſtus abſque peccato erit “? Reſpondet S. Doctor, Verbum ſumpſiſſe, quod in homine creaverat Deus, *non quod Diabolus fraude in rationali hominum natura, in prævaricatione conſtituta, & a Deo expulſa, quaſi alienum ſemen induxit.* At rurſum dicebant: „ (*d*) Si homo eſt Chriſtus, pars erit Mundi; pars autem Mundi Mundum ſalvum facere nequit “. Hoc ſophiſma, quod *Diaboli* vocat, ſolvit S. Athanaſius verbis Pſalmiſtæ, dicentis: (*e*) *Frater non redimit, redimet homo.* Addit: „ Quî fieri poteſt, ut Verbum homo factum Mundum non redimat, cum manifeſtum ſit, in qua natura commiſſum eſt peccatum, in ea quoque extitiſſe gratiæ exuberationem “? Sed iterum objiciebant: „ (*f*) Ecqua ratione poteſt natura, quæ in conſuetudine peccati edita eſt, & quæ peccati ſucceſſionem excepit, abſque peccato eſſe “? Reſpondet S. Athanaſius, peccare non eſſe ex neceſſitate naturæ, ſed ex accidenti peccatum eſſe, ideſt propter primi parentis lapſum, ideoque (*g*) *forma ſervi, quæ in Verbo apparuit, non ſolum ſe peccati expertem exhibet, ſed & peccati legem diſſolvit, & captivitatis Tyrannum in captivitatem adduxit.* Refellit demum cæteras Apollinariſtarum blaſphemias, (*h*) Deum videlicet in carne paſſum, nimirum ipſam divinitatem, quæ in Chriſto animæ vices ſupplebat, paſſioni fuiſſe obnoxiam; illiſque oſtendit, divinitatem nec paſſioni, nec dolori obnoxiam eſſe poſſe, ſed ſolum corpus, & animam; & revera Deum & paſſum, & doloribus afflictum dici, ſed in humana natura, quam ſibi copulaverat, non in divina; alioquin Judaica perfidia de divinitate triumphaſſet, & Deus immutabilis non foret.

Epiſtola ad Marcellinum.

Cum comperiſſet S. Athanaſius, quemdam ex ſuis amicis, Marcellinum nomine, poſt longam ægritudinem convaluiſſe, & totum eſſe in ſacris pervolvendis libris, ſed præſertim Pſalmorum, uniuſcujuſque intelligentiam adipiſci cupientem, illi hanc epiſtolam dedit (*i*) *in locum dulciſſimæ refectionis*, & modum exponit Pſalmos interpretandi. Caſſiodorus hoc opuſculum memorat, & commendat, ſicut

(a) *Pag.* 941. *n.* 2. (b) *Pag.* 943. *n.* 5.
(c) *Pag.* 944. *n.* 6. (d) *Pag.* 945. *n.* 7.
(e) *Pſal.* 48. 8. (f) *Ibid. n.* 8. (g) *Pag.* 947. *n.* 9.
(h) *Pag.* 949. & *ſeq.* (i) *Admon. prævia*.

ſicut & Nicænæ II. Synodi Patres. S. vero Hieronymus Opus de Titulis Pſalmorum inter Athanaſiana ſcripta enumerat; at cum de Titulis, ſeu inſcriptionibus Pſalmorum ne verbum quidem in hac epiſtola appareat, manifeſtum eſt, alium ab Hieronymo laudari librum. S. Athanas.

In hac epiſtola S. Præſul non ſuo nomine loquitur, ſed enarrare profitetur, quæ de Sacro Pſalterio a ſene quodam ſtudioſiſſimo audierat. Scribit itaque 1. „ (*a*) Omnis noſtra Scriptura cum vetus, „ tum nova divinitus inſpirata, utiliſque ad doctrinam eſt.... Attamen Pſalmorum liber quædam obſervatu digna habet iis, qui „ adtendere voluerint.... Nam liber Pſalmorum omnium reliquorum (Sacræ Scripturæ librorum) fructus quaſi inſitos in ſe „ continens, cantus edit, & proprios inſuper inter pſallendum exhibet". Addit, Pſalmorum librum „ (*b*) hoc etiam ſibi proprium & admirandum habere, quod etiam uniuſcujuſque animi „ motus, eorumque mutationes, & caſtigationes in ſe deſcriptas, & „ expreſſas contineat, ut qui ex ipſo voluerit quaſi ex imagine eos „ accipere, & intelligere, ita ſemetipſum efformare poſſit, ut illic „ ſcriptum habetur... ac in illo non ſolum quis audit præcipientem, „ quid facere oporteat, quid non oporteat, non ſolum ſcit venturum „ Salvatorem, hiſtorias noſſe, & Regum, Sanctorumque acta addiſcere „ poteſt... ſed motus inſuper animæ ſuæ ibi deprehendit, ediſcitque, & „ edocetur, quid dictu, factuque opus ſit ad curandos animæ morbos". Proſequitur dicens, Pſalmorum librum, non ſolum agendam eſſe pœnitentiam, docere, ſed & *qua ratione ſit pœnitendum; quî tolerare oporteat tribulationes*, *quid tribulatum dicere par ſit:... quid*, *qui gratias agit*, *loqui debeat: quales in perſecutione*, *quales poſt perſecutionem erepti*, *Deo ſermones proferre debeamus....* „ (*c*) Qui Pſalmos legit,.... poſt prophetias, quæ de Salvatore, „ & de gentibus ſunt, reliqua tanquam ſibi propria verba loquitur, & ea, quaſi de ſe ſcripta eſſent, quiſque pſallit, nec quaſi „ alius ea dicat, vel quaſi alium ſignificent, ea accipit, & percurrit, ſed perinde afficitur, atque ſi ipſe de ſe loquatur". Progreditur poſtea dicens: (*d*) Salvator noſter „ cæleſtem, probatiſſimamque ſuam vivendi rationem nobis exhibere volens, in ſemetipſo illam expreſſit.... quapropter non ſolum docuit, ſed & fecit, ut unuſquiſque.... in illum, quaſi in imaginem reſpiciens, „ ceu exemplar ad agendum ab illo mutuetur.... idipſum in Pſalmis intonuit, ut quemadmodum in ſemetipſo perfectum & cæleſtem hominem exhibuit, ſic ex Pſalmis motus, affectioneſque „ animorum, qui voluerit, perdiſcere valeat, cum in ipſis cujuſque motus curationem, emendationemque inveniat, & quid ad „ per- Analyſis epiſtolæ.

(a) *Pag.* 982. *n.* 2. (b) *Pag.* 986. *n.* 10.
(c) *Pag.* 988. *n.* 11. (d) *Pag.* 989. *n.* 13.

S. ATHANAS. „ perſuadendum aptius loqui oportuerit... (*a*) Similiter eum, qui „ ad virtutem properat, & Salvatoris in corpore vitæ inſtitutum „ noſſe cupit, per hanc lectionem informat, admonetque “. Obſervat poſtea, Pſalmos in varias veluti claſſes dividi poſſe: ſunt enim *alii ſub forma narrationis*, *alii propheticæ*, *alii precationis*, *alii confeſſionis*; & ſic utiles ſunt in omni humanæ vitæ eventu, & conditione. Quod oſtendit ſignans, quinam ſint in quocumque ſingulari eventu Pſalmi canendi. Illorum vituperat opinionem, qui *hæc divina Cantica* ſolum pſallunt, ut ſe ſe verborum modulatione numeroſa oblectent. „ (*b*) Quod autem cum modulatione Pſalmi „ dicantur, id non fit ex ſuavis concentus ſtudio, ſed ut Deum „ cum Pſalmiſta laudemus *in cymbalis bene ſonantibus*, *in cithara*, *& decachordo pſalterio* “. Addit, pſallentes eſſe debere *imperturbati*, *& ſedati animi*, *& verborum modulatio ex conſonantia cum Spiritu proferatur*, *& qui lingua pſallunt*, *pſallant & mente*. „ Sic Beatus David, cum eo modo Sauli pſalleret, non ſolum Deo placebat, ſed & perturbationem, & furoris morbum „ ex Saule abigebat, parabatque illius animæ tranquillitatem. Ita „ quoque Sacerdotes, dum pſallerent, populorum animos ad tranquillitatem advocabant, & ad concordiam cum iis, qui in Cælis „ choreas agunt “. Admonet vero, ut quiſquis (*c*) *hunc librum legit*, *ſincero*, *& probo animo omnia*, *quæ in illo habentur*, *ut divinitus inſpirata*, teneat, nec quiſquam audeat ea (*d*) *ornare*, *nec dicta tranſponere*, *aut ullatenus immutare*, *ſed ſine ullo artificio ea recitet*, *& pſallat*. Denique inducit ſenem narrantem „ (*e*) „ audiviſſe a prudentibus viris, quod olim in Iſraele ſola Scripturarum lectione Dæmones fugarent, & inſidias ab ipſis adverſus homines paratas retegerent. Quare omni damnatione dignos „ eſſe eos, qui his omiſſis, adſcitiſque aliunde verbis elegantibus, „ iis ſeſe exorciſtas nominarent. Potius enim ludunt, ac ſe Dæmonibus ridendos offerunt; quod accidit filiis Scevæ Judæis, qui „ eo ipſo modo exorcizare tentaverunt, ut habent Acta Apoſtolorum “.

A R-

(a) *Pag.* 990. *n.* 14. (b) *Pag.* 1000. *n.* 29.
(c) *Pag.* 1001. *n.* 30. (d) *Ibid. n.* 31.
(e) *Pag.* 1002. *n.* 33.

ARTICULUS TERTIUS.

Præſtantiora S. Athanaſii documenta ad Dogmata, Moralem, & Diſciplinam Chriſtianam pertinentia.

De Sacra Scriptura.

IN S. Athanaſii Operibus Catalogum, ſeu Canonem legimus (*a*) Sacrorum Librorum tum veteris, tum novi Teſtamenti, in quo ordinem, & ſeriem ſignat Librorum, & nomen, quod præferebant in exemplaribus ad uſum Chriſtianorum. Non recenſet autem niſi illos, *quos certis acceperat teſtimoniis, quemadmodum Patribus tradidere, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Sunt itaque*, ſcribit, *veteris teſtamenti libri omnes numero viginti duo, ut apud Hebræos traditum eſt*. Sic autem illos recenſet: Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jeſus Filius Nave, Judices, Ruth, Regnorum libri quatuor, *ex quibus primus, & ſecundus pro uno numerantur, tertius, & quartus pro uno ſimiliter;* Paralipomenon primus, & ſecundus, Eſdræ primus, & ſecundus *pro uno numerantur libro;* Pſalmorum liber, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Job, Prophetæ, *ex quibus duodecim pro uno libro numerantur*, Iſaias, Hieremias, & *cum ipſo Baruch*, Lamentationes cum Epiſtola: Ezechiel, & Daniel. Novi autem Teſtamenti ſunt Evangelia quatuor, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Acta Apoſtolorum, Epiſtolæ catholicæ numero ſeptem, Jacobi una, Petri duæ, Joannis tres, Judæ una: Pauli Apoſtoli quatuordecim; prima ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Hebræos, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ultimo ad Philemonem una; ad hæc Joannis Apocalypſis. *Hi ſunt*, ſubdit, *ſalutis fontes, ... in his ſolis pietatis doctrina docetur. Nemo iis addat, aut aliquid ab illis detrahat*. Catalogum etiam contexit librorum, quos deutero-canonicos appellamus, inter quos librum *Eſther* recenſet, & dicit, eos *a Patribus decretum eſſe, legendos ab iis, qui nuper ediſcendi pietatis verba gratia acceſſerunt*. Pſalmos eo ordine citat, quo ſunt in noſtra Vulgata diſpoſiti (*b*), unde penes Athanaſium Pſalmi 121. & 130. eodem numero ac in Vulgata habentur. Notat tamen, *ordinem Pſalmorum nequaquam hiſtoriæ, & temporum ſeriem, & rationem tenere, ... ſed Propheta, qui librum pſalmorum collegit, primo ordine poſuit eos, qui primi reperti ſunt* (*c*). Quoad Pſalmorum Auctorem *quidam*, ſcribit, *arbitrantur, omnes B. Davidis eſſe; & verum quidem eſt, univerſos Davidi adſcribi; at in titulis indicatur, quo auctore quiſque Pſalmus editus ſit* (*d*). Auctoritatem librorum

---

(a) *Ep. Feſt. p.* 962.
(b) *Orat.* 1. *contr. Ari. p.* 534.
(c) *Præfat. in Pſal. Tom.* 2. *Collect. Patr. p.* 70. (d) *Ibid. p.* 71.

S. ATHANAS.

brorum Tobiæ (*a*), Sapientiæ (*b*), & Eccleſiaſtici (*c*) etiam contra Arianos, quaſi dictati forent a Spiritu Sancto, allegat; ex quo apparet, tunc in Eccleſiis habitos ceu divinitus inſpiratos, licet in Canone librorum Sacrorum nondum numerarentur. Canticum trium puerorum in fornace citat, tanquam partem Prophetiæ Danielis (*d*), cui etiam Suſannæ hiſtoriam attribuit (*e*); de veritate Hiſtoriæ Judith nullam oſtendit dubitationem, imo & ea utitur ad oſtendendum, quandoque impudicos ad inſtar Holofernis etiam in hoc mundo ſuorum criminum pœnas luere. Tanquam narratum a S. Luca refert ſudorem, & guttas ſanguinis e Chriſti corpore in horto orantis defluentes (*f*); Epiſtolam ad Hebræos D. Paulo (*g*), Apocalypſim S. Joanni Evangeliſtæ (*h*), & S. Judæ epiſtolam ejus nomine vulgatam (*i*) adſcribit.

De Veritate Religionis.

Oſtendit, ſolam Chriſtianam Religionem veram eſſe, & toto orbe diffuſam, dum interim aliæ ſectæ, licet innumeræ, in aliquibus dumtaxat locis ita coanguſtantur, ut nec ad vicina loca ſe queant extendere. Nam quilibet populus proprium Numen habet, quod ab aliis minime colitur; at Jeſum Chriſtum e contra omnes Orbis plagæ ceu Deum venerantur una cum Patre. Probat etiam eamdem veritatem ex virtutis profeſſione, *quæ inſignis* elucet *in Chriſti Virginibus*, *nec non in adoleſcentibus*, *qui caſtimoniam profitentur* (*k*), quod penes ſolos Chriſtianos reperitur. Probat ex ingenti Martyrum numero, nec non ex invicta eorum in tormentis conſtantia; ex virtute, & efficacia Crucis, Gentibus ſtultitia; nam ejus ſigno præſtigia Dæmonum diſſipantur, Oraculorum falſitas detegitur, Magorum vires franguntur, & veneficiis, ac venenis vis nocendi eripitur.

De divina in tribus Perſonis natura.

Deum, qui Chriſtianæ Religionis objectum eſt, *ipſa rerum natura ſuum effectorem*, *&* *auctorem*, *ac totius Univerſi rectorem*, *Domini Noſtri Jeſu Chriſti Patrem aperte teſtatur* (ſcribit Athanaſius) (*l*) in admiranda diſpoſitione, & ordine, & curſu Aſtrorum, *in conſona Elementorum harmonia*, quæ licet contraria, *in unum tamen colligantur corpus;* quod potentiam oſtendit illius, *qui ea ſimul copulavit;* ex anni temporibus ſibi invicem ſuccedentibus, *hyemem veri*, *ver æſtati*, *æſtatem autumno ſuccedere* (*m*)*; ex nubium per aerem diffuſione*, & *pluviarum e cælo delapſu*; *ex fontium*, *&* *fluviorum ſcaturigine* (*n*)*;* denique ex ordine Univerſi.

„ Cum

(a) *Apol. contr. Arian. p.* 133. *n.* 11.
(b) *Orat.* 2. *contr. Arian. p.* 513. *n.* 45.
(c) *Ep. ad Epiſc. p.* 272. *n.* 17.
(d) *Orat.* 2. *contr. Arian. p.* 539. *n.* 71.
(e) *Orat.* 1. *cont. Arian. p.* 417. *n.* 13. (f) *Tom.* 1. *p.* 1121. *n.* 18.
(g) *Ibid. p.* 894. *Epiſt. ad Afros n.* 4.
(h) *Lib. de Spir. S. p.* 970. (i) *Tom.* 2. *Collect. PP. p.* 2.
(k) *De Inc. p.* 89. *n.* 48. (l) *Orat. contr. Gent. p.* 25. *n.* 27.
(m) *Ibid. n.* 36. (n) *Ibid. n.* 35.

„ Cum nihil in eo incondite, & turbide, ſed omnia concinne, „ compoſiteque, & quam aptiſſime cohæreant... Siquidem ipſe diſ- „ poſitionis ordo, omniumque partium concors conſpiratio non „ multos, ſed unum Mundi ducem, & moderatorem Verbum eſſe „ manifeſte oſtendit. Nam ſi plures Mundo præeſſent, ordo ille ſer- „ vari non poſſet (*a*)". Hunc Deum nec *corporeum* eſſe, nec cor- rumpi poſſe, aut mori affirmat (*b*), *nec compoſitum vel ex parti- bus, vel ex ſubſtantia, & accidente* (*c*), ſed ſimplicem, & *natu- ra inviſibilem* (*d*), *uniuſque ſubſtantiæ*. „ Quomodo enim plures „ Dii (ſcribit), cum omnia quæ Cæli, & terræ ambitu continen- „ tur, unus & verus Deus impleat? Quomodo etiam alius opifex „ earum rerum fuerit, quarum ipſe Deus, & Pater Chriſti eſt „ Dominus? Summæ dementiæ eſt duos admittere Deos, alium bo- „ num, alium malum, cum divina natura æqualem non admittat „ virtute, & potentia (*e*)". Verum Deus noſter in tribus Perſo- nis ſubſiſtit coæternis, & increatis, „ non ut in hominibus pro na- „ tura corporum accidit, ne, ut gentes, Deorum multitudinem in- „ ducamus,... ſed ut fons non eſt fluvius, neque fluvius eſt fons, „ at eadem eſt aqua, quæ ex fonte permanat in fluvium, ſic Pa- „ ter non eſt Filius, nec Filius eſt Pater; nam Pater Filii Pater „ eſt, & Filius eſt Patris Filius; una tamen divinitas ex Patre in „ Filium abſque fluxione, & diviſione diffunditur (*f*). Hinc vene- „ randa animalia, trina iſta Sanctus Sanctus Sanctus iteratione, „ tres perfectas denotant hypoſtaſes, quemadmodum cum ſemel „ vocem *Dominus* proferunt, unicam indicant ſubſtantiam" (*g*). *Sicut Filius conſubſtantialis Patri declaratur, ſic & Spiritus San- ctus; conſubſtantialis enim eſt Trinitas* (*h*), *cum unum ſit nomen, una divina natura* (*i*). Ita autem eſt una, & *individua*, ut ubi *Patris mentio ſit, ejuſdem ſtatim Verbum, ac in Filio Spiritus de- beat, intelligi; quod ſi Filius nominetur, ſimiliter in Filio eſt Pa- ter, nec extra Verbum eſt Spiritus Sanctus* (*k*). Et licet D. Atha- naſius uſurpet, loquens de tribus Perſonis, nomen *hypoſtaſis*, quod pro perſona ſumit, & ideo tres in Deo hypoſtaſes prædicet, mini- me tamen illos damnat, qui unicam dicunt *hypoſtaſim*, *exiſtiman- tes, perinde eſſe, dicere hypoſtaſim, atque dicere ſubſtantiam* (*l*); in quo ſenſu & ipſe in ſua ad Africanos epiſtola nomen hypo- ſtaſis uſurpaverat, ſcribens: *Hypoſtaſis, & ſubſtantia idipſum eſt* (*m*).

S. Athanas.

(a) *Ibid. p.* 36. *n.* 38. (b) *Ibid. p.* 21. *n.* 22.
(c) *De Decr. Nic. Syn. pag.* 227. *n.* 2.
(d) *De Incar. p.* 94. *n.* 54. (e) *Contr. Gent. p.* 6. *n.* 6.
(f) *Expoſ. Fid. p.* 100. *n.* 2. (g) *Ib. p.* 108.
(h) *Cont. Apoll. p.* 929. *n.* 9. (i) *Ibid. pag.* 950. *n.* 13.
(k) *Epiſt. ad Ser. p.* 663. *n.* 14.
(l) *Ad Antioch. pag.* 773. *n.* 6.
(m) *Epiſt. ad Afros pag.* 894. *n.* 4.

S. ATHANAS. De Patris Perſona. De Patre loquens S. Athanaſius dicit, nomen hoc melius illi convenire, quam *non facti* (*a*), Patrem *æternum* eſſe, *immortalem*, *Regem omnipotentem*, *Deum*, *Dominum*, *Creatorem*, *& effectorem*, & *immutabilem*; *nec Patrem ex Patre eſſe* (*b*); *nec unquam Filium eſſe poſſe, qui a ſe iſo habet, ut ſit* (*c*); *natura, non voluntate Filii Patrem eſſe* (*d*); *Verbum ſua ex ſe ipſo natura gignere, prævia nulla adhibita deliberatione* (*e*). *Hinc Pater nunquam ſine ſuo Verbo, & ratione fuit* (*f*); *quis enim a Sole ſplendorem ſeparabit, aut fontem vena aliquando deſtitutum cogitabit* (*g*)? „ Quocirca, cum Deus ſit natura ſimplex, unius quoque, & „ ſolius Filii eſt Pater, non multorum Verborum ſibi invicem ſuc„ cedentium, ut homines plures Filios ſucceſſive generant (*h*). Ver„ bum vero ſuum gignit abſque ulla diviſione, nihil omnino pa„ tiendo (*i*), quia Patris natura immutabilis eſt (*k*); & Pater, „ ac Filius ita ſunt unum, ut lux, & ſplendor una res eſt (*l*). „ Forma, & divinitas Patris hoc ipſum eſt, quod Filius (*m*), „ & Spiritus Sanctus unus Deus in Sancta Trinitate cognitus „ (*n*). Licet Pater Creator ſit, & effector (*o*), omnia ta„ men per Verbum in Spiritu creat, & renovat (*p*), & guber„ nat “.

De Perſona Filii. „ Verbum eſt Sapientia, Ratio, Potentia, Lumen, Veritas, Ju„ ſtitia, Figura, Splendor, & imago Patris, denique perfectiſſi„ mus Patris fructus, ſoluſque Filius, & quam ſimillima imago „ eſt (*q*). Filius non eſt per gratiæ participationem, ſed natura, „ & ſubſtantia genitus (*r*), unum cum ſuo Patre, conſubſtantia„ lis, & æqualis Patri, ita ut quidquid habet natura, & ſubſtantia „ Pater, habeat & Filius; unde merito dicere potuerit: *Qui videt* „ *Filium, videt & Patrem* (*s*), cum nihil ſimile habeat cum rebus „ creatis, illis conſubſtantialis non eſt: cum item omnia, quæ Patris „ ſunt, ejuſdem propria ſint, verum eſt, eum Patri conſubſtantia„ lem eſſe. Hæc ſiquidem fuit mens, & ſententia Patrum, cum in „ Nicæna Synodo Filium conſubſtantialem, & ex ſubſtantia Patris

„ eſſe

(a) *De Decr. Nic. Synod. p.* 236. *n.* 30.
(b) *Orat.* 1. *cont. Arian. p.* 425. *n.* 21.
(c) *Exp. Fid. p.* 99. *n.* 1.
(d) *Orat.* 3. *cont. Arian. p.* 615. *n.* 66. (e) *Ib. p.* 609. *n.* 61.
(f) *Orat.* 1. *cont. Arian. p.* 424. *n.* 19.
(g) *De Decr. Nic. Synod. p.* 218. *n.* 12. (h) *Ibid.*
(i) *Ibid. n.* 11. (k) *Or.* 1. *cont. Ar. p.* 440. *n.* 35.
(l) *De Decr. Nic. Synod. p.* 229. *n.* 24.
(m) *Orat.* 3. *contr. Arian. p.* 553. *n.* 3.
(n) *Epiſt. ad Afros p.* 900. *n.* 11.
(o) *Orat.* 1. *cont. Arian. pag.* 425. *n.* 21.
(p) *Ep. ad Serap. p.* 673. *n.* 24.
(q) *Orat. cont. Gent. p.* 46. *n.* 46.
(r) *Orat.* 1. *cont. Ar. p.* 412. *n.* 9.
(s) *Orat.* 3. *cont. Ar. p.* 570. *n.* 20.

„ eſſe confeſſi ſunt (*a*). Nomen Filii unici, & unigeniti illi ma-
„ xime convenit, cui nulli alii ſunt fratres, & qui ſolus eſt Patris S. ATHANAS.
„ Filius (*b*); nec factus, nec creatus dici poteſt; nec inter res crea-
„ tas collocetur, & ex nihilo factus putetur, ſicut nec initium ha-
„ buiſſe; nec credatur, quod fuerit aliquando, cum Filius non fuit
„ (*c*)". Quod ſi vox *factum*, *&* *creatum* ſano ſenſu accipiatur, uſurpari poterit loquendo de Verbi generatione (*d*). Et S. Præſul notat, in Sacris Scripturis quandoque uſurpari ad naturalem generationem deſignandam, eo prorſus modo, ac ſi diceretur *genitum* (*e*). *Homines patiendo gignunt, quippe qui fluxam habent naturam, & tempus propter propriæ naturæ infirmitatem expectant* (*f*), & eorum verbum perit, quia & ipſi pereunt, cum ex nihilo ſint. At Deus, qui eſſentia æternus eſt, Verbum æternum generat natura, non voluntate; non *tamen nolente Patre eſt Filius, ſed Pater vult Filium, atque, ut ipſe loquitur, Pater diligit Filium, & omnia oſtendit illi* (*g*).

„ Verbum cum ad nos venit, ex Virgine ſibi ipſi corpus forma-
„ vit, ut omnibus non parvum ſuæ divinitatis argumentum ex-
„ hiberet, ut ſcilicet inde pateret, eum, qui corpus illud formave-
„ rat, aliorum quoque corporum opificem eſſe (*h*): Carnem vero
„ aſſumendo nullam in natura paſſus eſt mutationem, dicente Apo-
„ ſtolo: *Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula* (*i*): cum enim Patris natura ſit immutabilis, non dubium eſt, quin immutabilis ſit quoque proprius, qui ex ea oritur, fœtus (*k*): *nec carne aſſumpta, diminutus eſt, ſed potius divinum reddidit, quod induit, eoque humanum genus mirifice locupletavit* (*l*). Nunquam ſegregatus fuit a corpore, nec dum in Cruce pendebat, nec dum in ſepulchro jacebat; fuit etiam conjunctus cum anima *cum abiit, ut prædicaret his, qui in carcere erant ſpiritibus* (*m*). Hoc Chriſti corpus virtute Verbi ſibi uniti ſupra vires naturæ reſurrexit, & factum eſt incorruptibile. *Qui Verbum a carne dirimunt, hi profecto nullam peccati redemptionem, nullamve mortis ſolutionem autumant fieri* (*n*). *Nec in corpore circumcluſus erat Dei Filius, & cum nulla re contineretur, ipſe omnia in ſe continebat* (*o*). Jeſus Chriſtus *caput eſt Eccleſiæ* (*p*), *Auctor vitæ, Epiſcopus Animarum, Dominus Angelorum, & Poteſtatum* (*q*): „ Factus eſt Pontifex,

V 2 „ cum

(a) *Ep. ad Serap. p. 686. n. 5.*
(b) *Orat. 2. cont. Ar. p. 530. n. 62.*
(c) *De Decr. Nic. Syn. p. 231. n. 26.*
(d) *Or. 2. cont. Ar. p. 472. n. 4.* (e) *Frag. in Job p. 1263.*
(f) *Or. 1. cont. Ar. p. 432. n. 28.*
(g) *Or. 3. cont. Ar. p. 615. n. 66.*
(h) *De Inc. Verb. p. 63. n. 18.* (i) *Ad Heb. 13. 8.*
(k) *Orat. 1. cont. Ar. p. 440. n. 36.* (l) *Ib. p. 446. n. 42.*
(m) *Ad Epict. p. 905. n. 5.* (n) *Ad Adel. p. 914. n. 5.*
(o) *Pag. 611. n. 17.* (p) *Orat. contr. Gent. p. 40. n. 41.*
(q) *De ſent. Dion. p. 248. n. 8.*

S. ATHANAS. „ cum carnem ſumpſit, ut quid ad offerendum tanquam Pontifex „ habens, ſe ipſum offerret Patri, omniumque peccata proprio ab- „ lueret ſanguine, & cunctos e mortuis ſuſcitaret (*a*). Binas diſtinguit S. Athanaſius Chriſti generationes, ſeu, ut ipſe loquitur, *egreſſus*, & *progreſſus*, *alter quidem ante omnem æternitatem ex Patre factus*, *alter vero ex Virgine*, *qui contigit in conſummatione ſæculorum* (*b*); & hoc ſecundo, *corpore pro omnibus patiendo*, *ſalutem donavit omnibus* (*c*).

De Spiritus Sancti perſona. De Perſona Spiritus Sancti non obſcure indicat S. Athanaſius, ſe credere, illum a Patre, & Filio procedere, & ejus a Patre proceſſionem conceptis verbis fatetur (*d*): de proceſſione autem a Filio mentem ſuam explicat, dum illum *Spiritum Filii* appellat (*e*), *per Filium mitti*, & *dari* docet, *ex Filio accipere* (*f*), *nec a mittente Patre*, *nec a ferente Filio ſeparari poſſe* (*g*); *quæcumque Spiritus habet*, *hæc a Verbo habere* (*h*); *eſſe proprium Spiritum Filii*, *ſecundum ſubſtantiam* (*i*). Ex quibus omnibus teſtimoniis licet S. Præſul luculenter ejus divinitatem oſtendat, nihiloſecius alibi eamdem veritatem ex profeſſo confitetur, & probat, ſcribens: „ Impium eſt, creatum, aut factum dicere Spiritum Dei, ubi omnis „ Scriptura vetus, & nova cum Patre, & Filio ipſum annumerat, & glorificat (*k*). Hinc, ſubdit, Nicæna Synodus.... eos, „ qui Spiritum Sanctum dicunt eſſe creaturam, confutat. Cum enim Patres de fide in Filium pertractaſſent, ſtatim addiderunt: „ *Credimus & in Spiritum Sanctum* (*l*)". Ulterius ex Scripturis confirmat, eſſe Spiritum Sanctum *ejuſdem cum Patre*, & *Filio ſubſtantiæ*, & *utrique conſubſtantialem* (*m*), eamdem habere cum Patre, & Filio ſubſtantiam, potentiam, gloriam. „ Si enim, ſubdit, „ propter Verbi cum Patre unitatem, dici non poteſt, Filium eſſe „ e rebus factis, quis Spiritum Sanctum, qui eamdem habet „ cum Filio unitatem, quam Filius cum Patre, rem creatam eſſe „ audeat dicere (*n*)"?

De creatione, & ſtatu hominis ante, & poſt peccatum. Mundi fabricam, & rerum omnium creationem non ſponte, & fortuito factam oſtendit S. Athanaſius, quia, inquit, „ ſi omnia „ ſua ſponte, & ſine providentia exorta fuiſſent, omnia ſimilia, „ non diſſimilia fieri debuiſſent, & in homine v. g. totum debuiſſet „ eſſe vel manus, vel oculus, vel pes.... Ordo autem, & rerum „ diſpoſitio certum argumentum eſt, iſta non ſua ſponte facta fuiſ- „ ſe (*o*)", nec ex præexiſtente condita materia; nam in Deo impo-

(a) *Tom.* 1. *p.* 475. (b) *Frag. Com. in Pſal. p.* 1256.
(c) *De ſent. Dion. p.* 465. *n.* 60. (d) *Tom.* 1. *p.* 149. 108.
(e) *Ep. ad Serap. p.* 673. *n.* 25.
(f) *Ep. ad Ser. p.* 669. *n.* 20. (g) *De ſent. Dion. p.* 255.
(h) *Orat.* 3. *contr. Ar. p.* 574. *n.* 24.
(i) *Ep. ad Ser. p.* 673. *n.* 25. (k) *De Inc. p.* 876. *n.* 9.
(l) *Ad Afros epiſt. p.* 899. *n.* 11.
(m) *Ep. ad Serap. p.* 676. *n.* 27. (n) *Ib. p.* 649. *n.* 2.
(o) *De Inc. Ver. p.* 48. *n.* 2.

impotentia, & imbecillitas foret admittenda, *ſed per Verbum, Patrem in Spiritu Sancto omnia ex nihilo feciſſe* (a); *eoque modo Sanctæ Trinitatis unitas oſtenditur* (b); cujus *una eſt efficacitas, & actio* (c). Quamvis Deus Mundum condendi ſemper habuerit poteſtatem, Mundus tamen ſemper fuiſſe non videtur, & antequam crearetur, nihil erat cum Patre præter Filium, & Spiritum Sanctum. Cæterum „ cum res omnes creatæ pro ſua conditione fluxæ „ ſint, & diſſolubiles, ne in nihilum rediret Mundus,... Verbo, „ quod ipſum quoque Deus eſt, univerſam naturam Pater guber- „ nat, & ſuſtentat (d). Homo vero ex ſua natura mortalis eſt, „ quippe qui ex nihilo factus eſt (e); ſed immortalis eſt ejus ani- „ ma, & ſemper vivit, & corpus movet, nec anima moritur, ſed „ deceſſu ejus corpus moritur, ſed ipſa vivit,... ſiquidem animæ „ motus nihil aliud eſt, quam ejus vita (f) “. De primo homine dein dicit, natura ſua liberum factum, & ſine peccato, Serpentis aſtu, & perſuaſione lapſum eſſe, & ſic invidia Diaboli mors intravit in Mundum, qui ut legem datam tranſgrederetur, primo homini perſuaſit; ex qua tranſgreſſione malo inimici fermento obnoxius factus eſt. S. ATHANAS.

De reparatione humani generis per Christum.

„ Sed quia non decebat (ſcribit S. Athanaſius) res imaginis „ Dei ſemel factas participes perire,... nec per homines fieri pot- „ erat, ut imago Dei fœdata renovaretur, Dei filius mortale cor- „ pus accepit, ut & mors in ipſo deleri, & homines ad Dei ima- „ ginem facti refici poſſent (g). Perierat, ſubdit, prima per A- „ damum via, nec amplius in Paradiſum tendebamus, ſed ad mor- „ tem deflexeramus, audieramuſque: *Terra es, & in terram reverteris*; idcirco clementiſſimum Dei Verbum, volente Patre, crea- „ tam carnem induit, ut quam primus homo, violata lege, morte „ affecerat, eidem ſui corporis ſanguine vitam redderet, nobiſ- „ que viam novam, & viventem per *velamen*, ut ait Apoſtolus, „ ideſt, per carnem ſuam innovaret (h). Ideo mortale corpus ac- „ cepit, ut mors in ipſo deleri, & homines ad imaginem Dei fa- „ cti refici poſſent: nemo autem alius ad id negotii fuit idoneus, „ niſi ſola imago Patris (i). Niſi enim Dominus, qui in forma „ Dei erat, homo factus fuiſſet, & propter nos, & noſtri vice ſer- „ vus factus eſſet, nunquam nos a peccato redimi, vel a mortuis „ excitari putuiſſemus, ſed mortui ſub terra remanſiſſemus, nec un- „ quam in cælum fuiſſemus evecti (k) “. Cauſa itaque Incarnationis juxta D. Athanaſium fuit neceſſitas hominum, ut a ſervitute

 peccati

(a) *Ep. ad Ser. p. 676. n. 28.* (b) *Ib.*
(c) *Ibid.* (d) *Cont. Gent. p. 40. n. 41.*
(e) *De Incarn. Ver. p. 51. n. 4.* (f) *Cont. Gent. p. 32. n. 33.*
(g) *De Inc. Verb. p. 58. n. 13.*
(h) *Orat. 2. cont. Arian. p. 533. n. 65.*
(i) *De Inc. Verb. p. 58. n. 13.*
(k) *Orat. 1. cont. Ar. pag. 448. n. 43.*

S. ATHANAS.

peccati liberarentur; quod tamen intelligendum eſt in hypotheſi de rigoroſa ſatisfactione a Deo pro peccatis exacta: alibi enim S. Epiſcopus ſponte ſatetur, & agnoſcit, quod re abſolute ſpectata „ etiam ſine Chriſti adventu poterat Deus tantummodo dicere, atque „ ita ſolvere maledictionem. Verum attendere oportet, quid ſit „ hominibus utile, non autem quid in omnibus poſſit Deus (*a*)". Hinc deducit D. Athanaſius, Verbum carnem ſumere, conveniens fuiſſe, ut impleretur *myſterium Chriſti*, *quod ante Mundi conſtitutionem decretum eſt* (*b*). Venit autem Filius Dei in Mundum, & *noſtram carnem ex Virgine aſſumpſit poſt quadraginta duas ætates* (*c*) *ex ſemine Abraham*, & *ex Tribu Juda* (*d*) „ & homo factus eſt, non in hominem venit, ne forte impii aliqui exiſtiment, quemadmodum olim Verbum in unumquemque Sanctorum „ deſcendit, ita etiam in hominem veniſſe, ut eum Sanctum redderet, ut in aliis contigit. Sed Dei Verbum & filius hominis „ fieri non renuit, . . . & cum in fine ſæculorum ad deſtruendum „ peccatum ex Maria prodiit, . . . tunc dictum eſt, ipſum carne aſſumpta, hominem factum eſſe (*e*), quam ipſe dignam effecerat, „ ut Dei Verbo jungeretur (*f*). Si caro Chriſti, quam aſſumpſit, „ vera non fuiſſet, quid nobis profuiſſet (*g*)? *Sed carnis cum Verbo Dei conjunctio ex utero facta eſt Virginis*, & tam arcta, ut ex illo momento *utraque natura*, *divina*, & *humana*, *unus ſit omnino perfectus*, *idem Deus*, & *homo*, *non quod perfectio divina in humanam perfectionem mutata ſit*, *nec quod duæ perfectiones diviſæ dicantur*, *ſed ratione exiſtentiæ indeficientis* (*h*). Ut duarum naturarum in Chriſto unionem exprimeret S. Athanaſius, non ſemel Chriſtum appellat *hominem Dominicum* (*i*). Docet, illum eſſe Patri *conſubſtantialem* (*k*), non alium eſſe Chriſtum, alium Verbum, ſed unam, eamdemque perſonam; aliquando in Scriptura appellari *brachium Patris* (*l*), *dexteram Patris* (*m*); ſolum agnoſci verum Deum ab omnibus nationibus (*n*); *eſſe Deum perfectum*, & *hominem perfectum* (*o*); ſecundum humanam naturam nobis eſſe *conſubſtantialem* (*p*); & dici *fratrem noſtrum*, & *primogenitum* (*q*). *Humana omnia implevit præter peccatum* (*r*); *ipſe namque ſolus peccatum non fecit* (*s*), nec in ore ejus eſt inventum mendacium, & cum utramque naturam divinam, & humanam in ſe copulave-

(a) *Orat. 2. cont. Arian. pag. 536. n. 68.*
(b) *Expoſ. in Pſal.* (c) *De Synod. p. 740. n. 5. & pag. 632.*
(d) *Tom. 2. Coll. Patr. pag. 17.*
(e) *Orat. 3. cont. Ar. p. 580. n. 30. 31.* (f) *Pag. 464.*
(g) *Pag. 533.* (h) *Cont. Apol. lib. 1. p. 936. n. 16.*
(i) *Exp. in Pſal. p. 1038.* (k) *Pluribus in locis.*
(l) *De Inc. p. 886. n. 19.* (m) *Exp. in Pſal. p. 1142.*
(n) *Cont. Gent. p. 88.* (o) *Cont. Ar. lib. 1. p. 936. n. 17.*
(p) *Ib. p. 932. n. 13. & de Sent. Dion. p. 250. n. 10.*
(q) *Tom. 1. p. 252.* (r) *Exp. in Pſal. p. 1195.*
(s) *Ibid. pag. 1038.*

pulaverit, in Scripturis *homo dicitur Chriſtus*, *Deus quoque dicitur Chriſtus*, *& Deus & homo eſt Chriſtus*, *& unus eſt Chriſtus* (*a*). *De Humanitate ejus ſunt illa verba prolata: Ego ſum vitis*, *& Pater meus agricola eſt* (*b*). *De Divinitate* vero illa: *Ego ſum in Patre*, *& Pater in me eſt*, *qui videt me*, *videt & Patrem meum* (*c*). Et utraque diſtinguenda natura in iis, quæ Paulus ad Philippenſes ſcribit: *Qui cum in forma Dei eſſet*, *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens* (*d*), *& egenus factus eſt*, *cum eſſet Deus* (*e*). „ Cum illum manducaſſe, bibiſſe, & natum eſſe audimus, obſervandum, quod corpus, ut corpus naſcebatur, & congruentibus nutriebatur alimentis; ipſe vero, qui corpori conjunctus erat Deus Verbum, ... per ea, quæ in corpore agebat, non hominem, ſed Deum Verbum ſe eſſe aperte indicabat; . . . nam & Dæmonibus imperabat, viſum tribuebat cæcis, Lazarum reſuſcitabat, & alia mira faciebat, quæ illum non hominem, ſed Dei Verbum eſſe oſtendebant (*f*) “. Quamvis tamen ſint duæ in Chriſto diſtinguendæ naturæ, nec unius proprietates ſint alteri adſcribendæ, una tamen erat Perſona, quæ in utraque operabatur natura. *Verbum eſuriebat*, *ſitiebat*, *item Verbum mortuos ſuſcitabat*. „ Hæc autem nequaquam diviſim facta ſunt, . . . ita ut, quæ a corpore fierent, ſine divinitate, quæ autem a divinitate, ſine corpore exhiberentur; ſed conjunctim omnia agebantur, & unus erat dominus, qui ea mirabiliter efficiebat. Spuebat enim, ut homo, ſputum tamen divinum erat; per ipſum quippe cæco a nativitate viſum reſtituit (*g*): Cum vero ajebat: *Pater*, *ſi fieri poteſt*, *tranſeat calix iſte*, *verumtamen non mea*, *ſed tua voluntas fiat*. *Spiritus quidem promptus eſt*, *caro autem infirma* (*h*); duas hic voluntates eſſe ſignificat, humanam, quæ eſt carnis, & divinam. Humana quippe voluntas, quam *ſuam* dicebat, propter carnis infirmitatem abnuit paſſionem: divina vero voluntas prompta erat, quam appellabat *Patris* (*i*). Carnem ſuam abſque carnalibus cupiditatibus, & abſque humanis cogitationibus .... exhibuit: voluntas enim ſolius divinitatis erat“ (*k*) (1). Subdit: „ Nemo eſt, qui Chriſti Patrem ſecundum carnem indicare

V 4 poſſit,

S. Athanas.

(a) *Cont. Apoll. p.* 932. *n.* 13. (b) *Joan.* 15. 1.
(c) *Ibid.* 10. 38. (d) *Ad Phil.* 2. 6. 7.
(e) 2. *ad Corinth.* 8. 9. (f) *De Incar. Verb. p.* 62. *n.* 18.
(g) *Ep. ad Ser. p.* 705. *n.* 14. (h) *Marc.* 14. 36. 38.
(i) *Frag. in Luc. p.* 1270. *& de Incar. p.* 887. *n.* 21.
(k) *Cont. Apol. p.* 947. *n.* 10.
(1) Athanaſii ſententia eſt, voluntatem in Chriſto ita ſolius divinitatis eſſe, ut ex divini Verbi voluntate omnes in Chriſto cogitationes, actuſque prodirent, ita ut nulla in eo carnalis cupiditas, nulla humana cogitatio, vitioſa ſcilicet, oriretur. Nec humanam tamen ineſſe Chriſto voluntatem negat, quam diſerte pluribus in locis, ſed præſertim de Incarnatione, & contra Arianos p. 887. n. 21. admittit.

S. ATHANAS.

„ poſſit, cum ejus corpus non ex viro, ſed ex ſola ſit Virgine; „ unde & ejus corporea generatio enarrari nequit (*a*)". *In conſummatione vero ſæculorum* morti ſe tradidit, *ut nos, qui mortui eramus, liberaret* (*b*); dedit pro corpore corpus, animam pro anima, & totum, quod habebat, ut totum hominem ſalvum faceret. „ Mors fuit ſolius corporis propria (*c*); neque enim tanta mortis „ vis fuit, ut ſubjiceret ſibi humanam Verbi animam, ac eam in „ vinculis detineret (*d*); corpus quoque ſuum non diu exanime ja„ cere ſivit, ſed... tertia die ſtatim a mortuis excitavit, corporis „ incorruptionem, & indolentiam, veluti trophæa, & palmas, „ morte victa, reportans (*e*); immo propter Verbum in ſe inha„ bitans incorruptum permanſit in ſepulchro, quod ſolum ut mori „ poſſet, aſſumpſit, & illud morti tradens, morti pro omnibus ſa„ tis eſſet (*f*). Neque vero hujuſmodi corpus a Verbo dividentes „ adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipſum a carne „ removemus, ſed idem Verbum in carne exiſtens, Deum agnoſci„ mus (*g*). Chriſtus ſicut ſponte ſua moritur, ita propria virtute „ excitatur, utpote Deus (*h*). Poterat quidem ſtatim poſt mortem „ corpus exſuſcitare, & vivum iterum oſtendere; at ne inde poſ„ ſet aliquis ſuſpicari, illud nequaquam mortuum eſſe,... poſt trium „ dierum ſpatium immortale, & incorruptibile exhibuit, palamque „ fecit, non imbecillitate naturæ, Verbi inhabitantis mortuum eſ„ ſe corpus, ſed ut mors, virtute Salvatoris, in ipſo deſtrueretur „ (*i*). Dum autem corpus ad ſepulchrum pervenit, anima ad in„ fernum uſque tranſmeavit, ut vincula animarum in Inferno de„ tentarum diſrumperet (*k*). Deitas tamen neque corpus in ſepul„ chro deſeruit, nec ab anima in inferno ſeparata fuit (*l*), ſic„ ut nec ſeparata a divina gloria ſervi forma, ſed eamdem glo„ riam præ ſe fert (*m*): Hinc, cum Dominum in carne adora„ mus, non rem creatam adoramus, ſed Creatorem creato indutum „ corpore (*n*)".

De Lege Moſaica. De Eccleſia, ejuſque notis. De Conciliis. De Fide.

„ Quæ in lege apparebant, (ſcribit S. Athanaſius) meræ e„ rant figuræ; & licet per Angelos promulgata, neminem redde„ bant perfectum (*o*); poſt Chriſti adventum non neceſſe eſt lega„ lia de ſacrificiis præcepta ſervare, & Deum nihil eorum acce„ pturum; ſuperflua enim ſunt (*p*)". Hoc inter Synagogam, & Eccleſiam diſcrimen aſſignat, *quod Synagoga de filiis lætata non fuerit*,

(a) *De Inc. p.* 78. *n.* 37. (b) *De Incarn. p.* 64. *n.* 20.
(c) *Orat.* 2. *contr. Arian. p.* 533. *n.* 66.
(d) *Cont. Apoll. lib.* 1. *p.* 933. *n.* 14. (e) *De Inc. p.* 691. *n.* 26.
(f) *Ib. p.* 54. *n.* 9. (g) *Ad Adel. p.* 912. *n.* 3.
(h) *De Incarn. & cont. Ar. p.* 888. *n.* 21.
(i) *De Inc. p.* 69. *n.* 26. (k) *Cont. Apol. p.* 933. *n.* 13.
(l) *Ib. p.* 951. *n.* 14. (m) *Ib. p.* 952. *n.* 15.
(n) *Ad Adel. p.* 915. *n.* 6.
(o) *Orat.* 1. *contr. Ar. p.* 464. 465. *n.* 59.
(p) *Exp. in Pſal. p.* 1085.

ſuerit, utpote perniciei traditis; Eccleſia vero eſt multorum filiorum mater cum lætitia: nam filii ejus per fidem in Chriſtum ſalutem nacti ſunt (*a*). *Unum eſſe Eccleſiæ corpus* ex omnibus gentibus (*b*), ſcribit, & eam appellat *civitatem munitam*, *quæ Dei virtute circumvallata eſt* (*c*). Addit: „Sicut Deus Epiſcopis eccle- S. ATHANAS.
„ ſiaſtica concredidit, nec illis imperare licet; ita Principes non
„ ſe debent eccleſiaſticis miſcere, nec de his rebus præcepta dare;
„ nam reddenda ſunt, *quæ ſunt Cæſaris*, *Cæſari*, *quæ ſunt Dei*,
„ *Deo*, & Eccleſiæ decretum ab Imperatore non accipit auctori-
„ tatem (*d*)". Hinc patet, etiam tunc temporis ſtudioſe ſecerni conſueviſſe, quid ad Cæſarum ſpectaret auctoritatem, & quænam Eccleſiæ Præſulibus convenirent.

Ut quis vere fidelis dicatur, non ſufficit (ſcribit S. Præſul), *etiamſi ſexcentos annos in fide tranſegerit,... cum vitam exhibeat ei minime convenientem; illum namque perfectum vocamus, qui cum fide probam ducit vitam* (*e*). „Nec nunc fides noſtra inci-
„ pit, ſed a Domino per diſcipulos ad nos uſque pervenit, nec
„ nunc primum canones, & ſtatuta Eccleſiæ data ſunt, ſed a Pa-
„ tribus noſtris recte firmiterque ſunt tradita (*f*). Hinc qui nulla
„ impellente cauſa, de fide ſcribunt, rem agunt certe inutilem,
„ cum candida fratrum corda perturbent (*g*), & inſanientis eſt,
„ myſteria inſcrutabilia ſcrutari (*h*); nam quæ fide traduntur,
„ cognitionem habent non curioſe perſcrutandam (*i*). Evange-
„ lii doctrinam in Adamo ab ipſo Domino incepiſſe, qui cum in
„ fine ſæculorum veniſſet, ait: Non mandatum novum do vobis,
„ ſed mandatum vetus, quod ab initio audiſtis; & hanc doctrinam
„ antiquos tenuiſſe Patriarchas (*k*). Fruſtra Arianos verba *ſubſtan-*
„ *tiæ*, & *conſubſtantialis* tanquam nova, & peregrina contemne-
„ re, & rejicere,... quia in Scripturis non extarent, & ut futi-
„ les, ac mente non ſanos eſſe repellendos,.... cum ſeipſos hic
„ etiam potiſſimum accuſent, quod primi huic rei locum dederunt,
„ qui ipſi excogitatis vocibus, quæ in Scriptura non habentur, bel-
„ lum Deo cœperint inferre (*l*)"; nullam habuiſſe legitimam cauſam tot cogendi Concilia (*m*); fruſtra, & incaſſum iterum ad examen revocata ea dogmata, quæ *jam Patres, qui ex univerſo Orbe Nicææ convenerant, definiere, & quæ comprobaverant Synodi omnes per Dalmatiam, Dardaniam, Macedoniam, Epirum, Græciam,... Cyprum, univerſam Ægyptum, Libyam* congregatæ in cau-
ſa

(a) *Ibid. p.* 1199. (b) *Ep. ad Epiſc. p.* 397.
(c) *Exp. in Pſal. p.* 1102.
(d) *Hiſt. Ar. p.* 371. *n.* 44. & *p.* 376. *n.* 52.
(e) *Frag. pag.* 1273.
(f) *Encycl. ad Epiſc. p.* 111. *n.* 1.
(g) *Ibid. p.* 279. *n.* 10. (h) *Ad Serap. p.* 699. *n.* 4.
(i) *Ibid. n.* 5. (k) *De Decretis Nic. Syn. pag.* 212. *n.* 5.
(l) *De Decr. Nic. Syn. pag.* 226. *n.* 21.
(m) *De Syn. pag.* 719. *n.* 6.

S. ATHANAS.

ſa Arianæ hæreſeos, & de tempore celebrandi Paſchatis, cujus gratia etiam Nicæna Synodus coacta fuerat (*a*): &, ſi qua fuit Synodus, cujus decreta omni forent veneratione excipienda, talis profecto erat Nicæna, quæ Œcumenica fuit (*b*), quæ *decretis ſuis nec menſem, nec diem, nec Conſulatum appoſuit*, ut fecerant Ariani (*c*); quippe quæ *non recentiorem*, ut illi, *ſed apoſtolicam tradidit ſententiam, non ab illa inventam, ſed quam Apoſtoli docuerant* (*d*). *Et de Paſchate quidem ſcripſerat: Decreta ſunt, quæ ſequuntur: tunc enim decretum eſt, ut omnes morem gererent. De fide vero nequaquam dixere: Decretum eſt; ſed: Sic credit Catholica Eccleſia* (*e*). „ Et quæ illic a Patribus ex divinis Scripturis promulgata „ fides fuit, tum ad impietatem omnem evertendam, tum ad piam „ in Chriſto fidem aſſerendam ſufficere (*f*); quæ fides ſincere, „ & ſine dolo, per omnem Eccleſiam agnita, & pervulgata fuit „ (*g*); ac ob reverentiam erga Nicænam Synodum, cum nonnulli „ poſtularent, ut quædam de fide ſciberentur, quaſi Nicænæ Synodo „ aliquid deeſſet, . . . Synodus Sardicæ coacta rem indigne tulit, „ ſancivitque, ut nullum ultra de fide ederetur reſcriptum, ſed „ ſufficeret fides a Patribus Nicææ promulgata (*h*), & Dei amantiſſimos Imperatores rogarunt, ut... decernerent, ne quis Judi- „ cum, quorum officium eſt popularia ſolum curare,... ullatenus „ impoſterum, occaſione curandarum Eccleſiarum, adverſus fratres „ quidvis moliatur (*i*). Et Patres Ariminenſes eos, qui cum Ario „ ſentiebant, depoſuerunt, Patrumque definitiones integras ſervarunt, rebus ſancte & canonice conſtitutis (*k*)".

De neceſſitate & efficacia gratiæ.

Tanquam firmiſſimum, certiſſimumque principium ſtatuit S. Athanaſius, quamdiu ſumus in hac vita, *indeſinenti auxilio* nobis *opus eſſe*, & divini Verbi gratia, nam *ſine cæleſti adjutorio nemo eſſe poteſt legis obſervator* (*l*), nec *vanitatem mentis*, ideſt *ſpectaculorum inſanum amorem, abſurda phantaſmata*, & cætera mala *vitare* (*m*). Hinc *etiamſi laude digni ſimus, quia nonnihil boni in operibus noſtris reperitur, id tamen non nobis, ſed Deo adſcribendum* (*n*): Ipſe enim eſt, qui & ipſa merita donat, & coronam largitur.

De Sacramento Baptiſmi.

S. Athanaſius docet, Sanctum Baptiſma, „ in quo totius fidei „ noſtræ poſita eſt conſtitutio, non in Verbum, ſed in Patrem, & „ Filium, & Spiritum Sanctum dari (*o*): qui enim aliquid de

„ Tri-

(a) *Ad Afros ep. p. 891. n. 1. & 2. Et de Syn. p. 719. n. 5.*
(b) *De Dec. Nic. Syn. pag. 178.*
(c) *De Syn. p. 719. n. 5.* (d) *Ibidem.*
(e) *Ibidem.* (f) *Ad Epict. ep. p. 901. n. 1.*
(g) *Ad Jovian. epiſt. pag. 780. n. 1.*
(h) *Ad Antioch. pag. 772. n. 5.*
(i) *Apol. ad. Ar. pag. 158. n. 39.*
(k) *De Syn. pag. 726. n. 13.* (l) *Exp. in Pſal. p. 1206.*
(m) *Ibid. pag. 1208.* (n) *Ibid. pag. 2053.*
(o) *Orat. 4. cont. Ar. pag. 633. n. 21.*

„ Trinitate detrahit, & in ſolo Patris, vel Filii nomine baptiza-
„ tur, aut ſine Spiritu, in Patre, & Filio, nihil accipit, ſed va-
„ cuus, nec initiatus ipſe, & is qui dare videtur, manet. Siqui-
„ dem initiatio nonniſi in Trinitate ſita eſt ..... Unum igi-
„ tur eſt Baptiſma, quod in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto
„ datur (*a*)".

S. ATHANAS.

De Euchariſtia.

De Euchariſtia vero ſic ſentit, & ſcribit: „ Docuit nos, ut o- „ rando peteremus in præſenti ſæculo panem ſuperſubſtantialem, „ cujus primitias in præſenti vita habemus, dum carnis Domini „ participes efficimur (*b*), & corpus, quod ſedet a dextris Dei, „ cujus fuit inimicus Diabolus & Judæi, & Græci, eſt illud, per „ quod Pontifex, & Apoſtolus fuit, & dictus eſt, quod nobis tra- „ didit (*c*) dicens: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangi-* „ *tur, & ſanguis novi teſtamenti*, non veteris, *quod pro vobis effun-* „ *ditur* (*d*)". Dum autem dicit, verba Chriſti de Euchariſtia loquentis, *non eſſe carnalia, ſed ſpiritualia, & carnem Chriſti eſſe cibum e ſupernis cæleſtem, & ſpiritualem* (*e*), intelligit I. non alimenti carnalis more dividi carnem Chriſti, ut hominibus detur; *quot enim*, ait, *hominibus corpus ſatis eſſet ad eſum, ut totius Mundi fieret alimentum* (*f*)? Quibus verbis planum eſt, non excludi præſentiam realem, ſed diviſionem partium. II. vult S. Doctor, carnem Chriſti in Euchariſtia non eſſe corporalem alimoniam, ſed ſpiritualem, quæ datur, *ut fiat*, inquit, *tutamen in reſurrectionem vitæ æternæ* (*g*), quod nemo eat inficias. Neque enim in verbis Athanaſii uſquam dicitur, corpus Chriſti non eſſe, vel ſpiritualiter tantum eſſe in Euchariſtia (*h*). Locum dicit fuiſſe in Eccleſiis ad Myſteria celebranda deſtinatum, qui *Sacrarium* appellabatur (*i*). In Sacrario autem erat *Menſa*, quæ *ſacra* dicebatur (*k*), & *lignea* erat, *ſicut & ſubſellia*, & *Thronus* Epiſcopalis (*l*), qui & *ornabatur* (*m*), videlicet tapete aliquo vel ſerico; & Thronum Alexandrinum pretioſius ornatum fuiſſe, ex eo licet colligere, quod de ejus ſpoliatione conqueritur (*n*). Eccleſiæ ad ſuum ornatum, & manutentionem *tapetes*, & *aulæa* poſſidebant, ſicut & *vinum*, quod Ariani *vel ebiberunt, vel effuderunt, aut adſportarunt; oleum quoque reconditum, quod ſibi uſurparunt; Candelabra ad parietem* (*o*): ſimiliter & vaſa ſacra, *quæ ſolum apud legiti-*

mos

(a) *Ad Ser. ep. pag.* 678. *n.* 30.
(b) *De Incarn. & cont. Ar. pag.* 883. *n.* 16.
(c) *Fragm. pag.* 1283. (d) *Matth.* 26. 26. *& ſeq.*
(e) *Ep. ad Ser. pag.* 710. *n.* 19. (f) *Ibidem.*
(g) *Ibidem.* (h) *In notis ad l. laud.*
(i) *De ſua fuga Apol. pag.* 334. *n.* 24. *& Apol. cont. Ar. pag.* 127. *n.* 15.
(k) *Encycl. ad Ep. p.* 112. *n.* 3.
(l) *Hiſt. Arian. pag.* 378. *n.* 58.
(m) *Apol. cont. Ar. pag.* 138. *n.* 17. (n) *Ibidem.*
(o) *Enc. ad Ægyp. pag.* 114. *n.* 14.

S. ATHANAS.

mos præſides inveniebantur (*a*). Tunc temporis non ſingulis diebus ſacra celebrabantur myſteria in Eccleſiis Ægypti, ſed ſolum diebus Dominicis, nec in Templis offerebant, aut collectæ habebantur, niſi ædificium foret omnino completum (*b*). Infantes *cum parentibus in Dominico conveniebant* (*c*); & *nefas erat myſteria apud non initiatos traducere, ne Ethnici horum ignari irriderent; catechumeni vero ad curioſitatem deducti ſcandalizarentur* (*d*): hi vero extra oblationis tempus in Eccleſia admittebantur. Epiſcopi *myſticum poculum populo propinabant*, quod ſcribit, *ab Eccleſiaſtico canone acceptum ſtatuente, hoc ad eos ſolum ſpectare, qui Catholicæ Eccleſiæ præſunt, quorum eſt ſanguinem Chriſti propinare, aliorum vero nullius* (*e*). Illis tamen auxilium præſtabant Diaconi, qui vigilare tenebantur, ne *indignis impeccabilis corporis purpura præberetur*, ideſt ſanguis Chriſti (*f*). Calix ad id muneris deſtinatus apud *ſolos legitimos Eccleſiæ Præſides* cuſtodiebatur, ideſt Presbyteros & Epiſcopos; & *hic ſolus hujus poculi uſus erat, & non alius* (*g*). Conveniebant fideles ſub noctis initium, & *pervigilium agebant ſequentis ſynaxis* pſalmorum cantu, & orationibus (*h*). Diaconus pſalmum inchoabat, & medietate verſiculi decantata alternatim populus reliquum verſiculi concinebat. Mos autem erat ſanctiſſimis Præſulis jubere, *ut tam modico flexu vocis ſonaret lector Pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam cantanti* (*i*).

De Pœnitentia.

Pœnitentiam de peccatis admiſſis poſt Baptiſmum Deo acceptam prædicat S. Athanaſius (*k*); *Deumque iis, quos delictorum pœnitet, miſericordiam offerre & veniam, nullumque eſſe tam ingentem peccatorum numerum, quem non celeriter pœnitentia in exultationem vertat*. Verba autem Apoſtoli dicentis (*l*): *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, & prolapſi ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam*, interpretatur S. Athanaſius „ non quod excludat a pœnitentia peccatores poſt „ Baptiſmum lapſos, ſed quod oſtendat, unicum, & non duplex eſſe „ Catholicæ Eccleſiæ Baptiſma. Hebræis enim hæc ſcripſit, & ne „ illi pœnitentiæ obtentu exiſtimarent juxta legis conſuetudinem „ multa eſſe, & quotidie baptiſmata, ideo eos ad pœnitentiam „ hortatur, unamque eſſe per Baptiſma renovationem, nec ſecundam „ ſupereſſe affirmat, &, ut in alia dicit epiſtola (*m*), una fides, „ unum Baptiſma (*n*)“. Profecto peccatorum confeſſionem Sacerdoti-

(a) *Apol. cont. Ar. pag.* 133. *n.* 111.
(b) *Apol. ad Conſt. pag.* 303. *n.* 14.
(c) *Vit. S. Ant. pag.* 795. *n.* 1.
(d) *Apol. cont. Ar. pag.* 133. *n.* 11. (e) *Ibidem.*
(f) *Tom.* 2. *Collect. PP. pag.* 35. *cap.* 33.
(g) *Apol. cont. Arian. pag.* 133. *n.* 11.
(h) *Apol. de ſua fuga pag.* 334. *n.* 24.
(i) *S. Aug. lib. Conf.* 10. *cap.* 32. *n.* 2.
(k) *Exp. in Pſal. pag.* 1126. (l) *Ad Heb.* 6. 4.
(m) *Ad Epheſ.* 5. 4. (n) *Ad Ser. pag.* 705. *n.* 13.

dotibus factam ſubindicat S. Athanaſius, dum ſcribit: „ Sicut homo, dum a Sacerdote baptizatur, per Spiritum Sanctum illuminatur, ita qui pœnitentia ductus ſua confitetur peccata, eorum „ veniam per Sacerdotem conſequitur “. S.ATHANAS.

Mos erat ævo S. Athanaſii, „ ut Epiſcopi ſecundum Eccleſiæ „ canones, & ſecundum verba Apoſtoli, congregatis populis, & „ ſpiritu ordinantium omnibus juxta Eccleſiaſticas leges bene per„ penſis, præſentibus populis, & Clericis eligerentur “ (*a*). Seligebatur autem, „ qui ibi eſſet baptizatus, ex ipſa Eccleſia, ex „ ipſo Sacerdotali ordine, & ex ipſo Clero, unde compluribus no„ tus eſſet (*b*). Electus vero ſub omnium conſpectu, & omnibus „ acclamantibus ab Epiſcopis Provinciæ ordinabatur (*c*) “. Electio juxta canones rite facta *ſors domini* dicebatur. Electi in Epiſcopum a tribus Epiſcopis conſecrabantur; aliquoties tamen ob hæreticorum perſecutionem hac lege ſe non teneri arbitrabantur; unde & S. Athanaſius ratam habuit ordinationem Siderii Epiſcopi Plebiſcæ, licet ab uno Epiſcopo factam ob Arianorum vexationem (*d*). Non licebat, pace fruente Eccleſia, Epiſcopum cum pluribus aliis communione conjunctum deponere, & alium ejus loco eligere (*e*); crimini vertebatur Epiſcopo *Eccleſiam ſuam deſerere*, *Deique ovilia non curare*. *Paſtorum enim abſentia gregis invadendi occaſionem præbet lupis* (*f*). Epiſcopus ante ſui ordinationem ſibi vivit, & factus Epiſcopus curam agere debet commiſſi ſibi gregis (*g*). Suis adeſſe Eccleſiis tenebantur Epiſcopi, præſertim in ſacris Solemnitatibus, ut eas populo nuntiarent (*h*). Minime probabantur *translationes a minoribus* civitatibus ad *majores Diœceſes*, & de Epiſcopis ſic translatis idem ferebatur judicium, ac de viro, qui propriam dimitteret uxorem, ut aliam ſibi deſponſaret contra Apoſtoli præceptum jubentis: *Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem* (*i*). Conſuetudo vigebat tempore S. Athanaſii, ſicut etiam longe ante ipſum, ut cauſæ Epiſcoporum, præſertim præcipuarum Sedium, Romam ad Pontificem deferrentur ab eo judicandæ. Hinc acerbe conquerebatur Pontifex Julius, Euſebianos ſe inconſulto auſos fuiſſe S. Athanaſium a ſua ſede deturbare (*k*). Signum ſuæ dignitatis deferebant Epiſcopi, & quidem tale, ut etiam in cubili poſiti dignoſcerentur; at quodnam illud foret, neſcimus (*l*); Archiepiſcopi titu-

De Eccleſiaſtica Hierarchia.

(a) *Encycl. ad Epiſc. pag.* 112. *n.* 2.
(b) *Apol. cont. Ar. pag.* 149. *n.* 30.
(c) *Ibid. pag.* 129. *n.* 6.
(d) *Syneſ. epiſtola* 67. *n.* 210.
(e) *Ap. cont. Ar. pag.* 149. *n.* 30.
(f) *Apol. ad Conſt. pag.* 311. *n.* 26.
(g) *Tom.* 1. *pag.* 311.
(h) *Ep. ad Dracon. pag.* 268. *n.* 10.
(i) 1. *ad Cor.* 7. 2.
(k) *Tom.* 1. *pag.* 153.
(l) *Hiſt. Ar. pag.* 356. *n.* 20.

SATHANAS.

titulus in uſu erat etiam tempore S. Athanaſii (*a*); non infrequenter Monachi ad Epiſcopatum aſſumebantur (*b*). Ad Epiſcopum pertinebat frumentum ab Imperatore erogatum pro pauperibus, & viduis illis diſpertiri (*c*). Quænam eſſent peculiaria Subdiaconorum munia, non dicit S. Athanaſius, licet illorum meminerit (*d*); generatim tamen docet Clericis demandatum, infirmos viſitare, in periculo mortis conſtitutos baptizare (*e*), & *egenis ac viduis in aſſignatis ſibi locis in Templo ſedentibus eleemoſynas erogare, viduiſque alimenta præbere* (*f*). Munus Diaconorum proprium dicit S. Athanaſius fuiſſe in Concilium Epiſcopos, quorum cauſæ erant agitandæ, intromittere (*g*). Miniſtrabant etiam populo Euchariſtiam ſub vini ſpecie (*h*), & Pſalmos cum populo legebant (*i*). Videtur, Clericos conſueviſſe in ſacris obeundis miniſteriis *lineis* uti *ſtichariis*, ideſt veſtibus (*k*). Qui per Presbyterum ordinati erant, *ad laicorum ſtatum* redigebantur (*l*). Non ſinebat Eccleſia, laicos *Judices, quorum officium erat popularia ſolum curare, de Clericis judicare* (*m*); & Imperatorum opem ad hoc implorabat obteſtans, quod ſicut non licebat *Epiſcopis imperare*, ita *nec Principibus ſe in Eccleſiaſticis immiſcere, aut de illis præcepta dare* (*n*). Immunitatem tamen a publicis oneribus Clerici ab Imperatoribus obtinuerant (*o*).

De Beata Virgine, Apoſtolis, & Angelis.

De B. Virgine hæc conſtantiſſime docet S. Athanaſius, nimirum Verbum Dei ex illa carnem ſumpſiſſe, & vere eſſe *Deiparam* (*p*); *conjunctionem carnis cum Verbi divinitate in ejus utero factam* (*q*); *Chriſti corpus ex ea productum* (*r*); *ſemper Virginem permanſiſſe* (*s*); & Jeſum Chriſtum, qui veritas eſt, per Deiparam ſemper Virginem mundo exortum eſſe (*t*). In vita S. Antonii meminit cujuſdam *Virginis Laodicenæ Polycratiæ*, quam *admirandam, & Chriſtiferam* appellat (*u*). Petrum, & Paulum Romæ marty-

rium

(a) *Apol. cont. Ar. pag.* 188. *n.* 71.
(b) *Epiſt. ad Drac. pag.* 267. *n.* 7.
(c) *Apol. cont. Ar. pag.* 138. *n.* 18.
(d) *Hiſt. Arian. pag.* 380. *n.* 6.
(e) *Encycl. ad Epiſc. pag.* 116. *n.* 5.
(f) *Hiſt. Ar. pag.* 381. *n.* 61.
(g) *Ap. cont. Ar. pag.* 131.
(h) *Coll. Pat. Tom.* 2. *pag.* 35.
(i) *Apol. de Fuga pag.* 334. *n.* 24.
(k) *Apol. cont. Ar. pag.* 178. *n.* 60.
(l) *Ibid. pag.* 134. *n.* 12.
(m) *Ibid. pag.* 158. *n.* 39.
(n) *Hiſt. Ar. pag.* 371. *n.* 44.
(o) *Ap. cont. Ar. pag.* 174. *n.* 56.
(p) *De Inc. cont. Ar. pag.* 875. *n.* 8.
(q) *Cont. Apoll. pag.* 924. *n.* 4.
(r) *Orat.* 3. *cont. Ar. pag.* 604. *n.* 56.
(s) *Exp. in Pſal. pag.* 1151. (t) *Ibid.*
(u) *Vit. S. Ant. pag.* 842. *n.* 61.

rium ſubjiſſe refert (*a*); & D. Paulum uſque ad Hiſpaniam prædicandi gratia properaſſe dicit (*b*). Cenſet *Angelos eſſe in loco, & illic adeſſe, quo mittuntur*; *ſolum* vero *Deum* eſſe incircumſcriptum (*c*). S.ATHANAS.

Efficacitatem ſigni Crucis extollit ſcribens: „ Solo Crucis ſigno „ adhibito Dæmonum fraudes repelluntur, ars magica deſtruitur, „ oracula conticeſcunt. Veniat quiſquis ea, quæ diximus, experiri cupit, atque in mediis ipſis Dæmonum præſtigiis, & oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis ſigno Crucis utatur; mox videbit, quam cito per ipſum fugantur Dæmones, ceſſent oracula, „ ars omnis magica, veneficiaque evaneſcant (*d*) “. *Imminente Paſchatis feſto* populus *palmas in manibus geſtare* conſueviſſe ad Chriſti Hieroſolymam ingredientis triumphum aliquo modo ſignificandum refert (*e*). De diverſis.

ARTICULUS QUARTUS.

Aſcetica vitæ ſpiritualis documenta.

I. VILITATEM inopiamque noſtram ſuſcepit, ut nobis opulentiam ſuam largiretur. Illius enim paſſio, noſtra eſt impatibilitas: illius mors, noſtra immortalitas: illius fletus, noſtra lætitia: ejuſque ſepultura, noſtra reſurrectio eſt: illius baptiſma, noſtra ſanctificatio. *Pro iis enim*, inquit, *me ſanctifico, ut & ipſi ſanctificati ſint in veritate*. (*De humana natura ſuſcepta*.) Omnia, quæ habet, bona Chriſtianus ex Chriſti humiliatione accipit.

II. Id ſcire oportet, & nequaquam ambigere, te priuſquam ordinabaris tibi vixiſſe: ordinatum autem illis vivere, quibus ordinatus es. (*Ad Dracont. epiſt.*) Sacerdos non ſibi, ſed aliis talis eſt.

III. Præcipua obſervatione codex Pſalmorum dignus eſt. Singuli quidem libri ſuam, & propriam ſuppeditant hiſtoriam.... Pſalmorum autem volumen veluti paradiſus, in quo ſunt omnia genera lignorum plantata.... Præterquam quod auditor iſta dicit (quæ in univerſa Scriptura continentur) etiam motus ſui animi animadvertere poteſt; ac deinde ſecundum ea quæ patitur, formam verborum decerpere; & quid dicendo, agendove morbum illum medicetur, invenit. (*Ad Marcell. epiſt.*) Excellentia, & utilitas Pſalmorum.

IV. Spi-

(a) *Apol. de fuga pag.* 331. *n.* 18.
(b) *Epiſt. ad Drac. pag.* 265. *n.* 4.
(c) *Frag. in Job pag.* 1263.
(d) *De Inc. Ver. pag.* 88. *n.* 47.
(e) *Coll. PP. Tom.* 2. *pag.* 317.

S. ATHANAS.

Plenitudo, & confirmatio gratiæ Deiparæ Virgini conceſſa.

IV. Spiritus Sanctus in Virginem deſcendit cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi ratione divini Principatus adſunt; imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratioſa eſſet; atque idcirco *gratia plena* cognominata eſt, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret, *& virtute Altiſſimi obumbraretur*: quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuiſſe confido, & poſt conceptum etiam retinuiſſe. Neque enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe, quemadmodum & nunc in præſentia, & in æternum uſque habet hæc Virgo ſibi *obumbrantem virtutem Altiſſimi*, & ſuperventum Spiritus Sancti, ut ſit *gratia plena*. (*De ſanctiſs. Deipara*.)

Jejunii fructus, & beneficia.

V. Jejunium morbos ſanat, diſtillationes exſiccat, dæmones fugat, malaſque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus ſalubrius, & ad thronum Dei homines ſiſtit... Jejunium Angelorum cibus eſt, & qui eo utitur, ordinis Angelici cenſendus eſt. (*Ibid.*)

Nimiam corporis macerationem reprehendit.

VI. Si ſubjicit tibi in animum inimicus ingentia devotionis exercitia, ut corpus tuum imbecille fiat, & inutile: tu contra fac, ut tuum jejunium modum habeat. (*Ibid.*)

Quietem vitæ futuræ nemo ſperet, qui multos non ſubit in hac vita labores.

VII. Qui habet requiem ſuam in hoc mundo, ne ſperet æternam requiem ſe poſſe conſequi. Regnum enim cælorum non eorum eſt, qui hic otiantur, ſed qui in multa tribulatione vitam tranſigunt. Non enim id gratis accipiunt, ſed cum ingenti labore, & maximis ſudoribus illud ſunt adepti, quotquot eo digni ſunt habiti. Non illis curæ eſt quantumcunque hic delaſſentur, ſi quidem illuc ingreſſi obliviſcuntur laborum, & dolorum, quos perpeſſi ſunt in mundo iſto vano, præ multa illa, & enarrabili requie, quæ data eſt ipſis. (*Ibidem*.)

Utilius eſt paucitatem illorum ſequi, qui arctam viam calcant, quam multitudinem illorum, qui per ſpatioſam & latam ambulant.

VIII. Quis ſana mente præditus non malit in paucorum eſſe numero per anguſtam viam ad ſalutem ingredientium, quam aſſociari multis per latam ad interitum currentibus? (*Diſceptat. adv. eos, qui in veritate, &c.*)

In quem ſcopum ſint dirigendi exteriores Religionis actus.

IX. Mulier illa, quæ Chriſti fimbriam tetigit, non in fimbria, ſed in ejus, qui toga veſtitus erat, inviſibili potentia, ſpem ſuam comperta eſt collocaſſe... Sic qui ad ſanctum altare accedunt, idque amplectuntur, & cum metu ac lætitia ſalutant, non in lapidibus, & lignis, ſed in gratia nobis per lignum, & lapides rapræſentata hærent. (*Adv. eos, qui human. in Chriſto, &c.*)

Chriſtianus aliquando Sanctum in ſe Spiritum inhabitantem ſentit.

X. Quemadmodum ferens uterum mulier, ex ſuccuſſatione pueri vere cognoſcit, quod fructum conceperit, ita etiam anima ejus, qui vere Chriſtianus eſt, non quia parentes ajunt, ſed ex re ipſa, & ſubſultationibus cordis ſui præcipue diebus feſtis, & illuſtrationum tempore, & ſumptionis ſacri Corporis, & Sanguinis Chriſti, diſcit ex gaudio intimo Spiritum Sanctum ſe accepiſſe, cum baptizatus eſt. (*Ad Antioch. Principem*.)

Quod ſupereſt, dandum pauperibus.

XI. *Quod vobis ſupereſt, detur ad defectum pauperum ſupplendum.*

dum. Ideſt quæcunque recondimus de his præter victum noſtrum, & potum, & amictum, de eis judicium ſubibimus in die judicii, tale judicium, quale homicidæ ferunt. Quod cum multi multos hic ex morte pecuniis ſuis liberare poſſent, non ſervaverunt, ſed deſpexerunt eos. (*Quæſt.* 69.)

S. ATHANAS.

XII. Eleemoſynæ pauperibus relictæ a mortuis, quomodo dicantur? *Reſp.* Mortua ſacrificia. Attamen ſi in vita ſua ejuſmodi fuerit miſericors, accepta ſint etiam in morte ejus beneficia coram Deo. (*Quæſt.* 90.)

Non expectandum mortis inſtantis tempus ad eleemoſynas erogandas.

XIII. Humilitas eſt, anima non obſervans, neque judicans aliorum lapſus, ſed tantummodo ſua curans, & æterna pœna dignam exiſtimans... (*Ibidem.*)

Humilitas quid de ſe, & aliis ſentiat.

XIV. Licet ne principibus munera accipere; & ea in pauperes inſumere? *Reſp.* Si qui beneficiis affecti cum ſint in re lauta, & ſponte ſua illa offerunt, eis puta, qui bene meriti ſunt, fortaſſe ſine culpa accipiunt, ſi in pauperes ea diſtribuunt. Quæ autem ab agricolis, & manuariis opificibus accipiunt dona, qui ex laboribus quæſtum faciunt, ignem, & ſupplicium ſibi attrahunt; etiam ſi in mille ita diſtribuant pietatis opera, ſicut ait Scriptura: *Ignis devorabit domos eorum, qui munera accipiunt*. (*Quæſt.* 116.)

Periculoſum Judicibus munera accipere.

CAPUT DECIMUM.

S. HILARIUS

Epiſcopus Pictavienſis, & Eccleſiæ Doctor.

ARTICULUS PRIMUS.

Vitæ S. Hilarii Breviarium.

S.HILARIUS. In Gallia ortus ex parentibus idololatris, Fidem Chriſti amplectitur. Suæ converſionis cauſa.

S. HILARIUS, natione Gallus, ortus eſt Pictavis Urbe ſecundæ Aquitaniæ, ex nobili, ac illuſtri familia, ſed Gentilitatis tenebris offuſcata. Idolorum cultum non abjecit Hilarius, niſi adulta ætate, & poſtquam ſpoliavit Ægyptum videlicet ſuffarcinatus Gentilium Scriptorum ſapientiæ, eruditionis, & eloquentiæ ornamentis, & doctrinis, quæ ſive ad bene vivendi normam, ſive ad veritatis agnitionem, defenſionemque poterant conferre. Ad fidem amplectendam non niſi pedetentim, & quaſi per quoſdam veluti gradus, & non paucis adhibitis conſiderationibus pervenit, ut ipſemet fatetur (*a*). „ Circumſpicienti mihi (ſcri-
„ bit) proprium vitæ humanæ, ac religioſum officium .... multa
„ aderant, quæ opinione communi efficere utilem, atque optandam
„ vitam videbantur, ... otium videlicet & opulentia .... atque
„ hæc, quamquam in ſe ſumma, atque optima vitæ blandimenta
„ contineant, tamen non multum videntur a conſuetudine eſſe bel-
„ luinæ oblectationis aliena .... Hinc feſtinabat animus ad ſublimio-
„ ra, & cernens hanc vitam tantis afflictatam malis ſeſe conſu-
„ mere; idcirco ad aliquas continentiæ, patientiæ, & placabilitatis
„ virtutes exercendas datam opinabar: ... Vitam tamen non ad mor-
„ tem tantum ab immortali Deo tribui exiſtimandam, cum boni
„ largitoris non eſſe intelligatur, vivendi jucundiſſimum ſenſum ad
„ triſtiſſimum metum tribuiſſe moriendi .... Ad hunc itaque Deum
„ vel intelligendum, vel cognoſcendum ſtudio flagrantiſſimo ani-
„ mus accendebatur .... qui cum neque naturæ potenti, atque in-
„ corruptæ competere ſexum Deorum, & ſucceſſiones ſatorum, at-
„ que ortorum intelligeret, atque divinum, & æternum nihil, niſi
„ unum eſſe, & indifferens pro certo haberet, ... atque ita omni-
„ potentiam, æternitatemque, niſi penes unum eſſe; tandem co-
„ gnovit, nonniſi unum Deum æternum, potentemque eſſe vene-
„ randum.

(a) *Lib. 1. de Trinitate p. 766. n. 1. & ſeq. Ed. Pariſ. an. 1693.*

„ randum. Hæc itaque, multaque alia ejuſmodi animo reputans, „ incidi in libros a Moyſe ſcriptos, in quibus admiratus ſum eam „ tam abſolutam de Deo ſignificationem: (*a*) *Ego ſum qui ſum:* „ & rurſum: *Hæc dices filiis Iſrael: miſit me ad vos is, qui eſt;* „ & in Iſaja: *Qui tenet Cælum palma, & terram pugillo* (*b*); „ & in pſalmis: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* (*c*). Hinc Deum intra, extraque, & ſupereminentem, „ & internum, ideſt infuſum, & circumfuſum in omnia cognovi,... „ & ita ultra intelligentias rerum eſſe, ut in quantum ſe mens infinita protenderet, in tantum omnem perſequentis ſe naturæ infinitatem infinitas immoderatæ æternitatis excederet.... (*d*) Suberat autem his naturalis adhuc ſenſus, ut pietatis profeſſionem „ ſpes aliqua incorruptæ beatitudinis aleret, quam ſancta de Deo „ opinio, & boni mores quodam victricis militiæ ſtipendio mererentur.... (*e*) Fatigabatur ideo animus,... cum poſt cognitionem legis, & Prophetarum, Evangelicæ, atque Apoſtolicæ inſtitutum doctrinæ cognovi, & præſertim ex Joannis Evangelio didici, Verbum Deum, & apud Deum in principio eſſe.... venientem quoque in ſua a ſuis non receptum, recipientes autem „ ſub fidei ſuæ merito in Dei filios profeciſſe". Cum itaque hiſce veluti gradibus Dei cognitionem attigiſſet D. Hilarius (*f*), *divini Sacramenti doctrinam ejus mens læta ſuſcepit, & cæleſtis regenerationis* lavacrum ſuſcepit. Uxor ejus, cujus nomen, & vita in tenebris latet, ejus exemplum eſt imitata ſimul cum Filia, nomine Apra, ſive Abram, quam ex ea ſuſceperat, & cui perpetuam ſervare virginitatem Pater ſuaſit.

S. Hilarius.

Epiſcopus Pictavienſis electus, & ordinatus fuit aliquot annis ante Biterrenſe Concilium anno 356. celebratum. Deinde fraudibus Saturnini Ariani Epiſcopi Arelatenſis in Phrygiam exulare cogitur; at quarto ſui exilii anno, per Vicarium, ac Præſidem, data evectuum copia, Seleuciæ ad Concilium adeſſe compellitur anno 359. coactum. Verum cum ejus conatus ad hæreſim comprimendam & pertimeſcerent Ariani, & ferre non valerent, Imperatori ſuaſere, ut *quaſi perturbator Orientis, redire ad Gallias juberetur* (*g*).

Ordinatur Epiſcopus. In Phrygiam exulat.

In Patriam revertens, *permenſus orbem pene terrarum* (*h*), Romam venit. Quod ut reſcivit S. Martinus, ab inſula Liguſtici maris, quam Gallinariam vocant, feſtinus, tentavit, ut optatiſſimo Magiſtro redeunti Romæ occurreret; at *illum, ubi jam prateriiſſe audivit, ita veſtigiis perſecutus eſt, ut non multo poſt ipſum Pictavos perveniret, a quo gratiſſime ſuſceptus fuit* (*i*).

In Galliam reverſus plura cogit Concilia.

X 2 Quan-

(a) *Ex.* 3. 14. (b) *Iſai.* 40. 12.
(c) *Pſal.* 138. 7. (d) *Pag.* 770. *n.* 9.
(e) *Pag.* 771. *n.* 10. (f) *Pag.* 772. *n.* 12.
(g) *Vit. p.* 111. *n.* 82. (h) *Sulp. Vit. S. Hilarii.*
(i) *Ibid. p.* 112. *n.* 85. 86.

S. HILARIUS. Quanto autem cum plauſu, & favore Pictavis exceptus fuerit, cogitare facilius eſt, quam verbis enarrare: nam teſte S. Hieronymo, illum, tamquam triumphantem de prælio hæreticorum, Galliarum Eccleſia complexa eſt. Statim ac ſedem ſuam conſcendit, Ariminenſis Concilii fraude detecta, litteris, *& frequentibus intra Gallias Conciliis, apud Ariminum geſta condemnavit, & in ſtatum priſtinum Eccleſiarum fidem reformavit* (*a*), Galliarum Eccleſias ab hæreticorum contagio exemit, & Saturnini Arelatenſis fraudes devicit, qui & ob ſuam in hæreſi pervicaciam, & ob alia per ipſum patrata ſcelera, ab Eccleſia pulſus fuerat. Socium ſe adjunxit S. Euſebio Vercellenſi, qui natura lenis, & placidus, ſimulque eruditus, ad perſuadendum commodiſſimus erat, & ambo catholicam fidem in Italia, & vicinis regionibus ab Ariana perfidia depravatam ſuæ integritati reddiderunt. Mediolani, in publica diſputatione, Auxentium inter Arianos facile principem, Chriſtum verum Deum, & unius cum Patre divinitatis, ac ſubſtantiæ confiteri coegit. Verum cum poſtea ejus fraudes, & dolos in falſa fidei expoſitione Imperatori oblata detegere conaretur, *Valentinianus juſſit, eum Mediolano cedere*; at S. Hilarius, *editis totius congreſſus geſtis, & patefacta Auxentii fraude, ut ab eo ſibi caverent ſinceræ fidei amatores effecit* (*b*). Tandem immenſis ob Fidei defenſionem exantlatis laboribus, & multis clarus miraculis, extremum diem Pictavis obiit circa annum 368. imperantibus Valentiniano, & Valente. S. Hilarii ſcripta inoffenſo pede decurri poſſe, teſtatur S. Hieronymus, qui etiam illum *latinæ eloquentiæ Rhodanum* appellat. Duæ ſunt præſtantiores Operum D. Hilarii Editiones. Altera Pariſienſis, ſtudio, & opera Monachorum S. Mauri, prodiit Lutetiæ anno 1693. Altera Veronenſis, quam multis auctam additamentis in lucem emiſit Clar. Vir Scipio Maffejus Veronæ anno 1730. duobus Tomis in folio. Præcipua autem D. Hilarii opera ſunt, quæ ſequuntur: 1. Duodecim de Trinitate libri; 2. Tractatus de Synodis, ſeu de Fide Orientalium; 3. Libri tres ad Conſtantium; 4. Commentarii in Pſalmos, & in Matthæum.

S. Hilarii obitus circa annum 368.

Editiones Operum.

ARTI-

(a) *Sev. Sulp. Vit. S. Hilar.*
(b) *In Vita p.* 117. *n.* 102.

ARTICULUS SECUNDUS.

Præcipuorum S. Hilarii Operum Analyſis.

IN conſcribendis duodecim de Trinitate libris hunc ſibi præfixit ſcopum S. Hilarius, ut Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus Sancti conſubſtantialitatem contra omnes hæreticos, & præſertim Arianos, ac Sabellianos adſtrueret, & propugnaret. Hinc & ipſe Hilarius ſecundum de Trinitate librum brevem appellat de Trinitatis conſubſtantialitate demonſtrationem; & ſub initium quarti ſcribit, *in anterioribus libellis* ſe oſtendiſſe, *fidem, & confeſſionem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ex evangelicis, atque Apoſtolicis inſtitutis obtinere* (a). Immerito igitur ei vitio verterunt cum Eraſmo nonnulli, quod in totis duodecim de Trinitate libris nunquam Spiritum Sanctum Deum compellaverit. Verum nonne luculenter ejus divinitatem adſtruit, dum illum Patri, Filioque conſubſtantialem perpetuo prædicat? dum docet, quod *in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto omnia ſunt unum?* (b) dum de Spiritu Sancto ſcribit: *Qui confeſſioni Patris, & Filii connexus eſt, non poteſt a confeſſione Patris, & Filii ſeparari. Imperfectum enim eſt nobis totum, ſi aliquid deſit a toto* (c)? Quod ſi illum Deum non appellat, illud fortaſſe in cauſa fuit, quia tunc obtinebat, ut nomen Spiritus ad Dei naturam ſignificandam uſurparetur. *Librorum de Trinitate ſcopus.*

De Trinitate libros conſcripſit, dum in Phrygia exularet, ut ipſemet teſtatur, & S. Hieronymus narrat. Hinc ſcriptionis tempus illud eſt ſtatuendum, quod interfluxit ab anno 356. qui primus fuit ſui exilii, ad annum 359. quo, urgentibus Imperatoris Miniſtris, ad Concilium Seleuciæ coactum ire compulſus fuit. *Tempus ſcriptionis.*

Summo ſemper in pretio ab Antiquioribus habitum fuit hocce S. Hilarii Opus, quod primo loco legendum ſtatuerunt ab iis, qui ſe in fide Eccleſiæ de Trinitate confirmare vellent, & verſutias hæreticorum detegere, ſeque contra illorum ſophiſmata, & cavillationes præmunire, ac nimiæ credulitatis vitium vitare cuperent. In eis eloquentiam laudant, doctrinam adprobant. *Operis laudes.*

In priore libro, qui totius Operis eſt veluti procemium, poſtquam D. Hilarius iter, per quod ad Dei, ejus myſteriorum, ac viæ ad æternam vitam ducentis agnitionem pervenerit, narravit, omnium ſuorum librorum finem, & ſcopum paucis verbis declarat. Et licet eo præcipue tendat, nimirum ut Arianos, & Sabellianos confutet, addit tamen, ſe omnes illos oppugnaturum hæreticos, contra quos pro re nata diſputandum occurret. Errorum omnium fontem ex ſuperbia humanæ mentis deducit, quæ facultatis *Analyſis primi Libri p. 766. & ſeq. Ed. Par. an. 1693.*

(a) *Pag.* 827. *n.* 1. (b) *In Matth. cap.* 13. *n.* 6.
(c) *Lib.* 2. *de Trinit. n.* 29.

S.HILARIUS. ſuæ exilitatem minime perpendens audet infinitatem myſteriorum Dei intra ſenſus ſui fines concludere, cum ſummam illorum majeſtatem humani ingenii vires ſuperantem nonniſi fide valeat attingere.

Analyſis ſecundi Libri Pag. 787. & ſeq. n. 1. Secundum exorditur librum ab explicatione eccleſiaſticæ doctrinæ de tribus perſonis, & ſic ſcribit: Sufficere poſſet „ credentibus Dei „ ſermo, qui in aures noſtras Evangeliſtæ teſtimonio transfuſus eſt, „ cum dicit Dominus: *Euntes nunc docete omnes gentes, baptizan-* „ *tes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (*a*) .... „ Sed compellimur hæreticorum vitiis illicita agere, ideſt ardua „ ſcandere, ineffabilia eloqui, inconceſſa præſumere (*b*)". Deinde ad explicanda Sabellii, Ebionis, & Arii perverſa dogmata progreditur. *Sabellius Patrem extendebat in Filium, idque nominibus potius confitendum eſſe, quam rebus* (*c*), ideſt nonniſi tria in Deo nomina diſtinguebat, non vero perſonas. *Hebion vero omne initium filio Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, ſed ex homine Deum proferebat: Neque ſubſiſtens antea quod in principio apud Deum erat Deus Verbum Virgo ſuſceperat, ſed carnem genuerat per Verbum, quod antea non exiſtentis Unigeniti Dei naturam dicebat, ſed ſonum vocis elatum* (*d*). Ariani vero Verbum Dei inter res creatas adnumerabant. Deinde de Spiritu Sancto adverſus ipſos Arianos ſic ſcribit: „ Quid mirum, ut de Spiritu Sancto diverſa ſen„ tiant, qui in largitore ejus creando, & demutando, & abolendo „ tam temerarii ſint auctores, atque ita diſſolvant perfecti hujus „ Sacramenti veritatem (*e*)? Pater eſt, ex quo omne, quod eſt, „ conſtitit. Ipſe in Chriſto, & per Chriſtum origo omnium. Ce„ terum ejus eſſe in ſe eſt, non aliunde quod eſt ſumens, ſed id, „ quod eſt, ex ſe, atque in ſe obtinens. Infinitus, quia non ipſe „ in aliquo, ſed intra eum omnia. Semper extra locum, quia non „ continetur. Semper ante ævum, quia tempus ab eo eſt.... Ha„ bet tamen naturæ ſuæ nomen in Patre, ſed Pater tantum eſt: „ non enim humano modo habet aliunde, quod Pater eſt. Ipſe in„ genitus, æternus, ſoli Filio notus, inviſibilis, incomprehenſibi„ lis (*f*)". Quamvis hæc ſint aptiora verba ad Deum, ejuſque perfectiones denotandas, fatetur tamen, *quod ad ea, quæ ejus ſunt eloquenda, ſermo omnis infirmus ſit* (*g*). Addit tamen de Verbo locuturus, *plus difficultatis eſſe in emetiendis, quam emenſis* (*h*). De Filio itaque ſic ſcribit: „ Eſt progenies ingeniti, unus ex uno, „ verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis vir„ tus, ſapientiæ ſapientia, gloria gloriæ, imago inviſibilis Dei, „ forma Patris ingeniti". Deinde inquirit, quomodo generatio filii proceſſerit, & reſpondet: „ Non eſt abſciſſio, aut diviſio; im„ paſſibi-

(a) *Matth.* 28. 19. (b) *Pag.* 787. *n.* 2.
(c) *Pag.* 789. *n.* 4. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Pag.* 790. *n.* 4. (f) *Pag.* 792. *n.* 6.
(g) *Pag.* 792. *n.* 7. (h) *Pag.* 793. *n.* 8.

„ paſſibilis eſt enim ille, qui genuit, & imago inviſibilis Dei eſt „ ille, qui natus eſt, & teſtatur, quia *Pater in me eſt*, & *ego in* „ *Patre* (*a*). Non eſt aſſumptio: verus enim Filius Dei eſt, & „ clamat: *Qui videt me, videt & Patrem* (*b*).... Sed neque pars „ Patris in Filio eſt: teſtatur enim Filius: *Omnia, quæ Patris ſunt,* „ *mea ſunt* (*c*); ſed unigenitus ab ingenito (*d*); alius ab alio, „ quia Pater, & Filius; non natura divinitatis alia, & alia, quia „ ambo unum, nec Dii duo, ſed unus ab uno. Hæc de natura di„ vinitatis attigimus, non ſummam intelligentiæ comprehendentes, „ ſed intelligentes, incomprehenſibilia eſſe, quæ loquimur (*e*)". Cæterum nihil mirum dicit, ſi hæc de Filii generatione ſublimia minime intelligantur, cum nec hominis generationem cognoſcamus; nam neſcit pater, quomodo filio, quem generat, *ſenſum inſerat, oculos accendat, cor affigat: Æquanimiter igitur*, ſubdit, *ignorabimus Creatoris nativitatem, qui originem ignoramus creaturæ* (*f*). Verbi vero æternitatem oſtendit D. Hilarius ex verbis Joannis: *In principio erat Verbum*, ſcribens: „ Quid eſt illud, *in principio e*„ *rat?* Tranſeuntur tempora, tranſmittuntur ſæcula, tolluntur æ„ tates. Pone aliquod, quod voles tua opinione principium: non „ tenes tempore, erat enim unde tractatur .... neque in tempore „ aliquo concluditur, ut cœperit, quod erat potius in principio, „ quam fiebat (*g*)". Ex ſubſequentibus vero verbis: *Et Verbum erat apud Deum*, oſtendit, Verbum non ſonum vocis fuiſſe, ut blaſphemabant Ebionitæ, ſed Deum; unde ſcribit: *Verbum hoc res eſt, non ſonus, natura, non ſermo, Deus, non inanitas eſt* (*h*). Iterum Verbi æternitatem confirmat ex illis Evangelii Verbis: *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſcribens: „ Ergo ſi nihil ſine illo eſt, per „ quem univerſa cœperunt, & in infinitum eſt, per quem, quod „ eſt omne, ſit factum (*i*)". Sibi tamen objicit S. Præſul, quomodo omnia per Filium facta dicantur, cum Pater, qui ſine principio eſt, a nullo ſit factus; verum reſpondet, Evangeliſtam ſubdere: *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt;* unde concludit: *Reddidiſti auctorem, cum ſocium profeſſus es. Cum enim nihil ſine eo, intelligo non ſolum; quia alius eſt per quem, alius ſine quo; utroque diſcernitur ſignificatio & intervenientis, & agentis* (*k*). Deinde fidei virtutem, & efficacitatem ad omnes vincendos errores prædicat, ſcribens: „ Ut autem quædam medicamentorum ge„ nera ſunt ita comparata, ut non ſingulis tantum ægritudinibus „ utilia ſint, ſed omnibus in communi medeantur, habeantque in „ ſe virtutem generalis auxilii, ita & fides catholica non adverſus „ ſingulas peſtes, ſed contra omnes morbos opem medelæ commu-

S. HILARIUS.

(a) *Joan.* 10. 38. (b) *Joan.* 14. 9.
(c) *Joan.* 16. 15. (d) *Pag.* 794. *n.* 11.
(e) *Ibid.* (f) *Ibid. n.* 9.
(g) *Pag.* 795. *n.* 13. (h) *Pag.* 796. *n.* 15.
(i) *Pag.* 797. *n.* 17. (k) *Ibid. n.* 18.

S. HILARIUS.

„ nis impertit (*a*)“. Quod luculenter evincit de hæreſibus Sabellii, Ebionis, & Arii, adverſus quos plura congerit Scripturæ teſtimonia illos profligantia. Progreditur poſtea ad myſterium Incarnationis, quod pro humani generis ſalute operatum dicit; nam „ homo factus ex virgine naturam in ſe carnis accepit, perque hujus „ admixtionis ſocietatem ſanctificatum in eo univerſi generis huma- „ ni corpus exiſteret (*b*)“. Fatetur, de Chriſto in Scripturis *cunas*, *vagitus*, *partus* prædicari, quæ Deo indigna videntur: at ſubdit, partum Virginis, divinos honores per Angelos, & Magos infanti repenſos, cæteraque innumera, quæ eſt operatus, portenta oſtendere, ipſum non merum hominem eſſe, ſed Deum. De Spiritu Sancto vero loquens, illum ex Scripturis Deum eſſe luculenter evincit; & licet nomen Spiritus Sancti frequenter Patri, & Filio in Scripturis datum legatur, tunc tamen naturam divinam denotare oſtendit; at in aliis pluribus perſonam a Patre, & Filio diſtinctam ſignificare, ut cum Chriſtus diſcipulis dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium advocatum mittet vobis, ut vobiſcum ſit in æternum, Spiritum veritatis. Ille vos diriget in omnem veritatem: non enim loquetur a ſe, ſed quæcumque audierit, loquetur, & ventura annuntiabit vobis* (*c*). Dona Sancti Spiritus recenſet, & quia nobis neceſſaria oſtendit, concludit: *Spiritus Sanctus expetendus eſt, promerendus eſt, & deinceps præceptorum fide, & obſervatione retinendus* (*d*).

Analyſis tertii Libri.

In hoc tertio libro totus eſt S. Hilarius in Verbi generatione adſtruenda, & divinitate; & primo evincit verbis Chriſti Domini dicentis: *Ego in Patre, & Pater in me* (*e*). Verum quia *natura intelligentiæ humanæ rationem dicti hujus non capit; videtur namque non poſſe effici, ut quod in altero ſit, æque idipſum extra alterum ſit* (*f*): id explicare conatur doctrinis in ſuperiore libro traditis, & ſic ratiocinatur. Æternus Pater *ingenitus ante omne tempus ex ſe Filium genuit* ex ſuamet ſubſtantia, . . . *non tamen ut partem ſui vel diviſam, vel diſciſſam, vel extenſam, quia impaſſibilis, & incorporeus Deus eſt, . . . ſed omne, quod Deus eſt, illi impertiens . . . . Igitur . . . . ab eo, qui habet omnia, accepit omnia, Deus a Deo, Spiritus a Spiritu, lumen a lumine, unde confidenter ait: Pater in me, & ego in Patre* (*g*). Affert deinde miracula converſionis aquæ in vinum, & panis multiplicationem; ex quibus illud colligit, quod ſicut *non conſequitur ſermo noſter, aut ſenſus, quibus modis natura demutata ſit, & aquæ ſimplicitas defecerit, vini ſapor natus ſit* (*h*); *ſicut fugit oculos ſenſus noſtri*, quomodo *panes offeruntur, & franguntur, ſubrepunt perfringentium manibus quædam fragmentorum procreationes; fallunt momenta viſum, dum plenam fragmentis manum ſequeris, alteram ſine damno portionis ſuæ*

(a) *Pag.* 799. *n.* 22. (b) *Pag.* 800. *n.* 24.
(c) *Joan.* 14. 16. & 16. 13. (d) *Pag.* 807. *n.* 35.
(e) *Joan.* 14. 10. (f) *Pag.* 807. *n.* 1.
(g) *Pag.* 809. *n.* 3. 4. (h) *Pag.* 810. *n.* 5.

nis ſuæ contueris (*a*): ita mirum eſſe non debet, ſi æterna Filii generatio *intelligentiæ noſtræ incomprehenſibilis ſit*. *Prudentes* vero *ſæculi*,... *qui cum audiunt Deum ex Deo*,... *dicunt*, *nihil naſci potuit ab uno*, *quia omnis ex duobus nativitas eſt* (*b*), objurgat, adductis Scripturæ textibus, quibus Deus dicit: *Perdam ſapientiam ſapientum*, *& intellectum prudentium reprobabo* (*c*). Addit, non illis falſis ſapientibus, ſed Chriſto credendum, qui, ut *ſibi crederetur*, *homo factus eſt*, *ut teſtis divinarum rerum nobis eſſet*, qui ut omnem a nobis amoveret dubitationem, Patrem rogavit, ut *Filium ſuum clarificaret*, ideſt patentibus ſignis oſtenderet dictorum ſuorum veritatem, ut & ipſe per Filium clarificaretur: *Ego te clarificavi ſuper terram* (*d*). *Clarificatur autem per Filium Pater in eo*, *quod ſit a nobis per Filium intelligendus*. *Filius a Patre clarificatur per id*, *quo ab eo Filius poteſtatem omnis carnis acceperit* (*e*), operandi videlicet portenta, & prodigia, quibus ſuam oſtenderet divinitatem, unde Centurio, viſis in Chriſti morte prodigiis, proclamat: *Vere Dei Filius erat iſte* (*f*). Ex verbis vero Joannis: *Hæc eſt autem vita æterna*, *ut cognoſcant te ſolum Deum verum*, *& quem miſiſti*, *Jeſum Chriſtum* (*g*), argumentum ſumit S. Hilarius probandæ divinitatis Jeſu Chriſti; nam ſi *in utroque ſpes vitæ eſt*; *non habet intervallum confeſſio credentium*,... *& non Patris*, *& Filii veritas ſub aliqua aut ſignificationis*, *aut dilationis diverſitate diſcernitur*, *ſed ad gignentis*, *& geniti confeſſionem fides religionis inſtruitur* (*h*). Poſtea obſervat, Dei nomen, quod Chriſtus manifeſtandum venit, non nomen Dei abſolutum eſſe; hoc enim non ignorabatur ante Chriſtum, cum illud & *Moyſes de rubo audierit*, *& Geneſis in exordio creati Mundi enuntiaverit*, *Prophetæ protulerint*, *immo & Gentes etiam mentiendo veneratæ ſint*; ſed nomen eſſe Patris, ſine quo & nomen Dei abſolute ignoratur: *nam nemo noſcit Deum*, *niſi confiteatur & Patrem*, *Patrem Unigeniti Filii* (*i*). S. Hilarius.

In quarto libro S. Hilarius, recitatis Arianorum, aliorumque hæreticorum erroribus de æternitate, & conſubſtantialitate Verbi, & eorum ſophiſmatibus in medium adductis, quibus vocem *conſubſtantialis* rejiciendam oſtendere conabantur, Catholicæ Eccleſiæ ſententiam exponit, & a pravis ſenſibus, quibus neceſſariam illam vocem ſupprimere tentabant, Eccleſiam abhorrere declarat, ſcribens, triplici in ſenſu Patrem Filio conſubſtantialem dici, nimirum I. „ Si ipſe ſit Pater, qui & Filius, ex infinitate ſua pro„ tenſus in Virginem, ex qua corpus aſſumens ſibi in eo corpore, „ quod aſſumpſit, Filii nomen addiderit. II. Si id homouſii e„ nuncia- Analyſis libri quarti.

(a) *Ibid. n.* 6. (b) *Pag.* 811. *n.* 8.
(c) *Iſaj.* 29. 14. (d) *Joan.* 17. 4.
(e) *Pag.* 814. *n.* 13. (f) *Matth.* 27. 54.
(g) *Joan.* 17. 3. (h) *Pag.* 815. *n.* 14.
(i) *Pag.* 816. *n.* 17.

S. HILARIUS.

„ nunciatio ſignificet, quod rei anterioris, atque alterius communio „ ſit duobus, tamquam prior ſubſtantia, vel uſia materiæ alicujus „ extiterit, quæ participata duobus, & in utroque conſumpta u- „ trumque illum & naturæ anterioris, & rei eſſe teſtetur unius. III. „ Si ex diviſione paternæ ſubſtantiæ eſſe Filius exiſtimetur,... ita „ ut in duos ſit res una diviſa (*a*) “. His omnibus reſpondet Hilarius, *ſtultum eſſe*, & *impium Hæreticorum metum*, & *irreligioſam* illorum *de Deo ſollicitudinem*, *cum has homouſii* affictas *ſignificationes Eccleſia abominetur*, *reſpuat*, *damnet*.... qui ex ea ſolum ſignificatione homouſii vocem uſurpat, ut & *ſubſiſtere Filium in ſubſtantia*, *qua genitus ex Patre eſt*, *cognoſceretur*, & *Patri de ſubſtantia*, *qua manebat*, *per Filii nativitatem nihil eſſe decerptum* (*b*), quæ, aptius, quam per vocem conſubſtantialis, exprimi nequibant. Recitat poſtea omnia Scripturæ teſtimonia, queis abutebantur Ariani, ut oſtenderent, ſolum Patrem eſſe Deum, non vero Filium, & ut eorum fraudes in apricum proferat, integram deſcribit fidei formulam, quam Arius, ejuſque ſectatores Alexandria pulſi Alexandro ejuſdem Civitatis Epiſcopo miſerunt. Hujus priorem partem, in qua Patrem ſolum eſſe Deum oſtendere laborant, refutat, ac ex productis Scripturæ teſtimoniis Dei unitatem prædicantibus id ſolum evincit, Deum unum dici, ut *populo* & *in Ægypto*, & *in Deſerto Idolis*, & *Deorum*, *ut putabant*, *religionibus occupato*, *hoc conſtitueretur principale mandatum*, *ut unum Deum crederent* (*c*). Cæterum Moyſes ipſe, qui tam diſerte pronuntiaverat: *Audi Iſrael*, *Dominus Deus tuus unus eſt* (*d*), alibi tamen plures in Deo perſonas indigitat, ut cum in Geneſi legitur: *Dixit Deus*, *faciamus hominem ad imaginem*, & *ſimilitudinem noſtram* (*e*); & ſubdit: „ Quæro nunc, ſolumne ſibi Deum locu- „ tum exiſtimes, an vero ſermonem hunc ejus intelligas non ſibi, „ ſed ad alterum extitiſſe (*f*) “? Et ſimiliter dum Deus cum Noe loquens, dixit: *Qui effuderit ſanguinem hominis*, *pro ſanguine ejus effundetur anima ejus*, *quia ad imaginem Dei feci hominem* (*g*). In quo teſtimonio acute obſervat S. Hilarius, in principio, cum Deus hominem creavit, dixiſſe: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, *ad demonſtrandam naturæ unitatem*; hic vero ipſe Deus non dicit: Feci hominem ad imaginem *mei*, vel *noſtram*, ſed ad imaginem *Dei*, *ut diſtinguatur exemplum*, *opus*, & *operans* (*h*). Et dum legitur: *Dominus ſulphur*, & *ignem pluit a Domino* (*i*), ideo dictum putat, *Dominus a Domino*, *ut non diſcerneret naturæ nomine*, *quos ſignificatione diſtinxerat* (*k*). Et ſic omnibus hiſce teſtimoniis indigitatam oſtendit per-

(a) *Pag.* 828. *n.* 4. (b) *Pag.* 829. *n.* 6.
(c) *Pag.* 836. *n.* 15. (d) *Deut.* 6. 4.
(e) *Geneſ.* 1. 26. (f) *Pag.* 837. *n.* 17.
(g) *Gen.* 9. 6. (h) *Pag.* 839. *n.* 19.
(i) *Gen.* 19. 24. (k) *Pag.* 845. *n.* 29.

to libro, ac quo oſtendenda, & declaranda aggreditur: I. videlicet, Verbum eſſe in ſenſu Scripturæ verum Deum: II. Hanc Verbi divinitatem nec minimum divinæ unitatem naturæ labefactare. Priuſquam ad primam probandam veritatem progrediatur, principii loco ſtatuit: Alicujus rei *veritatem ex natura, & ex virtute eſſe, ut exempli cauſa dictum ſit, verum triticum eſt, quod ſpica ſtructum, & ariſtis vallatum, & folliculis decuſſum, & in farinam comminutum, & in panem coactum..... reddiderit ex ſe naturam panis* (*a*). Ex quo jacto fundamento ſic ratiocinatur ex Mundi creatione, inquiens: *Creatio Mundi, poſtquam & Dei cognitio ſuſcepta eſt*, procul dubio opus eſſe non poteſt niſi unius, & veri Dei: *porro non ambigitur, quin per Filium omnia ſint ſecundum Apoſtolum dicentem: Omnia per ipſum, & in ipſo*. Igitur *ſi omnia per eum, & omnia ex nihilo, & nihil non per eum; quæro, in quo ei veritas Dei deſit, cui non deſit Dei nec natura, nec virtus* (*b*)? Verum objiciebant hæretici, Dei Filium in Scripturis non ſemel *Angelum* appellari; quod nomen naturæ diverſitatem, & inferioritatem denotare videtur. At reſpondet S. Hilarius, nomen Angeli Filio tributum non *naturæ nomen afferre, ſed officii ſignificationem:.... igitur officii ſignificationem teſtatur in nuntio, naturæ autem veritatem confirmavit in nomine, cum Deum dixit* (*c*). Filio Dei tribuit apparitiones ſub Angeli figura Patriarchis exhibitas, in quibus oſtendit, agnitum ab illis verum Deum, cum & illum adoraverint, & *ſolum juſtum judicem* appellaverint *judicem terræ, & ab eo benedici poſtulaverint*, & cujus nomen admirabile eſſe audierunt (*d*). Iterum objiciebant Ariani verba Prophetæ: *Benedicent te Deum verum* (*e*); unde inferebant, ſolum Patrem eſſe verum Deum, non vero Filium. Sed primo illis exprobrat D. Hilarius *fraudem ſyllabæ adjectione, quæ in libris non extat.... non enim ſcriptum eſt: Benedicent te Deum verum, ſed, Benedicent Deum verum* (*f*). Deinde ex hoc ipſo teſtimonio evincit, Filii divinitatem luculenter oſtendi, cum nonniſi ad Filium ea, quæ præcedunt, referri poſſint, videlicet *ſervientibus mihi vocabitur nomen novum* (*g*). „ Et quod eſt (ſubdit Hilarius) hoc „ novum nomen religionis, quod benedicetur ſuper terram? Si a „ ſæculis Chriſtiani vocabuli antea beatitudo unquam fuit, nunc no-
„ vum

(a) *Pag.* 856. *n.* 3. (b) *Pag.* 856. *n.* 4.
(c) *Pag.* 860. *n.* 11. (d) *Pag.* 862. & *ſeq. n.* 15. & *ſeq.*
(e) *Iſaiæ* 65. 16. (f) *Pag.* 869. *n.* 26.
(g) *Iſ.* 65. 15.

S. Hilarius. „ vum non eſt. Sin vero hoc ſanctificatum pietatis noſtræ in Deum „ novum nomen eſt, hæc profecto profeſſionis novitas cæleſtium „ benedictionum merces ſuper terram eſt (*a*)". Sicut & illa: *Palam apparui non interrogantibus me, & inventus ſum non quærentibus me, extendi manus meas tota die ad populum diffidentem, & contradicentem* (*b*), quæ verba a Deo pronuntiata Apoſtolus ad Romanos ſcribens Chriſto applicat (*c*). Hinc ſic Arianos urget: „ Rogo, quis apparuit non interrogantibus, quis inventus „ non quærentibus? & quis die tota manus ad diffidentem, & con„ tradicentem populum extendit" (*d*)? Progreditur poſtea S. Præſul ad evincendum, Patrem, & Filium, nonniſi unum eſſe Deum; quod oſtendit Moyſis teſtimonio ſcribentis: *Videte, videte, quoniam ego ſum ſolus, & non eſt Deus præter me* (*e*); & paulo inferius addit: *Lætamini gentes cum plebe ejus* (*f*); quæ verba Apoſtolus de Chriſto dicta eſſe aperte teſtatur. Porro ſi de Chriſto ſcriptum eſt: *Ego ſum Deus ſolus, & non eſt Deus præter me*, manifeſte apparet, Patrem non eſſe alium a Filio Deum. Nam (ſubdit S. Hilarius) „ verum, & abſolutum, & perfectum fidei noſtræ ſacra„ mentum eſt, Deum ex Deo, & Deum in Deo confiteri, non corpo„ ralibus modis, ſed divinis virtutibus, nec naturæ in naturam trans„ fuſione, ſed myſterio, & poteſtate naturæ (*g*)"; quam catholicam doctrinam confirmat Iſajæ verbis: *Quoniam in te eſt Deus, & non eſt præter te Deus. Tu enim es Deus, & neſciebamus, Deus Iſrael Salvator* (*h*), & illis Baruch: *Hic Deus noſter eſt, & non deputabitur alter ad eum: qui invenit omnem viam ſcientiæ, & dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc ſupra terram viſus eſt, & inter homines converſatus eſt* (*i*). Ex quibus verbis ſic concludit; certum eſt, ibi ſermonem eſſe de Chriſto Dei Filio, de quo dicitur: *Hic Deus noſter eſt, & non deputabitur alter*; ergo unus, & idem Deus eſt cum Patre.

Analyſis libri ſexti. Statim ab exordio repræſentat, difficillimam eſſe Arianæ luis curam, eo quod error ex plurimorum aſſenſu publicam ſibi auctoritatem comparaverit: Epiſcopali tamen officio, plurimos revocandi ſpe, adductum fidei patrocinium ſuſcipere; & quamvis libro quarto fidei profeſſionem, quam Arius Alexandro obtulerat, ex lege, & Prophetis refelliſſet, hic rurſus productam ex Evangeliis, & Apoſtolis plenius refutandam aſſumit. Primum tamen fraudes detegit, & dolos, quibus tota ſcatet ea Arianorum profeſſio, quippe qui, ut ſe orthodoxos eſſe oſtenderent, Valentinianorum, Manichæorum, & Sabellianorum hæreſes confutandas ſuſceperant. Illarum ſectarum dogmata refert, & nervoſe confutat oſtendens, quan-

(a) *Pag.* 871. *n.* 29. (b) *Iſ.* 65. 1. 2.
(c) *Rom.* 10. 13. (d) *Pag.* 872. *n.* 31.
(e) *Deut.* 32. 39. (f) *Deut.* 32. 43.
(g) *Pag.* 875. *n.* 37. (h) *Iſ.* 45. 14. 15.
(i) *Baruch* 3. 36. 37. 38.

quantum ab eorum erroribus Catholicæ Eccleſiæ diſtet doctrina, quæ ignorat *Valentini bythona*, *&* *ſilentium*, *&* *ter denos Æonas*; *ſcit vero nihil aliud*, *quam unum Deum Patrem*, *ex quo omnia ſunt*, *&* *unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, *per quem omnia*, *natum ex Deo Deum*. *Sed quia ex Deo Deus natus*, *neque per nativitatem ſuam Deo ademit eſſe*, *quod Deus eſt*, *neque per nativitatem ſuam cœpit eſſe*, *ſed natus ab æterno ex Deo eſt* (*a*); *nec ſicut Manichæus*, *partem unius ſubſtantiæ Patris natum expoſuit*;... *quam hæreticam inſaniam pia Eccleſiæ fides damnat*, *quæ neſcit in Filio portionem*, *ſed ſcit*, *Deum totum ex Deo toto*, *ſcit ex uno unum*, *non defectum*, *ſed natum*, *ſcit nativitatem Dei nec diminutionem eſſe gignentis*, *nec infirmitatem eſſe naſcentis* (*b*). Nec alia de cauſa Ariani Sabellianorum impietatem rejiciebant, niſi ut inde occaſionem nanciſcerentur negandi unitatem ſubſtantiæ in Patre, & Filio; at Sabellianos ideo damnat Eccleſia, quia a Patre docentes in utero Virginis carnem ſuſceptam, veram Filii generationem excludebant, eamdem dicentes eſſe perſonam Patrem, & Filium. Hieracitarum quoque hæreſim, quam in ſua fidei profeſſione Ariani damnabant, non minus catholicæ adverſari veritati oſtendit Hilarius; nam Hieraces *neſciens unigeniti nativitatem* .... *unius lucernæ duo lumina prædicabat*, *ut lychnorum bipartita diviſio ſubſtantiam Patris*, *&* *Filii æmularetur*, *quæ ex unius vaſculi unguine accenderetur in lumen*, *tanquam eſſet ſubſtantia exterior*, *ut olei ſubſtantia in lucerna continens utriuſque luminis naturam* (*c*). Cui errori veræ Fidei profeſſionem opponit, *quæ eſt*, *ita Deum ex Deo natum*, *ut lumen ex lumine*, *quod ſine detrimento ſuo naturam ſuam præſtat ex ſeſe*, *ut det*, *quod habet*, *&* *quod dederit*, *habeat* (*d*). Et adverſus Sabellianos blaſphemantes, Patrem Filium factum eſſe, docet, Patrem & ab æterno Patrem, & ſemper Patrem, Filium genuiſſe. Prolixius deinde oſtendit, Chriſtum eſſe Dei Filium non adoptivum, ſed proprium, & I. quidem teſtimonio Patris, qui de Filio loquens, dixit: *Ex utero ante luciferum genui te* (*e*), dum cum ait: *ex utero*, *non ex nihilo creatio ſubſtitiſſe*, *ſed ex ſe unigeniti ſui naturalis nativitas doceretur* (*f*). Ariani vero, qui hoc *ineffabile* in Patre *naturæ ſuæ*, *virtutiſque ſecretum* non intelligebant, *non modo illud arguere non credendo*, *ſed & humanis impugnare doctrinis* conabantur dicentes: *Si ex Deo eſt Filius*, *demutabilis*, *&* *corporeus Deus eſt*, *qui ex ſe protulerit*, *vel extenderit*, *quod ſibi eſſet in Filium* (*g*). At illos refellebat Hilarius oſtendendo, nefas, & impium eſſe Deo de ſe loquenti non credere, & ſubdit: „ Quid ſollicitus es, ne demutabilis Deus ſit? Nos nativita-„ tem confitemur, nos unigenitum prædicamus ex Deo docti, tu, „ ne

S. Hilarius.

(a) *Pag.* 883. *n.* 9. (b) *Pag.* 884. *n.* 10
(c) *Pag.* 885. *n.* 12. (d) *Pag.* 886. *n.* 14.
(e) *Pſal.* 109. 3. (f) *Pag.* 889. *n.* 16.
(g) *Ibid. n.* 17.

S. Hilarius.

„ ne nativitas maneat, ne Unigenitus Deus in Eccleſiæ fide ſit,
„ naturam indemutabilis Dei, quæ nec extendi, nec protendi poſ-
„ ſit, opponis (*a*) “? Addit & illud Patris teſtimonium dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo complacui* (*b*), quæ verba indicant, Chriſtum Filium eſſe longe excellentiori modo, quam Sancti. II. Teſtimonio Jeſu Chriſti, qui Deum *Patrem* ſuum appellat, & de quo dicit: *Ego novi eum, quoniam ab eo ſum, & ipſe me miſit* (*c*). Et rurſum: *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater me miſit, & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me* (*d*). Porro teſtimonium, quod de Filio perhibuit Pater, illud eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus* (*e*), in quo *naturæ demonſtratio eſt* (*f*). Et cum Chriſtus de ſe dicit: *Neque me ſcitis, nec unde ſim, noſtis; nec enim a me veni, ſed eſt verax, qui miſit me, quem vos neſcitis, ſed ego novi eum* (*g*); clare æternam ſuam generationem indicavit, cum temporalem ejus nativitatem ignorare non poſſent Judæi. Et cum dicit: *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique me, quia a Deo exivi, & veni... & ille me miſit* (*h*): & rurſum: *Qui me odit, & Patrem meum odit* (*i*). Quæ dicta, obſervat Hilarius, minime vera forent, niſi Chriſtus eſſet verus Dei Filius, cum Patre diligendus, a quo procedit: fieri enim poſſet, ut Filius adoptivus odio haberetur, quin odio habeatur Pater adoptans, & non diligatur miſſus, dum diligitur mittens. III. Teſtimoniis Patris, & Filii addit S. Hilarius & Apoſtolorum teſtimonia (*k*), „ qui a Deo exiſſe, ideſt a
„ Deo miſſum intellexerunt; nam omni ſuperiore ſermone confiten-
„ tem miſſum eſſe frequenter audierant, ſed audientes a Deo exiſ-
„ ſe, naturam in eo Dei ex operibus cernentes, naturæ veritatem
„ per id, quod ex Deo exiit, recognoſcunt, cum dicunt: *Nunc er-*
„ *go ſcimus, quia noſti omnia, & non habes neceſſe, ut aliquis te*
„ *interroget; in hoc credimus, quod a Deo exiſti* (*l*) “. Quibus verbis ſignificat, Apoſtolos Chriſtum a Patre miſſum jam cognoviſſe: at æternum ejus exitum a Patre per veram generationem nonniſi ex eo, quod ſciret omnia, quod proprium eſt Dei, cognoverunt. Hinc juxta S. Hilarium, Apoſtoli nihil reponunt Chriſto dicenti: *Veni in Mundum miſſus a Patre*, quia hoc jam noverant; ſed ſolum tunc fidem ſuam perdunt, quando audiunt: *A Deo exivi*, ut veritatem confiterentur, quam tunc ſolum noſſe incipiebant. Urget etiam Arianos illis Petri Apoſtoli verbis: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi* (*m*) ſcribens: „ Si non idcirco filius eſt, quia exie-
„ rit a Deo, quæro, unde Beatus Simon Bar-Jona eſt confeſſus: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi?* Anne cum omnibus poteſtas ſit per
„ Sa-

(a) *Ibidem*. (b) *Matth.* 3. 17.
(c) *Joan.* 7. 28. 29. (d) *Joan.* 5. 36. 37.
(e) *Matth.* 3. 17. (f) *Pag.* 897. *n.* 28.
(g) *Joan.* 7. 28. 29. (h) *Joan.* 8. 42.
(i) *Joan.* 15. 23. (k) *Pag.* 901. *n.* 34.
(l) *Joan.* 16. 29. (m) *Matth.* 16. 16.

„ Sacramentum regenerationis in filios Dei naſci? Si ſecundum hanc „ nuncupationem filius Dei Chriſtus eſt, interrogo, quid illud ſit, „ quod Petro nec caro, nec ſanguis revelavit, ſed Pater, qui in „ cælis eſt? Generalis profeſſio quid habet meriti? aut quæ revela- „ tionis eſt gloria in publica conſcientia? .... Ultra humanam au- „ tem intelligentiam ſe fides Apoſtolica protendit .... quia non „ Chriſtum ſolum, ſed Chriſtum Dei Filium confeſſus eſt (*a*)". His addit & teſtimonium S. Joannis dicentis: *Deum nemo vidit unquam, niſi Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris* (*b*). In quibus verbis Apoſtolus, ut nihil ad naturalem filiationem deſignandam deſideraretur, non ſolum *Filium* appellavit, ſed *Unigenitum* addidit, & *in ſinu Patris*, ut omnem Filii adoptivi ſuſpicionem penitus elongaret. Verum Ariani reponebant, *Filium* dici, quia creatum, *unigenitum*, quia præ ceteris creaturis longe ampliori donatum perfectione. Sed illis alia Apoſtoli verba objiciebat Hilarius: *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam* (*c*), ſubdens: „ Si dilectionis hæc fides eſt, creaturam creaturis præſtitiſſe, & pro „ Mundo dediſſe, quod Mundi eſt, & ad ea, quæ ſunt ex nihilo „ ſubſtituta redimenda, eum, qui ex nihilo ſubſiſtit, præbuiſſe, „ non facit magni meriti fidem vilis & ſpernenda jactura. Pretio- „ ſa autem ſunt, quæ commendant charitatem, & ingentia ingen- „ tibus æſtimantur. Deus diligens Mundum, filium non adopti- „ vum, ſed ſuum, ſed unigenitum dedit (*d*)". Sic pariter, dum Joannes ſcribit: *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quoniam Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei* (*e*): quæ verba perpendens S. Hilarius, ſcribit: „ Si ſufficit ad ſalutem *Chriſtum* credere, cur adjecit *Filium* „ *Dei?* Si vero Chriſtum credere, ea demum fides eſt, non Chriſtum „ tantummodo, ſed Chriſtum Filium Dei crediſiſſe; non eſt nomen Filii „ in unigenito Dei ex adoptionis conſuetudine, quod proprium eſt ad „ ſalutem: ſi ergo ſalus in confeſſione nominis eſt; quæro, cur in „ nomine veritas non ſit (*f*)"? Alibi etiam dicit S. Joannes: *Omnis, qui diligit Patrem, diligit eum, qui ex eo natus eſt* (*g*); quæ verba expendens S. Hilarius ſcribit: „ Quid eſt, rogo, ex „ eo naſci? Nunquid id ipſum eſt, quod per eum creari? Aut cur „ Evangeliſta mentitur, ut ex eo natum dicat, quem per eum „ creatum potius hæreticus doceat? (*h*)". Obſervat denique S. Præſul, Doctorem Gentium appellare Chriſtum *proprium Filium Dei* (*i*). Cæcus natus, poſtquam ab illo audivit, ſe eſſe Filium Dei, adoravit illum. Martha pro Lazaro rogans, gratiam, quam poſtulabat reſurrectionis ejus, non eſt conſecuta, niſi poſtquam confeſſa

S. HILARIUS.

(a) *Pag.* 903. *n.* 36. (b) *Joan.* 1. 18.
(c) *Joan.* 3. 16. (d) *Pag.* 906. *n.* 40.
(e) *Joan.* 20. 31. (f) *Pag.* 907. *n.* 41.
(g) *Epiſt.* 1. *Joan.* 5. 1. (h) *Pag.* 907. *n.* 42.
(i) *Ad Rom.* 8. 32.

S. HILARIUS.

feſſa eſt: *Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei, qui in hunc Mundum veniſti* (*a*). Centurio miracula cernens in Chriſti morte facta, licet Gentilis, fateri coactus eſt: *Vere Filius Dei erat iſte* (*b*). Denique Judæi ipſi, *licet Chriſtum corporeum neſcirent, ſciebant tamen eum, qui Chriſtus eſſet, eſſe Filium Dei; unde Sacerdos eum interrogavit: tu es Chriſtus Filius Dei benedicti?* (*c*) Ex quibus omnibus concludit, Chriſtum Dei Filium eſſe non gratia, & adoptione, ſed natura, & æterna generatione.

Analyſis libri ſeptimi.

In ſeptimo libro, quem ipſe Hilarius cæteris præſtantiorem appellat in ordine ad divinitatem Filii oſtendendam, propugnandamque, fuſius, uberiori ſermone, & majori vi eadem verſat argumenta, quæ in ſuperioribus ſolum attigerat. Prius tamen fraudulentam hæreticorum ſubtilitatem carpit, qui *religionem fingunt*, qui prudentiæ ſæculi ſe coaptant, & ſimplicium aures verbis ſpecie tenus orthodoxis fallere tentant, & denique Scripturæ teſtimonia in ſuum pravum ſenſum detorquent. Addit, arduum ac difficile eſſe, quæ de Sancto Trinitatis Myſterio docet fides, aptis verbis exponere, & explicare, cum „ omne ſermonis iter aut anguſtiis „ præruptum, aut foveis inciſum, aut laqueis prætenſum ſit: „ prædicaturo enim, ſubdit, ſecundum legem, Prophetas, & Apoſtolos unum Deum, adeſt mihi Sabellius, totum me ſub verbi hujus profeſſione, tanquam deſideratum cibum morſu ſæviſſimo „ tranſvorans. Negantem me rurſum unum Deum contra Sabellium, & confitentem verum Deum Dei Filium, expectat nova „ hæreſis, ut a me duos Deos arguat prædicari. Natum quoque „ ex Maria Dei Filium dicturo, Hebion, hoc eſt Photinus aſſiſtit, auctoritatem mendacii ſui ex veritatis profeſſione ſumpturus (*d*) “: & ſic de cæteris hæreticis ab Eccleſiæ doctrina recedentibus, inter quos & Marcellum recenſet Ancyranum, quem, licet non ex nomine interpellet, ex Provincia tamen deſignat. At ſtatim ſubdit S. Hilarius: „ Magna vis eſt veritatis .... quæ per „ ea ipſa, quæ ei adverſantur, elucet .... & firmitatem naturæ „ ſuæ quotidie dum attentatur, acquirit. Hoc enim Eccleſiæ proprium eſt, ut tunc vincat, cum læditur, tunc intelligatur, cum „ arguitur, tunc obtineat, cum deſeritur. Omnes quidem illa ſecum, atque intra ſe vellet manere, nec ex tranquilliſſimis finibus „ ſuis alios aut abjicere, aut perdere.... ſed diſcedentibus ex ea „ hæreticis, vel abjectis, quantum amittit occaſionis largiendæ ex „ ſe ſalutis, tantum adſequitur ad fidem expetendæ de ſe beatitudinis. Namque cum Eccleſia a Domino inſtituta, & ab Apoſtolis confirmata una omnium ſit, nec negari poteſt ex vitio malæ „ intelligentiæ.... & dum ſibi partes ſingulæ adverſantur, non „ ſolum ſuis, ſed adverſantium eſt intelligenda doctrinis, ut dum „ adverſus eam omnes ſunt, impiiſſimum tamen errorem omnium „ per

(a) *Joan.* 11. 27. (b) *Matth.* 27. 54.
(c) *Pag.* 912. *n.* 50. (d) *Pag.* 916. *n.* 3.

S. Hilarius.

„ per id, quod ſola eſt atque una, confutat. Hæretici igitur o-
„ mnes contra Eccleſiam veniunt, ſed dum hæretici omnes ſe invi-
„ cem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt. Victoria enim eorum,
„ Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt .... Unum Deum Sabellius
„ prædicat, Filii nativitate ſublata .... fidem veræ generationis a-
„ miſit .... Clamabunt contra hæc Ariani .... Sacramentum ſalu-
„ tis tuæ neſcis, credendus eſt Filius, per quem ſæcula facta
„ ſunt ..... qui de Maria natus eſt, qui miſſus a Patre eſt, cru-
„ cifixus, mortuus, & ſepultus eſt .... ſed diſſimilem Deo Patri
„ Filium prædicantes non minus ore vipereo. Uterque hoſtis Ec-
„ cleſiæ res Eccleſiæ agit, dum Sabellius Deum ex natura in operi-
„ bus prædicat; hi vero ex Sacramento fidei Filium Dei confiten-
„ tur .... & inter hæc Eccleſiæ fides evangelicis, atque apoſtolicis
„ fundata doctrinis & adverſus Sabellium tenet fidei profeſſionem,
„ & adverſus Arium Dei naturam in filio ante ſæcula genito con-
„ fitetur (*a*)". His præjactis, ad quæſtionem accedit D. Hila-
rius, & Jeſum Chriſtum oſtendit verum eſſe Deum, & ex Dei
nomine, quod illi diſerte tribuit Scriptura, & ex ejus natura, o-
mnipotentia, & operibus. Fatetur, Dei nomen aliquando & Crea-
turis conceſſum, ut cum Moyſi dictum eſt: *Dedi te Deum Pharao-
ni* (*b*); ſed obſervat „ adjectam nominis cauſam, cum dicitur Pha-
„ raoni .... Sic Moyſes Pharaoni Deus datus eſt, dum timetur,
„ dum oratur, dum punit, dum medetur; & aliud eſt Deum dari,
„ aliud eſt Deum eſſe. In Pharaonem enim Deus datus eſt: cæ-
„ terum non ei eſt & natura & nomen, ut Deus ſit (*c*).... At
„ vero hic Verbum Deus eſt, res exiſtit in Verbo, Verbi res e-
„ nuntiatur in nomine. Verbi enim appellatio in Dei Filio de ſa-
„ cramento nativitatis eſt, ſicut ſapientiæ, & virtutis eſt nomen (*d*);
„ nam intelligentiæ iſtud humanæ ſenſus excludit, ut aliquid a na-
„ tura originis ſuæ naſcendo diverſum ſit, niſi forte, quod ex na-
„ turarum diverſitate conceptum, novum aliquid in ſe (& ita ſit
„ generis utriuſque, quod neutrum ſit) veniat in vitam, quod in
„ pecoribus, ac beſtiis uſitatum eſt ... quis, rogo, furor eſt nativi-
„ tatem Unigeniti Dei ad degenerem ex Deo referre naturam, cum
„ nativitas nonniſi ex proprietate naturæ ſit, & jam nativitas non
„ erit, ſi proprietas naturæ in nativitate non fuerit? Hinc ille o-
„ mnis æſtus, & furor eſt, ut in Filio Dei non nativitas ſit, ſed
„ creatio, ut non naturæ ſuæ originem ſubſiſtens teneat, ſed alie-
„ nam a Deo de non extantibus ſumat (*e*)". At a Judæis refellun-
tur Ariani, qui *eum quærebant interficere* .... quod *proprium ſibi
Patrem dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo* (*f*); quæ ta-
men verba obſervat Hilarius, *non Judæorum eſſe, ſed Evangeli-
ſtæ cauſam demonſtrantis, cur Dominum interficere Judæi vel-*

Tricalet. Tom. I. Y *lent*

(a) *Pag.* 917. *n.* 4. *& ſeq.* (b) *Ex.* 7. 1.
(c) *Pag.* 921. *n.* 10. (d) *Ibid. n.* 11.
(e) *Pag.* 924. *n.* 14. (f) *Joan.* 5. 18.

S.HILARIUS.

lent (*a*): Et notat, unitatem naturæ, & diſtinctionem perſonæ clare in verbis illis explicari, ſcribens: „ Æqualitas nunquam ibi „ eſſe creditur, ubi unus eſt, nec tamen ibi reperitur, ubi differt. „ Ita ſimilitudinis æqualitas nec ſolitudinem habet, nec diverſita- „ tem: quia omnis æqualitas nec diverſa, nec ſola eſt " (*b*). Æqualitatem naturæ in Filio, & Patre probat etiam Hilarius ex illis Evangelii verbis: *Non poteſt Filius ab ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille facit, eadem & Filius facit ſimiliter. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & majora horum opera demonſtrabit ei, ut & vos admiremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius, quos vult, vivificat. Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum* (*c*). Quæ verba expendens ſingillatim S. Hilarius ſic denique concludit: *Anne demonſtratio operum aliud hic nobis, præterquam nativitatis fidem ingerit, ut ſubſiſtentem Filium ex ſubſiſtente Patre credamus?* (*d*) Quod confirmat & ex æqualitate honoris Patri, & Filio debiti ſcribens: *Et quomodo poſt hæc intelligitur nativitatis differre natura, quam non ſolum operatio, virtus, honor, ſed etiam contumelia negati honoris exequat* (*e*)? Ex omnipotentia quoque in agendo conſubſtantialitatem Filii evincit Hilarius, dum verba Chriſti dicentis: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*, confert cum aliis ejuſdem Chriſti ajentis: *Qui ſunt ex ovibus meis, vocem meam audiunt, & ego novi eas, & ſequuntur me; & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in ſempiternum, nec quiſquam rapiet eas de manu mea.... ego & Pater unum ſumus* (*f*). Quæ verba ita dilucide æqualitatem Patris cum Filio exprimere, obſervat Hilarius, ut Judæi, his auditis, Chriſtum ſtatim lapidare voluerint, quia *cum homo eſſet, faciebat ſe ipſum Deum* (*g*). Nec dictum ſuum emollivit Chriſtus, aut explicavit in ſubſequentibus verbis, ſed magis ex omnipotentia virtutis ſuæ in operibus elucentis confirmavit, cum ſubdidit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite, ut ſciatis, & cognoſcatis, quoniam Pater in me, & ego in eo* (*h*). Ut autem explicet Hilarius, quomodo Filius in Patre ſit, plura affert ex rebus corporalibus exempla, ut *ignis in ſe ignem habens, & in igne ignis manens; nam cum ſit in eo ſplendor luminis, naturæ calor, virtus urendi, mobilitas æſtuandi, totum tamen ignis eſt, & hæc univerſa, una natura eſt* (*i*). Fatetur

(a) *Pag.* 925. *n.* 15. (b) *Ibidem.*
(c) *Joan.* 5. 19. *& ſeq.* (d) *Pag.* 927. *n.* 19.
(e) *Pag.* 928. *n.* 20. (f) *Joan.* 10. 27. *& ſeq.*
(g) *Joan.* 10. 33. (h) *Ibid. v.* 37. *& ſeq.*
(i) *Pag.* 936. *n.* 29.

S. HILARIUS.

tetur tamen, hæc, & ſimilia exempla, parum eſſe ad explicandum, quomodo Pater in Filio ſit, & Filius in Patre, idonea & apta; nam non derivatione, nec refluxu Pater in Filio, & Filius in Patre eſt; ſed „ dum totum, quod ex eo naſcitur, virtus eſt, „ habet nativitatem, non habet demutationem, & impertit profe- „ ctum, nec amittit naturam: dum & nativitatem, quam dedit, „ per indiſcretæ naturæ ſimilitudinem ſequitur, & nativitas eam, „ quæ vivens ex vivente eſt, naturam naſcendo non deſerit (*a*)". Ex reſponſione quoque a Chriſto Philippo data: *Qui videt me, videt & Patrem meum* (*b*), manifeſte apparet, eamdem eſſe naturam Patris, & Filii; & hic S. Hilarius occaſionem nactus explicat, quomodo Filius ſit Patris imago, ſcribens: „ Ita imago eſt, „ ut non differat genere, ſed ſignificet auctorem. Imagines enim „ cæteræ ex diverſis aut metallis, aut fucis, aut generibus, aut „ artibus reddunt eorum ſpecies, quorum ſunt imagines inſtitutæ, „ ſed numquid ut imagines veræ ſint, exæquari poſſunt inanima vi- „ ventibus, & vel picta, vel ſculpta, vel fuſa nativis? ... Filius „ autem Patris non ſecundum hæc imago eſt; quia viventis vivens „ imago eſt, & ex eo natus non habet naturæ diverſitatem (*c*)". Cæterum fatetur, „ non relictum hominum eloquiis de Dei rebus „ alium, præterquam Dei ſermonem; omnia reliqua, & arcta, & „ concluſa, & impedita ſunt, & obſcura. Si quis aliis verbis de- „ monſtrare hoc, quam quibus a Deo dictum eſt, volet, aut ipſe „ non intelligit, aut legentibus non intelligendum relinquit (*d*)". Denique ex verbis Chriſti Domini: *Verba, quæ a me loquor, non ego loquor*, colligit inſeparabilem, & indiſſimilem Filii a Patre naturam ſcribens: „ Nam qui non a ſe loquitur, & tamen loquitur, „ non poteſt non eſſe dum loquitur, & dum non a ſe loquitur, „ oſtendit, non ſuum tantum eſſe, quod loquitur (*e*); ſubjecit „ enim: *Pater, qui in me manet, ipſe facit opera* " (*f*).

Analyſis libri octavi.

Procemii loco in octavo libro S. Hilarius de Epiſcopi dotibus diſſerit, ſcribens: „ Non ſtatim boni, atque utilis Sacerdotis eſſe aut „ tantummodo innocenter agere, aut tantummodo ſcienter prædica- „ re, cum & innocens ſibi tantum proficiat, niſi doctus ſit; & do- „ ctus ſine doctrinæ ſit auctoritate, niſi innocens ſit " (*g*). Totus autem in hoc libro eſt, ut unitatem ſubſtantiæ in Patre, & Filio oſtendat, & vindicet. Urget iterum Chriſti Domini verba: *Ego, & Pater unum ſumus* (*h*), ſicut & nonnulla alia, quibus ea de re uſus erat in præcedentibus libris. Sed quia Ariani teſtimonium illud eludebant, de unitate, & concordia voluntatis explicantes, juxta illud, quod de primis fidelibus narratur in Actis Apoſtolorum: *Multitudinis autem credentium erat anima una, & cor*

 unum

(a) *Pag.* 936. *n.* 28. (b) *Joan.* 14. 9.
(c) *Pag.* 941. *n.* 37. (d) *Ibid. n.* 38.
(e) *Pag.* 943. *n.* 40. (f) *Joan.* 14. 10.
(g) *Pag.* 947. *n.* 1. (h) *Joan.* 10. 30.

S. HILARIUS.

unum (*a*), & illud Apoſtoli: *Qui plantat, & qui rigat, unum ſunt* (*b*); ſicut & illa Chriſti Domini verba dicentis: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi ſint unum in nobis* (*c*); hæc diſſolvit S. Hilarius oſtendens, fideles dici unum, non concordia voluntatis, ſed unitate fidei, quia juxta Apoſtolum: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non enim eſt Judæus, atque Græcus, non eſt ſervus, atque liber, non eſt maſculus, neque fœmina; omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu* (*d*); & obſervat, Chriſtum non ita precatum eſſe: *Pater, ſicut nos unum volumus, ita & illi unum velint, ut unum per concordiam ſimus omnes* (*e*); ſed oraſſe, ut *unum omnes ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi ſint in nobis*. „ Neque enim ſolum locutus eſt ad ſignificationem, „ ſed etiam ad fidem docuit.... primum precatio eſt, *ut omnes* „ *unum ſint*, deinde unitatis profectus unitatis exemplo oſtenditur, „ cum ait: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi ſint in* „ *nobis* (*f*)". Præterea unitatem, quam ſuis Diſcipulis petiit a Patre, unitatem dicit eſſe honoris, & gloriæ, quam nobis ſua attulit Incarnatione, juxta illud, quod dixit Chriſtus: *Et ego honorem, quem dediſti mihi, dedi eis* (*g*). Sicut & unitatem poſtulavit etiam naturæ illius, nempe quam pro nobis aſſumpſit, & nobis in Euchariſtia dedit: „ Si enim vere (ſcribit Hilarius) Verbum caro factum eſt, & vere nos Verbum carnem cibo dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit?... „ Si vere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit,... noſque vere ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus,... quomodo voluntatis unitas aſſeritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum ſit unitatis?... (*h*) & ſicut ille in Patre per naturam divinitatis eſſet, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rurſum in nobis per Sacramentorum ineſſe myſterium crederetur (*i*); unde dictum eſt: „ *Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo* (*k*)". Ad ſemitam deinde revertens unitatem naturæ Patris, & Filii probat illis Scripturæ teſtimoniis, in quibus dicitur, Spiritum Sanctum, qui a Patre procedit, a Filio tamen accipere, & mitti (*l*); omnia Patris Filii eſſe, & omnia Filii Pa-

(a) *Act.* 4. 32. (b) 1. *ad Corinth.* 3. 8.
(c) *Joan.* 17. 20. 21. (d) *Ad Gal.* 3. 27. 28.
(e) *Pag.* 952. *n.* 11. (f) *Pag.* 953. *n.* 11.
(g) *Joan.* 17. 22. (h) *Pag.* 954. *n.* 13.
(i) *Pag.* 956. *n.* 15. (k) *Joan.* 6. 57.
(l *Joan.* 15. 26.

lii Patri eſſe communia (*a*); Spiritum Chriſti eſſe omnino Spiritum Dei, ut Spiritus Chriſti habitet in nobis, cum in nobis eſt Spiritus Dei, Spiritus Sancti dona modo a Patre donata dici, modo a Chriſto (*b*). Nec obſtare dicit, quod Paulus nomen Dei ſoli tribuat Patri, dum Chriſtum nonniſi Dominum vocat, cum ſcribit: *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſo, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, & nos per ipſum* (*c*); nam Apoſtolus indiſcriminatim Filio & nomen Dei, & Domini tribuit, ut patet, ubi dicit: *Quorum Patres, ex quibus Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus* (*d*). Hinc, cum Patrem Deum dixit Paulus, & Chriſtum Dominum, Perſonarum diſtinctionem, non naturæ diverſitatem ſignificavit. Ex eo etiam naturæ unitatem confirmat, quod Chriſtus ſit imago Patris, & ipſum Pater ſignaverit (*e*): *Hunc enim ſignavit Deus*, & juxta Apoſtolum, *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſe exinanivit formam ſervi accipiens* (*f*); ubi obſervat: „ Signaculorum naturam „ eam eſſe, ut omnes impreſſæ in ſe ſpeciei explicent formam, & „ nihil minus ex eo in ſe habeant, unde ſignentur, & dum totum „ accipiunt, quod imprimitur, totum ex ſe præferant, quod im- „ preſſum eſt (*g*) “. Hinc acriter eos objurgat, qui *formæ* nomine, quo utitur Apoſtolus, quid aliud interpretantur præter naturam divinam, cum idem Apoſtolus dicat eum in *forma* Dei, & *in gloria Dei Patris*. „ Nam qui in forma Dei eſt (ſcribit) neque in „ alterum Deum proficit, nec etiam ipſe non Deus eſt .... ſicut „ qui in gloria Dei eſt, non poteſt aliud eſſe, quam Deus eſt.... „ quia per id, quod in gloria Dei eſt, ex eo, in cujus gloria eſt, „ habet in ſe naturale, quod eſt (*h*) “. Finem denique octavo libro imponit oſtendendo, juxta Apoſtolum, totam divinitatis plenitudinem in Chriſto habitare corporaliter, nimirum, ut ipſe explicat, integre, & totaliter *non aut per dignationem, aut per voluntatem, ſed per generationem:* „ Et ſi quæras, inquit, quæ ſit ha- „ bitatio corporalis, intellige quid ſit loqui in loquente, & in vi- „ ſo videri, & in operante operari, & in Deo Deum, ex toto to- „ tum, & ex uno unum, & ita corporalis divinitatis plenitudinem „ recognoſcere (*i*) “.

S. Hilarius.

Copioſe in nono libro de duarum in Chriſto naturarum unione pertractat, & de idiomatum communicatione, ut loquuntur modo Theologi, ſeu de proprietatibus utriuſque naturæ minime confundendis; ad quod coactus fuit improbitate Arianorum, qui verbis, & operibus Chriſti abutebantur tribuentes Verbo, quod ſolius hominis proprium erat a ſe aſſumpti. Adverſus illos itaque ſtatuit 1.

Analyſis libri noni.

(a) *Joan.* 17. 10. (b) *Rom.* 8. 9. & *ſeq.*
(c) 1. *Corinth.* 8. 6. (d) *Rom.* 9. 5.
(e) *Joan.* 6. 27. (f) *Ad Philip.* 2. 6. 7.
(g) *Pag.* 973. *n.* 44. (h) *Pag.* 975. *n.* 47.
(i) *Pag.* 980. *n.* 56.

S. HILARIUS. loco S. Hilarius, in duabus naturis unum eſſe Chriſtum, cui omnia ſint tribuenda, quæ duabus conveniunt naturis. Deinde teſtimonia Scripturarum, quibus errores ſuos fulcire conabantur Ariani, exponit, & interpretatur. Et primum illud erat ex Marci Evangelio deſumptum, quando Chriſtus adoleſcenti interroganti, & *bonum* appellanti reſpondit: *Quid me dicis bonum? nemo eſt bonus, niſi unus Deus* (*a*); cui objectioni, poſtquam tanquam certum ſtatuit, quod *omnis reſponſionis ratio neceſſe eſt, ut ex interrogationum cauſis proficiſcatur* (*b*), reſpondet, Chriſtum, adoleſcentem non reprehendiſſe, quod illum bonum appellaſſet, ſed quod ſolum magiſterii titulo boni agnomen tribuiſſet: „ & ita, quæ ſibi tanquam homini tantum „ deferebantur, deteſtatur, neque ſe ab his, quæ Deo deputabat, „ profeſſus alienum eſt, cum unum Deum bonum confitens ea ipſe „ loqueretur, atque ageret, quæ unius Dei virtutis, bonitatis, at- „ que naturæ ſunt.... ille vero boni magiſtri nomen non recogno- „ ſcit, ubi nec Dominus intellectus eſt eſſe, nec Chriſtus: ſolum „ unum Deum bonum prædicans, non ſe utique a Deo ſecernens, „ qui & Dominum ſe profeſſus, & Chriſtum, ducem theſauri cæ- „ leſtis oſtendit (*c*)“. Ad illa vero verba: *Non eſt bonus, niſi unus Deus*, ex quibus Ariani inferebant, ſolum Patrem eſſe Deum, reſpondet, obſervans, „ ſemper Dominum fidei eccleſiaſticæ modum „ tenuiſſe, ut Patrem Deum unum prædicans a ſacramento ſe Dei „ non ſepararet unius, dum per naturam nativitatis neque alium „ ſe Deum profitetur eſſe, nec ipſum; quia eum nec diverſi gene- „ ris Deum eſſe, natura in eo unius Dei patitur, neque nativitas „ admittit, non perfectum ei eſſe, quod filius eſt (*d*)“; quod plurimis confirmat Scripturæ teſtimoniis. Opponebant etiam Ariani, quæ Chriſtus Patrem alloquens dixit: *Hæc eſt autem vita æterna, ut ſciant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* (*e*), „ quaſi per ea verba: *Te ſolum verum Deum*, ſe- „ pararet ſe a veritate Dei per exceptionem ſolitarii (*f*)“. At S. Hilarius eorum cavillationem diſſolvit, aliam exhibendo interpretandarum Scripturarum regulam, videlicet *ex ſuperioribus*, & conſequentibus *profeſſionibus* eſſe deſumendam intelligentiam alicujus Sacræ Scripturæ teſtimonii. Hinc plura affert teſtimonia, quibus aperte Chriſtus teſtatur, ſe a Patre exiſſe, ſolum non eſſe, ſed cum ipſo Patre eſſe, ſe Mundum viciſſe, poteſtatem a Patre accepiſſe dandi vitam omni carni, omnia Patris ſui ſua eſſe, & omnia ſua Patris eſſe; in quibus omnibus locis obſervat S. Hilarius, Chriſtum diſertiſſime ſuam a Patre nativitatem, ſuam cum illo naturam communem confeſſum eſſe, & docuiſſe. Poſtea vero addit, in ipſo objecto teſtimonio Chriſtum ſuam fateri divinitatem, & unitatem eſſentiæ cum Patre; poſtulat enim, ut ſciamus, & credamus in eum,

(a) *Marc.* 10. 18. (b) *Pag.* 994. *n.* 15.
(c) *Pag.* 995. *n.* 17. 18. (d) *Pag.* 995. *n.* 19.
(e) *Joan.* 17. 3. (f) *Pag.* 1002. *n.* 28.

eum, ſicut in Patrem, ut habeamus vitam æternam : *Solum enim verum Deum Patrem inutiliter credimus , niſi credamus & quem miſit Jeſum Chriſtum* (*a*) ; qui a Patre poſtulat, ut ſe glorificet gloria, quam in ipſo habuit ab initio, priuſquam Mundus fieret ; qui proinde pari cum Patre eſt honore, & gloria donandus, immo *naturæ Patris contumeliam.... inveheret, dum quod ex ſe eſt, deſineret eſſe, quod ſuum eſt, atque ita non eum demutatio corrumperet, qui in ſubſtantiam novam nativitate ſubſiſteret, ſed eum, qui in nativitate Filii impotens naturæ ſuæ tenere conſtantiam, externum aliquid a ſe, alienumque genuiſſet* (*b*). Tandem dicit Scriptura : *Si Deus honorificatus eſt in eo, & Deus honorificavit eum in ſe*, & Deus *protinus honorificavit eum* (*c*): Ex quo teſtimonio ſic argumentatur Hilarius. „ Quid ſignificet, interrogo, *Et Deus honorificatus eſt in eo*. Honorificatum cum in eo Deum audio,... „ Deus in homine honorificatus eſt, in Filio utique hominis, & „ quæro, an Filius hominis idem ſit, & Filius Dei, & cum non „ alius ſit filius hominis, neque alius Filius Dei,... cum qui Filius Dei eſt, ipſe & hominis ſit filius, requiro, quis in hoc Filio „ hominis, qui & Filius Dei eſt, glorificatus ſit Deus (*d*) ". Et rurſum cum dicit : „ *Si Deus glorificatus eſt in eo, & Deus glorificavit eum in ſe*, invenio naturæ gloriam in gloriam naturæ „ naturam glorificantis aſſumi " (*e*). Et denique concludit : „ Utique aut Chriſtum neceſſe eſt eſſe, qui glorificatur in carne, aut „ Patrem, qui glorificatur in Chriſto. Si Chriſtus eſt, Deus certe „ Chriſtus eſt, qui glorificatur in carne. Si Pater eſt, ſacramentum unitatis eſt, cum Pater glorificetur in Filio (*f*): neque enim glorificavit gloria exteriore, ſed glorificavit in ſeſe, in eam, „ quæ ſua eſt, gloriam reſumendo & eam gloriam, quam apud „ eum habuit, eum & apud ſe glorificat, & in ſe ſe (*g*) " ; quod profecto eamdem cum Patre Filio gloriam convenire luculenter oſtendit; unde dictum eſt : *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris* (*h*). Tertio loco objiciebant Ariani verba Chriſti dicentis : *Amen, amen dico vobis, non poteſt Filius a ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem* (*i*) ; „ quaſi ſit hæc plane infirmitatis profeſſio, nihil ab ſe „ facere Filium poſſe, niſi quod viderit Patrem facientem (*k*) ". Verum tantum abeſt, hocce teſtimonium aliquid contra Chriſti divinitatem moliri, quin immo potius æqualitatem Patris cum Filio & aſſerit, & oſtendit, ut probaverat S. Hilarius libro ſeptimo. Hic tamen rurſus, ut omnem cavillandi anſam Arianis eripiat, qua de cauſa, & occaſione verba illa protulerit Chriſtus, expendit;

S. Hilarius.

 obſer-

(a) *Pag.* 1005. *n.* 35. (b) *Pag.* 1006. *n.* 36.
(c) *Joan.* 13. 32. (d) *Pag.* 1010. *n.* 40.
(e) *Ibid. n.* 41. (f) *Pag.* 1011. *n.* 41.
(g) *Pag.* 1012. *n.* 42. (h) *Philipp.* 2. 11.
(i) *Jo.* 5. 19. (k) *Pag.* 1012. *n.* 43.

S. HILARIUS.

obſervat itaque, duplici accuſatum a Judæis crimine Jeſum ea reſpondiſſe; primum, quod illi objiciebant, facinus eſt violati Sabbathi; alterum ſibi uſurpatæ æqualitatis cum Deo. Ut igitur primam dilueret criminationem, dixit, *ſe non poſſe facere quidquam*, *niſi quod viderit Patrem facientem;* non ergo violabat Sabbathum, qui illud idem operabatur, quod Pater, qui Sabbathi Dominus eſt. Dum autem dicit: *Non poteſt Filius facere quidquam*, non impotentiam arguit in Filio, ſed proceſſionem Filii a Patre; nam ſuperius dixerat Judæis: *Pater meus uſque modo operatur*, *& ego operor;* unde æqualitatem oſtendit operationis, non inferioritatem. Alteram vero criminationem diluit laudata operationis æqualitate, cum dicat: *Quæcumque enim Pater facit*, *& Filius ſimiliter facit;* unde & æqualitatem naturæ manifeſte oſtendit; hinc ſic Arianos redarguit Hilarius: „ Exprobra infirmitatem Dei Filio, adime quo- „ que naturæ æqualitatem, ſi non quæcumque facit Pater, eadem „ & Filius facit ſimiliter, ſi diſcrimen aliquod paternæ virtutis, „ atque operationis admittitur, ſi quod æqualitati virtutis, naturæ- „ que proprium eſt, honoris æqualitas non poſtulatur: ipſe enim „ in continuis ait (*a*): *Ut omnes honorificent Filium*, *ſicut honori-* „ *ficant Patrem* “. Quartam vero objectionem deſumebant Ariani ex verbis Chriſti Apoſtolis dicentis: *Pater major me eſt* (*b*), quam diluit Hilarius potius exprobrando, quam reſpondendo: ſcribit enim: „ Oblitus es Mediatoris diſpenſationem, & in ea partum, „ cunas, ætatem, paſſionem, crucem, mortem.... ſi in his omni- „ bus Filius manens, ait: *Pater major me eſt;* ignorandum exiſti- „ mas hanc diſpenſationem ſalutis tuæ exinanitionem formæ Dei eſſe (*c*) “? Addit, & ſecundum divinam naturam ea poſſe ſumi verba, non ut æqualitatem cum Patre negaret, ſed ut proceſſionem ab ipſo manifeſtaret: „ non enim ſuæ originis eſt Filius, neque na- „ tivitatem ſibi non extans conquiſivit ex nullo, ſed ex vivente na- „ tura, vivens natura extans, tenet in ſe naturæ poteſtatem, pro- „ feſſa auctoritate naturæ, ut & honorem teſtetur, & gratiam ſum- „ ptæ nativitatis in honore (*d*). Tandem opponebant Ariani, Chriſtum eſſe confeſſum: *De die autem*, *& hora* (Judicii) *nemo neſcit*, *neque Angeli in Cælis*, *neque Filius*, *niſi Pater ſolus* (*e*); unde *ex neſciendi neceſſitate dominante non in ea naturæ perfectione*, *qua Deus eſt*, (*f*) Chriſtum fuiſſe inferrent. Illos autem refellit 1. oſtendendo pluribus argumentis, Jeſum Chriſtum Judicii diem non ignoraſſe. „ An credibile eſſe poteſt (ſcribit), ut aliquid ex omni- „ bus neſciat, qui omnibus ad id, quod ſunt, atque erunt, auctor „ eſt? Si enim omnia per Chriſtum, & in Chriſto, & ita per i- „ pſum, ut omnia in ipſo ſint.... quomodo non etiam in ſcientia „ ejus ſit, cum plerumque ſcientia ejus, ea, quæ neque in ſe, ne-

„ que

(a) *Pag.* 1014. *n.* 45. (b) *Joan.* 14. 28.
(c) *Pag.* 1018. *n.* 51. (d) *Pag.* 1019. *n.* 53.
(e) *Marc.* 13. 32. (f) *Pag.* 1022. *n.* 58.

„ que per ſe ſint, per virtutem naturæ non neſciens apprehendat“? (*a*) Præterea addit: „Cogitationes etiam humanas non ſolum præſenti motu incitatas, ſed etiam inſtinctu futuræ voluntatis agitandas, Dominus Chriſtus non ignorabat, Evangeliſta teſtante: *Sciebat enim Jeſus ab initio, qui eſſent non credentes, & qui eſſet traditurus eum* (*b*); id quod per ſe, intraque ſe eſt, neſciſſe exiſtimabitur?... Hanc ille diem ignorat, cujus & in ſe tempus eſt, & per ſacramentum ejus eſt? Etenim adventus ſui dies eſt iſta, de qua Apoſtolus ait: *Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum eo apparebitis in gloria* (*c*). Nemo itaque, quod per ſe, & intra ſe eſt, neſcit. Chriſtus aderit, & adventus ſui diem ignorat? Dies ſuus eſt ſecundum eumdem Apoſtolum: *Quia dies Domini ſicut fur nocte adveniet* (*d*); & ignoratione ejus detineri intelligendus eſt (*e*)“? Et poſt pauca ſubdit: „Jam vero quanta impietatis geminatur occaſio, ſi præter infirmitatem Chriſti, etiam Deo Patri vitium deputabitur, ut unigenitum Deum, & dilectionis ſuæ Filium diei hujus cognitione fraudaverit, malignitatiſque affectu ſcientiam futuræ conſummationis inviderit; & cum non ignorabilem ei eſſe paſſionis & diem, & horam voluerit, diem virtutis ejus & clarificandi in Sanctis ſuis horam negaverit, & ademerit beatitudinis cognitionem, cui mortis indulſerit præſcientiam.... Neſcit autem Deus aliud aliquando, quam dilectio eſſe, neque aliud, quam Pater eſſe; & qui diligit, non invidet, & qui Pater eſt, non etiam non Pater totus eſt“. Omnium ergo ſuorum communicationem Filio dedit, qui divinitatem dedit, in qua futurarum ſcientia continetur; hinc in Chriſto ſunt *omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi* (*f*). „Quod ſi diem Judicii neſcit, jam non omnes in eo ſcientiæ theſauri ſunt; ergo diem non ignorat, omnes in ſe ſcientiæ theſauros continens (*g*). At quomodo ſe neſcire dixit“? Quod ut explicet D. Hilarius, ſtatuit primo, in Scripturis, quando *Deus loquitur ignorare ſe, ignorantiam quidem profitetur, ignoratione tamen non detinetur; dum ad id, quod neſcit, non neſciendi infirmitas eſt, ſed aut tempus eſt non loquendi, aut diſpenſatio eſt non agendi* (*h*). Quod confirmat exemplo Sodomorum, de quibus Abrahamo dixit: *Clamor Sodomæ, & Gomorrhæ impletus eſt.... deſcendam ergo, & videbo, ſi ſecundum clamorem eorum conſummantur, quod ſi non, ut ſciam* (*i*). *Habemus ergo* (ſubdit S. Hilarius) *neſcientem Deum, quod tamen non neſcit* (*k*): Et ſimiliter, dum dixit eidem Patriarchæ: *Nunc enim cognovi, quod timeas Deum* (*l*). *Deus itaque modo ſcit* (ait Hilarius); *modo*

S. Hilarius.

(a) *Pag.* 1023. *n.* 59. (b) *Joan.* 6. 65.
(c) *Coloſſ.* 3. 4. (d) 1. *Theſſal.* 5. 2.
(e) *Pag.* 1023. *n.* 59. (f) *Ad Coloſſ.* 2. 3.
(g) *Pag.* 1024. *n.* 60. 61. 62. (h) *Pag.* 1026. *n.* 63.
(i) *Gen.* 18. 20. 21. (k) *Pag.* 1026. *n.* 63.
(l) *Geneſ.* 22. 12.

S.HILARIUS. *modo autem ſcire anterioris ignorantiæ profeſſio eſt* (*a*). *At cum in Deo non cadat* neſcire, aut Sodomorum clamorem impletum, *aut fidelem ſibi eſſe Abraham*, de quo dictum fuerat: *Credidit Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad juſtitiam; hoc, quod tunc neſcivit, & modo cognovit, non ignorantiæ demutatio, ſed eſt temporis plenitudo*, quo illi pœnas, iſte *teſtimonium accepit;* uno verbo neſcientiæ profeſſio, *vel loquendi diſpenſatio eſt, vel gerendi* (*b*). Addit & alia nonnulla etiam novi Teſtamenti monumenta, in quo *Dominum multa ſcientem neſcire invenimus*, ut cum dicit: *Et tunc jurabo, quia non novi vos; diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem* (*c*)*:* Et rurſum*: Amen dico vobis, quia neſcio vos* (*d*) fatuis virginibus dictum; in quibus locis notat S. Hilarius, *neſciendi reſponſio, non naturæ potius eſt, quam voluntatis, dum ab eo, qui nihil non neſcit, indignæ ſunt, quæ ſciantur* (*e*). „ Intelligendum itaque eſt, cur profeſſus ſit diem ſe neſcire .... Eſt ergo abſconſa ſcientia, quæ, quia abſcondenda eſt, interdum & neſcientia confitenda eſt, ut eſſe poſſit abſconſa. Nam ſi erit in proteſtatione, non etiam in ſecreto manebit. Negat ergo ſe ſcire, ut ſcientia poſſit eſſe abſcondita. Quod ſi idcirco neſcit, ut ſcientia maneat abſconſa, non per naturam neſcit omnia ſciens, quod idcirco tantum, ut abſconſum ſit, neſcit. Cur autem diei ſcientia abſconſa ſit, non in obſcuro eſt.... ut pendulæ expectationis incerto mens ſollicita, feſtinans, & adventus diem ſemper expectans, ſemper expectando ſperaret (*f*); unde Dominus ait*: Ideo & vos eſtote parati, quia neſcitis, qua hora filius hominis venturus ſit* (*g*). Quam explicationem confirmat S. Hilarius alio Scripturæ teſtimonio, quando nimirum, quærentibus Apoſtolis de temporibus, reſpondit Chriſtus*: Non eſt veſtrum ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate* (*h*)*;* ubi obſervat S. Præſul, quod „ cognitio negatur, neque ſolum negatur, ſed & ſollicitudo cognitionis inhibetur, cum ſcire hæc tempora non ſit eorum (*i*)". Deinde aliam addit, & quidem acutiſſimam obſervationem, ſcribens: „ Ipſi certe nunc poſt reſurrectionem de temporibus interrogant, quibus ante interrogantibus dictum eſt, ne Filium quidem ſcire; nec videri poſſunt ſecundum aurem intellexiſſe neſcire Filium, cum ipſi eum tanquam ſcientem rurſus interrogent. Sed ſacramentum neſciendi, diſpenſationem eſſe tacendi intelligentes, nunc poſt reſurrectionem loquendi tempus jam arbitrantes eſſe, interrogant. Atque illis Filius non jam ſe neſcire ait, ſed quod ſcire non ſit eorum, quia Pater in poteſtate ſua poſuerit (*k*)". In aliquibus vero exemplaribus Operum S. Hilarii, & iſtud additum

(a) *Pag.* 1026. *n.* 64. (b) *Pag.* 1026. *n.* 63. 64.
(c) *Matth.* 7. 23. (d) *Id.* 25. 12.
(e) *Pag.* 1027. *n.* 65. (f) *Pag.* 1028. *n.* 67.
(g) *Matth.* 24. 44. (h) *Act.* 1. *v.* 7.
(i) *Pag.* 1034. *n.* 75. (k) *Ibid.*

tum legitur, nimirum, quod diem ignoraverit Judicii, ut homo, quem tamen, ut Deus, ſciebat. Verum additio hæc in melioribus Codicibus deſideratur, & in noviſſima Editione Pariſienſi, qua utimur, minutiori charactere diſtincta eſt. Et revera explicatio hæc minime cohæret iis, quæ ſuperius ex S. Hilario attulimus, nimirum ignorare non potuiſſe, nec quatenus homo erat, diem Judicii, illum, cui omne judicium dederat Pater, quia Filius hominis eſt. Verum, ut nihil inſolutum relinqueret S. Hilarius, explicat, quo in ſenſu dictum ſit, ſolum Patrem ſcire diem Judicii, non vero Filium, ſcribens: „ Filius itaque diem idcirco, quia tacet, neſcit, & „ Patrem ſolum idcirco ſcire ait, quia ſolus uni ſibi non tacet " (*a*).

S. HILARIUS.

In exordio decimi libri obſervat S. Hilarius, objecta in ſuperiori libro ſoluta omnibus Arianis fuiſſe communia; at non deeſſe inter illos, qui & alia proponerent ſibi peculiaria ex *paſſionis metu* deſumpta, & ex *infirmitate patiendi*; unde inferebant, Filium *non in natura impaſſibilis Dei fuiſſe.... ſed inferioris a Deo Patre naturæ, & humanæ paſſionis trepidaſſe metu, & ad corporalis pœnæ congemuiſſe atrocitatem* (*b*). Ut novas haſce dilueret objectiones pluribus ab Arianis confirmatas veteris, novique Teſtamenti teſtimoniis, principii loco ſtatuit, *Verbum Divinum, aſſumpta ſibi per ſe ex Virgine carne, ipſe ſibi & ex ſe animam concepti per ſe corporis coaptaſſe; propterea ſecundum animæ, corporiſque naturam, neceſſe fuit, ut paſſionum fuiſſet natura* (*c*); *& licet tenuerit in hominis nativitate, quod Matris eſt, ſemper tamen haberet in originis virtute, quod Deus eſt* (*d*). Ex quo principio deducit, Chriſtum licet ex Spiritu Sancto conceptum, verum ſimul hominem fuiſſe, & verum Deum, & quidem ut hominem pati voluiſſe, nulla quidem adactum neceſſitate, cum patiendi, & moriendi neceſſitas ex originis noſtræ corruptione progrediatur, & Verbum *in ſimilitudinem hominis conſtitutum, & habitu repertum ut homo*, in eo *ſpecies quidem, & veritas corporis hominem teſtetur, ſed naturas vitiorum, qui ut homo ſit habitu repertus, ignoret* (*e*); ut vero Deum, nec pati potuiſſe, nec mori. Deinde objecta ab Hæreticis expendit teſtimonia, quæ infirmitatem, & metum in Chriſto exhibent, cujuſmodi ſunt: *Abba pater, poſſibilia tibi omnia ſunt, transfer hunc calicem a me* (*f*); & rurſum: *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti* (*g*)? & quod apud Lucam legitur: *Factus in agonia.... factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* (*h*); & apud Matthæum, dum dixit diſcipulis: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* (*i*). Et oſtendit, hæc de Chriſto dicta ſecundum humanitatem, nec illi unitum Divinum Verbum ullam

Analyſis decimi libri.

(a) *Pag.* 1032. *n.* 73. (b) *Pag.* 1041. *n.* 9.
(c) *Pag.* 1044. *n.* 15. (d) *Pag.* 1045. *n.* 15.
(e) *Pag.* 1053. 25. (f) *Marc.* 14. 36.
(g) *Id.* 15. 34. (h) *Lucæ* 22. 43. 44.
(i) *Matth.* 26. 38.

S. HILARIUS.

lam eſſe paſſum demutationem; metus, lacrymas, & triſtitiam minime in Verbum cadere, ſed Chriſtum tamen vere ploraſſe; ſed *non ſibi fleviſſe, ſed nobis, ut aſſumpti hominis veritatem ipſe quoque affectus humanæ conſuetudinis ſuſceptus proteſtaretur;* & mortuum quoque vere fuiſſe *non ſibi, ſed vitæ noſtræ, ut per immortalis Dei mortem mortalium vita renovaretur, & quod Deus regnat, & quod ſe mori queritur, ſit in intelligentia noſtra & homo mortuus, & Deus regnans: non enim alius eſt moriens, & regnans* (*a*). Alias etiam adhibet laudatorum textuum interpretationes, ſed quæ datæ ſunt, ſufficiunt. Addit vero, licet *nihil & in latinis, & in græcis codicibus quamplurimis, vel de adveniente Angelo, vel de ſudore ſanguinis reperiatur ſcriptum*, inde tamen hæreticos nihil extundere poſſe, quo *aliquam Verbi infirmitatem oſtendant* (*b*).

Analyſis undecimi libri.

Binas alias Arianorum objectiones diluendas ſibi ſumit S. Hilarius in undecimo libro, ex Evangelio, & epiſtolis D. Pauli deſumptas, in quibus de Chriſto reſurgente, & glorioſo ſermo habetur. Primo itaque loco verba Salvatoris ad Magdalenam objiciebant dicentis: *Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum, & ad Deum meum, & ad Deum veſtrum* (*c*). Ex quo inferebant, ut *per id, quod pater ejus pater eorum eſt, & Deus ejus Deus eorum eſt, in natura Dei non ſit, dum hoc cæteris profitetur Deum Patrem eſſe, quod ſibi ſit; ceſſante privilegio in communione & natura, & nativitatis, per quam & Deus ſit natus, & filius ſit* (*d*). At reſpondet S. Hilarius, verba illa *ad formam ſervi in illo, qui ante in Dei forma manebat*, pertinere .... *Pater igitur ſibi ita, ut hominibus Pater eſt, & Deus ſibi, ut ſervis Deus eſt; & cum hæc ad homines ſervos in ſervi forma Jeſus Chriſtus loquatur, non ambigitur, quin Pater ſibi ſit, ut cæteris ſit ex ea parte, qua homo eſt, & Deus ſibi, ut cunctis ſit ex ea natura, qua ſervus eſt* (*e*). Quam Dei Filii cum noſtra natura communionem & Propheta David ſignavit, dum dixit: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus ſuis* (*f*); quippe qui *non ſecundum ſacramentum aliud, quam ſecundum diſpenſationem aſſumpti corporis eſt locutus* (*g*), Petro Apoſtolo teſtante: *Convenerunt vere in civitate iſta adverſus Sanctum tuum Filium Jeſum, quem unxiſti* (*h*). Aliud etiam deſumebant perfidiæ ſuæ præſidium Ariani ex verbis D. Pauli: *Quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Quomodo enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes vivificantur. Unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus, deinde ii, qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt: deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacua-*

(a) *Pag.* 1076. *n.* 63. (b) *Pag.* 1062. *n.* 41.
(c) *Joan.* 20. 17. (d) *Pag.* 1086. *n.* 8.
(e) *Pag.* 1090. *n.* 14. (f) *Pſal.* 44. 8.
(g) *Pag.* 1093. *n.* 18. (h) *Act.* 4. 27.

evacuaverit omnem magiſtratum, & omnem poteſtatem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ſuis. Deus S. HILARIUS. *enim omnia ſubjecit ſub pedibus ejus. Noviſſime inimica devicta eſt ab eo mors. Cum autem dixerit, omnia ſubjecta ſunt, abſque eo, qui illi ſubjecit omnia. Cum autem ſubjecta fuerint ei omnia, tunc ipſe ſubjectus erit illi, qui ſubjecit ei omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus* (*a*). *Tria* in hoc teſtimonio juxta Hilarium *ſecundum dictorum ordinem in quæſtionem vocantur, primum finis, deinde traditio, deinde ſubjectio; ut per hæc* (juxta Arianos) *aut deſinat Chriſtus in fine, aut regnum tradendo non teneat, aut extra Dei naturam Deo ſubjectus exiſtat* (*b*). At reſpondet S. Hilarius, „ non „ hunc ordinem eſſe apoſtolicæ doctrinæ. Primum enim regni tra- „ ditio eſt, deinde ſubjectio, poſtremo finis .... Finis enim erit, „ cum tradiderit Regnum Deo. Tradet autem regnum, ſed cum „ evacuaverit omnem magiſtratum, & omnem poteſtatem. Evacua- „ bit autem omnem magiſtratum & poteſtatem, quia oportet eum „ regnare. Regnabit autem, donec ponat omnes inimicos ſub pedi- „ bus ejus. Ponet vero inimicos ſub pedibus ejus, quia Deus ei „ ſubjecit omnia ſub pedibus ejus. Subjecit autem Deus ita, ut „ noviſſima ab eo mors inimica vincatur. Dehinc ſubjectis omni- „ bus ei, præter eum, qui ſubjecit ei omnia, tunc ſubjicietur ipſe „ ſubjicienti ſibi omnia. Subjectionis vero cauſa alia non eſt, quam „ ut ſit Deus omnia in omnibus. Finis itaque eſt, Deum eſſe o- „ mnia in omnibus (*c*) “. Primo itaque loco animadvertit Hilarius; *finis* nomine, ſive *conſummationis* in Apoſtolo *non deſectio deſignatur*, ſed manſura *perfectio:* „ Finis itaque eſt indemutandæ „ conſtitutionis manſura perfectio, quæ & beatitudini reſervata, & „ impietati eſt præparata “ (*d*). Traditione autem Regni per Filium Patri non inferri, ipſum Filium Regno privandum: „ qui e- „ nim hoc ſtultæ impietatis furore contendet, fateatur neceſſe eſt, „ Patrem, cum tradidit omnia Filio, amiſiſſe tradendo, ſi tradidiſ- „ ſe traditis egere ſignificet .... Si igitur tradidiſſe caruiſſe eſt, Pa- „ ter quoque his, quæ dedit, caruit. Quod ſi Pater tradendo non „ caruit; nec Filius quidem intelligi poteſt his egere, quæ tra- „ dit (*e*) “. Quoad ſubjectionem vero Filii Patri ſuo, nihil „ in eo contumelioſum Filio deputandum, nec intelligendam *tanquam ſervitutem dominatui, aut infirmitatem virtuti, aut honori inhonorationem, ſed diſpenſationem* ſignificare ſuſceptæ humanitatis, *non novæ obedientiæ ſubjectionem* (*f*). Non eſt ſilendum, quod Hieronymus ab Amando Presbytero rogatus, quid apud Paulum ſibi velit illud: *Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos* &c. reſcripſit: *Miror te hoc a me quærere voluiſſe, cum S. Hilarius*

(a) *Ad Corinth.* 1. 15. 21. 22. *& ſeq.*
(b) *Pag.* 1097. *n.* 25. (c) *Pag.* 1098. *n.* 26.
(d) *Pag.* 1099. *n.* 28. (e) *Ibid. n.* 29.
(f) *Ibid. n.* 30.

S. Hilarius. *larius Pictavienſis Epiſcopus undecimum librum contra Arianos hac quæſtione, & ſolutione compleverit* (*a*).

Analyſis libri XII. Veritatem catholicam ſtatim in exordio libri hujus S. Hilarius confirmat, & probat. Arianis deinde exprobrat, quod evangelicum, & propheticum ſpiritum in lites dividant, & in jurgia partiantur, dum Salomonem Verbum inter creaturas collocaſſe jactant, quod Paulus Creatorem appellat, qui etiam Chriſtum jubet adorandum, dum creaturarum cultum diſtricte vetat. Quod ſi (urget argumentum Hilarius) Filius eſt creatura, *Pater quoque a creatura non differat neceſſe eſt. Chriſtus enim in forma Dei manens formam ſervi accepit, & qui in forma Dei eſt, ſi creatura eſt, Deus non aberit a creatura, quin in forma Dei ſit creatura. Ecce autem in forma Dei non alia intelligentia eſt, quam in Dei manere natura, per quod & Deus creatura eſt, quia in natura ejus ſit creatura. Qui autem in forma Dei erat, Deo ſe æqualem eſſe non rapuit, quia ex Dei æqualitate, ideſt, ex forma ejus, in ſervi formam decederet.... Adeo autem in forma Dei eſſe, nihil aliud eſt, quam æqualem Deo eſſe, ut æqualitas honoris Domino Jeſu Chriſto, qui in forma Dei eſt, debeatur, ipſo dicente; ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum* (*b*). *Nunquam diverſitas rerum, niſi & in honore diverſo eſt* (*c*). Fuſius etiam & aliud argumentum verſat, quod alibi propoſuerat, nimirum dum de Filio Pater enuntiat: *Ex utero ante luciferum genui te* (*d*). „ Non „ præjudicatur autem Deo (ſcribit) per infirmitatem noſtræ in„ telligentiæ, ut per id, quod *ex utero* genuiſſe ſe dixit .... ſed „ ſenſum noſtrum cauſarum noſtrarum inſtruit exemplo, non in „ exemplum nativitatis, ſed ad intelligentiam generationis, ... „ dum per conſuetudinem nativitatis humanæ intelligentiam divinæ „ generationis oſtendit (*e*) “. Deinde ſubdit: „ Plerumque enim „ per hæc noſtrorum corporum membra operationum ſuarum nobis „ Deus momenta ſignificans ſenſum noſtrum uſu intelligentiæ com„ munis edocuit (*f*) “. Manus videlicet Deo tribuuntur ad ejus denotandas operationes, oculos ad providentiam, cor ad amorem; ita „ ſignificatio, qua ex utero genuit, veræ nativitatis oſtenſio „ eſt, non quod ex utero genuerit, ſicut nec per manum agat, „ nec per oculos videat, nec per cor velit, ſed quia per ſignifica„ tionem horum vere omnia & agat, & videat, & velit; ita per „ ſignificationem uteri vere ex ſe genuerit, quem genuit (*g*) “. In confirmationem hujuſce veritatis animadvertit S. Hilarius, nunquam creatis rebus nomen *proprii Filii*, aut *ſui Filii* a Deo datum; non enim dixit Deus: Filios meos genui, & exaltavi, ſed tan-

(a) *D. Hieron. ep.* 147. *ad Amand.*
(b) *Joan.* 5. 23. (c) *Pag.* 1115. *n.* 6. 7.
(d) *Pſal.* 109. (e) *Pag.* 1116. *n.* 8.
(f) *Pag.* 1117. *n.* 9. (g) *Ibid. n.* 10.

S. Hilarius.

tantum, *Filios genui, & exaltavi* (*a*). Nec obſtat, quod ſcriptum legatur: *Filius primogenitus meus Iſrael* (*b*); *nam quod ſuus eſt* (ſcribit S. Hilarius) *ad primogenitum eſt, non ad filium eſt; nam in electione filius primum primogenitus, & ſic poſtea ſuus, ut adoptato ex omnibus populis filio Iſrael proprium eſſet, quod primogenitus eſt* (*c*). Dum vero de Chriſto loquitur, *proprium, vel meum* ſemper Filio applicat, ut cum dicitur: *Hic eſt Filius meus dilectus* (*d*); *proprio filio ſuo non pepercit* (*e*). Præterea Iſrael *creatus* a Deo dicitur (*f*); quare filius vere non eſt; at de Chriſto nullibi creatum fuiſſe legitur. Hinc occaſionem nactus expendit, quod dicebant Ariani, videlicet: *Non fuit Filius antequam naſceretur, quia ut eſſet, qui non erat, non qui erat natus eſt* (*g*). Quam aſſertionem, licet veram eſſe in creatis non neget, falſam tamen in divinis luculenter oſtendit ſcribens: „ Et „ quis ambiget, quin quæ in rebus humanis nata ſunt, aliquando „ non fuerint? Sed aliud eſt ex eo naſci, qui non fuit, aliud ex „ eo natum, qui ſemper eſt... Quod ſi Patri proprium eſt, quod „ ſemper ſit Pater, neceſſe eſt ſemper Filio proprium eſſe, quod „ ſemper eſt Filius. Et quomodo in ſermonem noſtrum, atque in„ telligentiam cadet, ut non fuerit, antequam naſceretur, cui pro„ prium eſt ſemper eſſe, quod natus eſt (*h*)? At urgebant Ariani: Si Filius natus eſt, cœpit aliquando eſſe, qui nondum natus erat. Eos vero ſic refellit S. Hilarius: „ Erat, atque eſt, quia ab eo „ eſt, qui quod eſt, ſemper eſt .... Ecce autem ſemper ab eo, „ qui eſt ſemper, æternitas eſt; æternitas vero non eſt ex ſe, ſed „ ab æterno: ex æterno autem nihil aliud, quam æternum (*i*)". Addit vero, quod „ ſenſus humanus intelligentiam intemporalis „ nativitatis non apprehendit, quia aliquid in naturis terrenis ante „ tempora natum eſſe non convenit.... Sed ſi naſci aliquid ante „ tempora æterna, nec in natura humana eſt, neque in intelligen„ tia, tamen in hoc profeſſionibus de ſe Deo creditur, cum apo„ ſtolica fides locuta eſt (*k*)". Et revera addit: „ Quod ante „ tempus natum eſt, ſemper eſt natum, quia quod eſt ante æter„ num tempus, hoc ſemper eſt" (*l*). Quod probat auctoritate, & teſtimonio Apoſtoli ſcribentis, Filium eſſe *ante tempora æterna* (*m*), & Davidis teſtantis eſſe ante Solem, & Lunam, & omnem generationem (*n*). Porro, ipſis fatentibus Arianis, tempus cœpit cum Sole, & Luna, cum in Scripturis legant Solem, & Lunam creata, ut *ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos* (*o*). Si ergo Filius fuit *ante Solem, & Lunam, generationes generationum*,

---

(a) *Iſaj.* 1. 2. (b) *Ex.* 4. 22.
(c) *Pag.* 1119. *n.* 15. (d) *Matth.* 3. 17.
(e) *Ad Rom.* 8. 32. (f) *Pſal.* 21. 32.
(g) *Pag.* 1121. *n.* 18. (h) *Pag.* 1123. *n.* 23.
(i) *Pag.* 1125. *n.* 25. (k) *Pag.* 1126. *n.* 26. *& ſeq.*
(l) *Pag.* 1127. *n.* 28. (m) *Ad Tit.* 1. 2.
(n) *Pſal.* 71. 5. 17. (o) *Gen.* 1. 14.

S. Hilarius.

num, æternum fuiſſe neceſſe eſt. Præterea evincit S. Hilarius, *tempora ſæcularia*, ſive *æterna*, de quibus loquitur Apoſtolus, denotare æternitatem: nam in proverbiis legitur: *Cum pararet cælos, aderam*. Ubi notat, hanc Cælorum *præparationem Deo non eſſe temporalem, ſed æternam; dum aliud eſt in viarum initium creari, & aliud eſt ante ſæcula fundari; anterior intelligitur eſſe creatione fundatio, & hoc ipſum, quod fundatur* (Sapientia) *in opera ante ſæculum eſt* (*a*). Denique progreditur D. Hilarius ad explicandum, quo in ſenſu Sapientia de ſe dixerit in Proverbiis: *Deus creavit me initium viarum* (*b*) *ſuarum;* quod eſt pene totus duodecimi libri ſcopus, & ad temporalem Chriſti nativitatem ea verba referenda docet ſcribens: „ Rerum a ſæculo geſtarum ſignificatio „ iſta eſt, neque generationis ante ſæcula prædicatæ, ſed diſpenſatio„ nis a ſæculo initæ indicatio eſt (*c*) “. Quod ſic exponit: „ Quia Chriſtus Sapientia eſt, videndum eſt, an ipſe ſit initium „ operum Dei. Nec, ut opinor, ambigitur: ait enim: *Ego ſum* „ *via* (*d*); *& nemo vadit ad Patrem, niſi per me* (*e*)... ergo „ in viarum initium in opera Dei creatur, quia & via eſt, & de„ ducit ad Patrem (*f*) “. Quam interpretationem validius confirmat, & ut oſtendat, hocce in ſenſu creatam dici Sapientiam, omnes veteris Teſtamenti apparitiones æternæ adſcribit Sapientiæ, quæ in illis omnibus creatæ formæ ſpeciem induit, ut de ſua Incarnatione aliquando futura nos edoceret (*g*). Addit, nonnullos eo in ſenſu creatam dici Sapientiam exiſtimare, quo Paulus de Chriſto dixit, *factum fuiſſe ex muliere* (*h*), licet ex ea natus ſit. Quam interpretationem licet minus ſolidam arbitretur, minime tamen rejicit; dummodo tamen, creationis nomine, vera non excludatur nativitas, & ſolum ad ſingularem modum denotandum, quo Chriſtus ex Matre prodiit ſine Patris concurſu, & operatione, uſurpetur. Poſtremo Deum obſecrat, „ ut hanc Fidei incontaminatam „ religionem uſque ad exceſſum ſpiritus ſui in ſe conſervet, & quod „ in regenerationis ſuæ ſymbolo, baptizatus in Patre, & Filio, „ & Spiritu Sancto, profeſſus eſt, ſemper obtineat, & ſemper Pa„ trem, & Filium una adoret, & Sanctum Spiritum, qui ex Pa„ tre per Unigenitum eſt, promereatur (*i*) “.

Libellus S. Hilarii ad Conſtantium.

Anno 355. ante Concilii Bituricenſis celebrationem S. Hilarius jam in exilium pulſus, (1) Catholicorum querelas Imperatoris auribus ingerere non eſt veritus, ipſi libellum offerens, quo ſummo ſimul

(a) *Pag.* 1130. *n.* 36. (b) *Proverb.* 8. 22.
(c) *Pag.* 1136. *n.* 44. (d) *Joan.* 14. 6.
(e) *Ibidem*. (f) *Pag.* 1136. *n.* 45.
(g) *Pag.* 1138. *& ſeq.* (h) *Ad Galat.* 4. 4.
(i) *Pag.* 1144 *n.* 57.

(1) S. Hilarii Operum Editores putant, hunc libellum ante exilium ipſius ſcriptum eſſe. Nam præterquamquod in iis, quæ exul ſcripſit, tacere non ſolet exilium, certe non ſatis idoneus eſſet exul, qui aliorum ab exilio reditum deprecaretur.

mul animi ardore cum pari reverentia conjunćto laicorum Judicum violentas, & iniquas attentationes exponit. Sic itaque libellum ſuum exorditur (*a*): „ Benefica natura tua, Domine Beatiſſime Auguſte, cum benigna voluntate concordat; &.... ideo, „ quod rogamus, facile nos impetrare poſſe confidimus. Non ſolum verbis, ſed etiam lacrymis deprecamur, ne diutius Catholicæ Eccleſiæ graviſſimis injuriis afficiantur, & intolerabiles ſuſtineant perſecutiones, & contumelias, & quod eſt nefarium, a „ fratribus noſtris. Provideat, & decernat clementia tua, ut omnes „ ſe ubique judices.... ad quos ſola cura, & ſollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religioſa ſe obſervantia abſtineant; neque poſthac præſumant, atque uſurpent ſe cauſas cognoſcere clericorum, & innocentes homines variis afflićtationibus, minis, violentia, terroribus frangere, atque vexare (*b*)... „ Certe vox exclamantium a tua manſuetudine exaudiri debet, catholicus ſum, nolo eſſe hæreticus, chriſtianus ſum, non Arianus; & melius mihi in hoc ſæculo mori, quam alicujus privati „ potentia dominante, caſtam veritatis virginitatem corrumpere. „ Æquumque videri debet Sanćtitati tuæ,.... ut qui timent Dominum,.... habeant poteſtatem, ut eos ſequantur Epiſcopos, & „ præpoſitos, qui & inviolata conſervant fœdera charitatis, & cupiunt perpetuam, & ſinceram habere pacem. Nec fieri poteſt, „ nec ratio patitur.... ut vera, & falſa miſceantur, lux & tenebræ confundantur.... Si igitur.... hæc permovent non inſitam, „ ſed ingenitam tuam bonitatem; præcipe, ut non ſtudium, non „ gratiam, non favorem locorum Rećtores graviſſimis hæreticis „ præſtent ". Deinde ſuſpiciones in Conſtantii animo jaćtas diſſipare nititur, ſcribens (*c*): „ Non quiſquam perverſus, aut invidus maligna loquatur; nulla quidem ſuſpicio eſt non modo ſeditionis, ſed nec aſperæ obmurmurationis. Quieta ſunt omnia, & „ verecunda ". Denique illum exorat (*d*), „ ut eos, qui adhuc „ (egregii videlicet Sacerdotes, qui tanti nominis præpollent dignitate) aut in exilio, aut in deſertis locis tenentur, jubeat ad „ ſedes ſuas remeare, ut ubique grata libertas ſit, & jucunda lætitia ".

S.HILARIUS.

(a) *Pag.* 1217. *n.* 1. (b) *Pag.* 1219. *n.* 2.
(c) *Pag.* 1220. *n.* 3. (d) *Ibid. n.* 4.

S. HILARIUS.

ARTICULUS TERTIUS.

Quæ D. Hilarius egit, & ſcripſit toto exilii ſui tempore ab anno 357. uſque ad 360. quo ad ſuam reverſus eſt Eccleſiam, breviter enarrantur (a).

IN exilium pulſus eſt S. Hilarius poſt Bituricenſe Concilium, & ante Sardicenſis celebrationem, id eſt circa dimidium anni 356. Exiſtimandum videtur, ſuum maximum de Trinitate Opus ante exilium inchoaſſe in Patria, ſed nonniſi in exilio compleviſſe, & ad Collegas ſuos Galliæ Epiſcopos miſiſſe; illis enim ſcribit (b): *Loquemur exules per hos libros, & ſermo Dei, qui vinciri non poteſt, liber excurret.* Addit, *exilio ſuo ſe lætari, & exultare in Domino (c).*

Verum paſſionis ſuæ ob fidei defenſionem lætitiam non modice turbabat dolor, quo angebatur, tum ob Eccleſiarum Orientalium miſeram conditionem, tum ob ſollicitudinem Eccleſiarum Galliæ poſt ſui diſceſſum. Non ſemel Gallicanis Epiſcopis litteras dederat, queis *& illos ab omni contagio deteſtandæ hæreſis incontaminatos, & illæſos (d)* ſervaret, & ad defenſionem veræ fidei illorum ſtudium accenderet. Moleſte ferebat, quod nullum ab ipſis reſponſum accepiſſet.

Oſii lapſus. Vehementer etiam triſtatus eſt, cum in Oriente Oſii Cordubenſis Epiſcopi lapſum reſcivit. Vir hic, pluribus clarus nominibus, exemplum factus eſt humanæ infirmitatis; quandoquidem poſt invictam fidei confeſſionem, perſecutionis ſub Diocletiano tempore poſt invictam ejuſdem adverſus Arianos in Nicæna Synodo, cujus Symbolum ipſe dictaverat, ſtrenuam defenſionem, & poſtquam ſumma conſtantia, & invicta fortitudine Conſtantii Imperatoris violentiæ reſtiterat, tandem prope centenarius, ſecundæ Sirmienſi formulæ (1) ſubſcribere non detrectavit. Vehementius tunc pertimuit Hilarius, ne

Nova in Galliis perſecutio. quid ex hoc detrimenti caperet Gallicanarum Eccleſiarum fides; at citius timore iſto levatum ſe ſenſit. Imperator ſiquidem minime dubius, quin tanti Viri exemplum ab omnibus Occidentis Epiſcopis imitaretur, eamdem Sirmienſem formulam in Gallias mitti curavit, ut eam omnes Epiſcopi ſignarent. Verum licet Oſium omnes plurimi facerent, minime tamen ipſum, ceu regulam fidei venerati ſunt, pulcherrimum Tertulliani dictum ſequentes: *Non ex perſonis probamus fidem, ſed ex fide perſonas (e):* Scientes præterea, quantum violentia, & cruciatibus divexatus fuerit venera-

(a) *Ex Gallicanæ Eccleſiæ Hiſtoria.*
(b) *Lib.* 10. *n.* 4 *pag.* 1039. (c) *Ibidem.*
(d) *De Synodis pag.* 1151. *n.* 2.
(1) In hac Fidei formula æque damnabatur & homoouſion, & homoiouſion, & dicebatur Pater Filio major honore, dignitate, majeſtate, & gloria.
(e) *Tertul. de Præſcript. cap.* 3.

nerabilis prope ſæcularis ſenex, ut ad ſubſcribendum compelleretur. Coegerunt itaque Concilium ante feſtum Paſchæ anni 358. (1), in quo tantum abfuerunt Epiſcopi a ſubſcribenda impia formula, qua & homooufion, ſeu conſubſtantialitas, & homoiouſion, ſive ſubſtantiæ ſimilitudo rejiciebantur, & Ariana impietas aperta facie prodibat, quin immo eam invicto animo damnarunt, & anathemate rejecierunt. Hujus Acta Concilii D. Hilario miſerunt rati, nullam uberiorem allaturos conſolationem exilio ſuo, quam hiſce & puritatis ſuæ fidei, & animorum conſtantiæ argumentis. Plures etiam privatas illi litteras dedere poſtulantes, ut de Orientalium fide eos certiores redderet.

[illegible] S. Hilarius.

Concilium Gallicanum pro Ariana formula damnanda.

Illis reſpondit S. Hilarius, miſſo de Synodis libro, in quo plures, & diverſas affert fidei profeſſiones ab Orientalibus poſt Nicænam Synodum editas, videlicet ſecundam Sirmienſem, quam ceu impiam rejicit, Ancyranam, Antiochenam, Pſeudo-Concilii Sardicenſis, & primam Sirmienſem. In harum fidei profeſſionum cenſura animum paci, & animorum concordiæ valde propenſum oſtendit. Vocem *homoiouſion*, videlicet *ſubſtantia ſimilem* excuſat, & optimæ interpretationis idoneam agnoſcit (2), cum unum aliquid nequeat alteri eſſe ſubſtantia ſimile, niſi ſit ejuſdem ſubſtantiæ. Librum ſuum Epiſcopis inſcripſit primæ, & ſecundæ Germaniæ, primi, & ſecundi Belgii, primæ, & ſecundæ Lugdunenſis (3), Aquitaniæ, & Novempopulaniæ, Presbyteris, & Clero Toloſano in Provincia Narbonenſi, & Epiſcopis Britanniæ. Hinc pronum eſt colligere, hujus Inſulæ Epiſcopos idem cum Gallicanis Præſulibus ſenſiſſe. Cum vero in Gallia Narbonenſi nonniſi Toloſanam nominet Eccleſiam, ſuſpicari licet, cæteros illius Provinciæ Epiſcopos, utpote Conſtantio proximiores, vel in errores pertractos fuiſſe, vel diſſimulaſſe.

Liber de Synodis.

Verum malorum Eccleſiæ ſub Conſtantio nondum finis. Concilium Generale Nicomediæ indixerat, & jam Epiſcopi ex omnibus Imperii partibus iter arripuerant, cum urbs illa, quæ Arianiſmi ſedes conſtituta fuerat ab Imperatore, repentino, ac violento terræ motu tota ſubverſa fuit, & diruta (b). Hinc Imperator Nicæam pro Concilio habendo delegit; verum, mutato conſilio, non unum, ſed duo habenda Concilia indixit, alterum Arimini Italiæ

 ur-

(1) Hujuſce Concilii locus ignoratur: tempus ex D. Hilario addiſcimus, qui teſtatur, habitum paulo ante Ancyranum Concilium ad eam formulam examinandam coactum.

(2) Cum nonnulli Catholici D. Hilario exprobraſſent, vocem homoiouſion excuſaſſe, ipſis reſpondit: *Attendant, quare dixerim ſimilis ſubſtantiæ piam intelligentiam, niſi quia intelligerem & impiam* (*a*).

(3) Duæ tantum tunc temporis erant Lugdunenſes Provinciæ, quarum alterius Metropolis erat Lugdunum, alterius vero Rhotomagus.

(a) *Apologetica ad reprehenſores Libri de Synodis reſponſa p.* 1206.

(b) *Sozom. lib.* 4. *cap.* 16.

S. Hilarius. urbe in Adriatici Maris littore ſita pro Occidentalibus, alterum vero Seleuciæ in Iſauria pro Orientalibus.

Ariminenſe Concilium. Primo indictum fuit Ariminenſe Concilium, & ad illud Miniſtros ſuos miſit Auguſtus, ut & Epiſcopos accedere compellerent, & illis in itinere viaticum ſuppeditarent. At Galliarum, & Britanniæ, Inſularum videlicet Britannicarum Epiſcopi ab Imperatore, quem veræ Religioni minime propenſum agnoſcebant, hocce beneficium accipere recuſarunt, & ære proprio ſibi conſuluere. Tres duntaxat Britanniæ Epiſcopi, ob ſuam paupertatem, Imperatoris uſi ſunt liberalitate, in eo tamen culpati, quod Confratrum ſuorum ultro oblatum ſubſidium non acceptaverint (a). Arimini convenerunt pluſquam quadringenti Epiſcopi, quorum ſupra tercenti Nicænam fidem ſtrenue propugnabant; cæteri vero numero octoginta Ariani erant (b). Inter celebriores Galliarum Epiſcopos eminebant S. Phœbadius Aginnenſis, & S. Servaſius Tungrenſis. Taurus (1). Prætorii in Italia Præfectus juſſus eſt ab Imperatore adeſſe Concilio, & minime ſinere Epiſcopos dividi, niſi in una fidei formula conveniſſent, cum promiſſione Conſularis Dignitatis, ſi rem ſtrenue ageret, ac ad optatum exitum perduceret; & ita non Epiſcoporum conſenſioni, & paci, ſed eorum prævaricationi conſulebatur.

Valens, & Urſacius Concilio tertiam Sirmienſem formulam obtulerunt, ſignatam 22. Maji, Conſulibus Euſebio, & Hypatio, ideſt hoc eodem anno 359. In ea nulla ſubſtantiæ mentio, eo quod vocem illam ſcandali cauſam eſſe dicerent, & offenſionis; dicebatur tamen Filius Patri per omnia ſimilis ſecundum Scripturas. Illam una voce rejecere Patres, quippe ex tempore, quo ſignata erat, doctrinæ novitatem præſeferebat. Declararunt poſtea, ſe Nicænæ Fidei, & Symbolo indivulſe adhærere, *cui*, dicebant, *nec addendum aliquid credimus, nec minui poſſe manifeſtum eſt. Placet ergo nihil novum fieri, ſubſtantiæ quoque nomen, & rem a multis Sanctis Scripturis inſinuatam mentibus noſtris obtinere debere ſui firmitatem* (c). Deinde vero publica actione ſignata Conſulibus Euſebio, & Hypatio, die ſecunda Julii, anni 359. hæreticos declararunt, & a Catholica communione rejecerunt Urſacium, Valentem, & Germinium (2). Cui actioni omnes Catholici Epiſcopi ſubſcripſere, & ita Nicæna fides Arimini de Imperatoris potentia, & Aria-

Studium PP. Ariminenſium pro fide Nicæna.

(a) *Sever. Sulp. lib. 2. pag. 139. Edit. Pariſ.*
(b) *Id. ibid. pag. 193.*
(1) Poſt Conſtantini Imperium quatuor eligebantur in toto Imperio Prætorii Præfecti, alter in Oriente, alter in Illyrico, tertius in Italia, quartus in Galliis. Hi Magiſtratus poſt Imperatorem ſumma pollebant auctoritate in civili regimine: nam militare imperium illis Conſtantinus ademerat.
(c) *Hil. Frag. 7. pag. 1342.*
(2) His S. Athanaſius adjungit Auxentium, de quo tacet S. Hilarius.

& Arianorum fraudibus triumphum egit, quamdiu Concilium liberum fuit, ideſt quamdiu verum fuit Concilium. Verum pulcherrimum hocce initium exitum habuit heu quam pudendum! quem ſilentii velo obtegere ſatius foret, niſi hiſtoriæ ſeries nos ad veritatem exſcribendam compelleret. S. Hilarius.

Imperator Conſtantius, qui ſibi judicium Fidei ſupra Epiſcopos uſurpaverat, utrique Synodo juſſerat, ut antequam ſecederent, ac dividerentur Epiſcopi, aliqui Nuntii ad ſe mitterentur de conditis Decretis rationem redditurí; unde ipſe poſtea pronunciare poſſet, num Sacris Scripturis conformia forent, nec ne. Ariani itaque in Ariminenſi Synodo damnati Concilii Legatos in itinere prævenere, & Conſtantii animum ita præoccuparunt, ut Legatos poſtea advenientes audire, & admittere recuſaverit; ſolumque Patribus admodum jejune ſcripſit, ſe eorum Legatos nondum audire potuiſſe (*a*); cui reſponderunt Epiſcopi ea animi fortitudine, & conſtantia, qua illi primam epiſtolam per Legatos miſſam jam ſcripſerant. Legatis in mandatis dederant, ne ullo modo cum Arianis communicarent, & nihil omnino decernerent, inconſulto Concilio. Verum hi juniores erant Epiſcopi, nec ingenio donati, nec experientia edocti, quibus agendum erat cum vaferrimis Arianis, jamdiu dolis, fraudibus, & vitilitigationibus aſſuetis, & edoctis, & cum Principe non minus vafro, quam violento.

Conſtantius itaque primum per plures menſes affectata audientiæ denegatione, & dilatione eos fatigavit, deinde minis, & blanditiis de ſua conſtantia dimovit. Colloquium itaque cum Arianis Epiſcopis habere conſenſerunt Legati, quo ſibi de inchoata victoria blanditi ſunt Ariani, quam poſtea integram reportarunt. Nuntii itaque Ariminenſes, impetrata neſcio qua declaratione ab Arianis, ut ſuam defectionem, & prævaricationem tegerent, fidei formulæ ſubſcripſere ſibi a Valente oblatæ, quæ ferme eadem erat, quæ in Ariminenſi Concilio rejecta fuerat, demptis etiam vocibus *per omnia* adjectis ſimili: ſed & ultra progreſſi acta etiam exararunt, in quibus omnia Arimini geſta reſcindebant, & publice teſtabantur, ſe in collatione cum Arianis habita comperiſſe, Urſacium, Valentem, Germinium, & Gajum catholicam fidem inviolatam tenere. Signata ſunt hæc Acta Nicææ in Thracia ſexto Idus Octobris, & ſubſcripta a quatuordecim Epiſcopis, quorum decem fortaſſis erant Legati Concilii Ariminenſis, alii autem quatuor forſitan illi, qui ſecundam Concilii epiſtolam ad Imperatorem detulerunt. Nomine non novimus niſi Reſtitutum Carthaginenſem Legationis Principem. Legatorum Ariminenſium lapſus.

Imperator ex his feliciter geſtis lætiora ſibi pollicitus eſt. Legatos itaque Ariminum remiſit, quo Ariani antea anathemate perculſi ovantes regreſſi ſunt. Scripſit vero eodem tempore Tauro Præfecto, ut ad ſubſcribendum formulæ Nicænæ in Thracia exaratæ cæte- Vis adhibita contra Ariminenſes Epiſcopos.

(a) *Tom. 1. Concil. pag. 718.*

S. HILARIUS.

cæteros omnes Epiſcopos compelleret, „ & Synodum non ante la-
„ xaret, quam conſcriptæ fidei conſentire ſe omnes profiterentur;
„ & ſi qui pertinacius obſiſterent, in exilium pellerentur, dummo-
„ do is numerus intra quindecim eſſet. Regreſſis legatis, licet vim
„ regiam deprecantibus, negata communio. Enimvero comper-
„ tis, quæ decreta erant, major rerum, & conſiliorum perturba-
„ tio (*a*) “. Quo ſe verterent, neſciebant Patres; ſed paulatim plerique partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti dedere ſe adverſariis, factaque ſimul inclinatione animorum, catervatim in partem alteram conceſſerunt, donec ad viginti catholicorum numerus imminutus eſt, inter quos veluti conſtantiores eminebant Phœbadius Agini in Aquitania Epiſcopus, & Servaſius Tungrorum Epiſcopus.

Illos Prætorii Præfectus, qui ex felici rei exitu fortunam ſuam pendere optime noverat, aggreditur, & cum minis, & terroribus a ſententia dimovere non poſſet, lacrymis obteſtatur, „ mitiora ut
„ conſulerent: clauſos intra unam urbem Epiſcopos jam ſeptimum
„ menſem agere: injuria hyemis, & inopia confectis nullam ſpem
„ reverſionis dari: quis tandem eſſet finis? ſequerentur plurium
„ exemplum: auctoritatem ſaltem ex numero ſumerent. Enimvero
„ Phœbadius paratum ſe exilio, atque ad omne ſupplicium, in
„ quod depoſceretur, profiteri: ſe ab Arianis conceptam fidem non
„ recepturum.... at paulatim & ipſe infractior ad extremum pro-

Ariminenſes Patres ab Arianis falluntur.

„ poſita conditione evincitur. Namque Valens, & Urſacius propo-
„ ſuerunt, ut ſi quid minus plane præſenti fide editum videretur,
„ ipſi adderent, quæ addenda putarent, præbituros ſe in his, quæ
„ eſſent adjecta, conſenſum. Favorabilis profeſſio pronis omnium
„ animis excepta, nec ultra Catholici repugnare auſi jam quoquo
„ modo finem rebus imponere cupientes (*b*) “. Formula ad ſubſcribendum propoſita nullam hæreſim aperte continebat. Spes unionis inter Orientales, & Occidentales animos mulcebat, & rapiebat. Paci Eccleſiæ expedire, ut vox *conſubſtantialis* ſilentio præteriretur, dummodo ſenſus ſervaretur illæſus. A Phœbadio itaque, & Servaſio plures articuli additi ſunt formulæ, ut errorem omnem latentem averterent. Credibile eſt, hos in anathematiſmis contineri a S. Hieronymo recitatis (*c*), quibus Valens, tanquam Catholicos adjuvans, alium ſubjecit in hæc verba: *Si quis dixerit, Filium Dei eſſe creaturam, ſicut cæteras creaturas, anathema ſit*. Cui Concilium plaudens reſpondit: *anathema*, *anathema*, occultum dolum non animadvertens. Etenim, dum Catholici intelligebant, Filium inter creaturas nullo pacto connumerandum, Valens tamen, & Ariani his verbis, quibus ſimilis eſſe cæteris creaturis Filius negabatur, creaturam tamen potiorem tantum cæteris pronuntiabant. Novi ad

(a) *Sev. Sulp. lib. 2. pag. 234. Ed. Par.*
(b) *Ibid.* (c) *In Lucif. cap. 7.*

vi ad Imperatorem mittuntur Legati, & ſoluto Concilio, diſcedunt Patres, & fraus *tunc non intellecta*, *ſero demum animadverſa eſt*.

S.Hilarius.

Ita Concilium dimiſſum, bono initio, fœdo exitu conſummatum, in quo, ut ſcribit Sulpitius, *neutra pars viciſſe ſe penitus, aut victam putare poterat:* quia fidei formula pro Arianis, profeſſiones vero poſtea adjectæ pro Catholicis erant, præter illam, quam Valens adjunxerat. Hinc brevi compertum eſt, falſam pacem Eccleſiæ perniciosiorem eſſe quocumque aperto bello cum hæreticis potentioribus; & ſemper initam cum Novatoribus pacem falſam eſſe habendam, niſi illi integre, perfecteque Eccleſiæ ſe ſe ſubmittant.

Concilium Seleucienſe. Illi adfuit S. Hilarius.

Interim dum hæc Arimini aguntur, Orientalium Concilium Seleuciæ congregatum fuerat ſub finem Septembris ejuſdem anni 359. Aderat ibi, divina ſic diſponente Providentia ad Fidei tutelam vigilante, D. Hilarius, qui licet nullis certis mandatis vocatus, Præfectus tamen Aſiæ ex generali juſſione illuc mittendi Epiſcopos omnes, & S. Hilarium mittendum ratus eſt. Quanta eſſet ejus ſanctitatis fama etiam in iſtis extremis Orbis partibus, manifeſte compertum eſt ex honore, quo in itinere ubique, & ab omnibus exceptus fuit.

Sanctus Præſul „ quoddam Caſtellum dum adiiſſet, die Dominico ingreſſus eſt Templum; moxque Florentia puella gentilis, voce magna ſervum Dei illuc adveniſſe teſtata eſt, & irrumpens multitudinem populi, & ad pedes ejus accurrens non ceſſavit petere, niſi ſignum Crucis ab ipſo ſibi fieri fideliter impetraſſet. Quam Florentius pater ſecutus eſt, & cuncta familia in nomine Domini meruerunt pariter baptizari. Quæ Florentia, relictis parentibus, veſtigiis ejus inhærens Pictavos perducta eſt (*a*)"; & inibi ut Sancta colitur Kalendis Decembris.

„ Ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus omnium in ſe animos, & ſtudia convertit. Ac primum quæſitum ab eo, quæ eſſet Gallorum fides, quia tum Arianis prava de iis vulgantibus ſuſpecti ab Orientalibus habebantur, trionymam ſolitarii Dei unionem ſecundum Sabellium crediſiſſe. Sed expoſita fide ſua, juxta ea, quæ Nicææ a Patribus erant conſcripta, Occidentalibus perhibuit teſtimonium. Ita abſolutis omnium animis intra conſcientiam communionis, nec non etiam in ſocietatem receptus, Concilioque adſcitus eſt (*b*). Deprehendi in eo (ſcribit ipſe Hilarius) ut centum, & quinque Epiſcopi *homoiouſion*, ideſt ſimilis eſſentiæ prædicarent, & decem & novem *anomoiouſion*, ideſt diſſimilis eſſentiæ profiterentur, & ſoli Ægyptii præter A-

Patrum Seleucienſium fides.

Z 4 „ lexan-

(a) *Vita S. Hilar. a Fortun. ſcripta lib. 1. n. 7.*
(b) *Sev. Sulp. pag. 255.*

S.HILARIUS.

„ lexandrinum hæreticum (1) *homoouſion* conſtantiſſime obtine- „ rent (*a*)“, ideſt conſubſtantialitatem confitebantur. His poſtremis communicavit, a cæterorum communione receſſit, quorum tamen plures Catholici videbantur.

Hujuſce Concilii hiſtoriam, nonniſi quantum ad ea, quæ ad S. Hilarium ſpectant, proſequimur. Nonniſi primæ interfuiſſe ſeſſioni probabile eſt. Anomæorum impietates audierunt, & exhorruerunt omnes Epiſcopi. In conventu publico blaſphemiæ prædicabantur ab Eudoxo Antiocheno prolatæ, videlicet ſi Verbum *eſt Filius, neceſſe eſt, ut ex fœmina ſit*. „ O miſeras aures (exclamat Hilarius) „ quæ tam funeſtæ vocis ſonum audierunt, hæc de Deo ab homi- „ ne dici, hæc de Chriſto ab Epiſcopo in Eccleſia prædicari (*b*)“. Acaciani, ſcilicet Anomæi altera die a Concilio receſſerunt. Qui *ſimilitudinem in ſubſtantia* prædicabant, una convenere, & Antiochenæ Synodi formulam fidei confirmarunt. Perendie Acaciani ad Concilium regreſſi fidei profeſſionem edidere, qua homoouſion, & homoiouſion, & diſſimilitudinem damnarunt, & quemdam Epiſcopum „ ad Hilarium pertentandum miſerunt. Ipſe vero .... quaſi „ ignorans rerum geſtarum percontatus eſt, quid ſibi vellet iſtud, „ ut qui unam ſubſtantiam Filii eſſe cum Patre damnaſſent, vel „ eſſe ſimilis ſubſtantiæ denegaſſent, diſſimilitudinem damnarent. „ Tunc illi ait (Arianus Epiſcopus) Chriſtum Deo ſimilem non „ eſſe, ſed ſimilem Patri eſſe. Cumque hoc obſcurius illi videre- „ tur, eum iterum interrogavit, qui ſuæ hæreſeos virus evomens „ reſpondit: Dico, eum diſſimilem Deo eſſe, ſimilem Patri poſſe in- „ telligi, quia Pater voluiſſet Creaturam iſtiuſmodi creare, quæ „ ſimilem ſui vellet, & idcirco ſimilem Patri eſſe, quia volunta- „ tis potius eſſet filius, quam divinitatis, diſſimilem autem Deo „ eſſe, quia neque Deus eſſet, neque ex Deo, ideſt de ſubſtantia „ Dei natus eſſet (*c*)“.. Exhorruit Hilarius hæc audiens, & vix credidit, profaniſſimæ hujus ſimilitudinis rationem ab Epiſcopis prædicari, aut mente concipi poſſe.

Poſt aliquam procraſtinationem, & nonnullis interim geſtis, Arianorum Primipili, & ipſe Acacius a Concilio depoſitionis ſententia mulctantur. Condemnati ad Imperatorem advolarunt. Interea ab altera parte, ut erat mandatum, decem deliguntur Legati ad eumdem Imperatorem. Illos Conſtantinopolim ſecutus eſt S. Hilarius opperiens Auguſti de ſe voluntatem. Acaciani, qui Conſtantinopolim venerant, blaſphemias Eudoxii, & Aetii, anathemate pronunciato, damnare com-

(1) Hic Hæreticus intruſus, erat Georgius Alexandrinus, quem Ariani in S. Athanaſii Sedem collocaverant. Adeo ſua feritate ſe exoſum reddidit, ut Pagani ipſi Chriſtianos ab ejus vexationibus liberarint, crudeli morte ipſum perimentes, quæ miſericordiam excitaret, ſi quam illius crimina pietatem promererentur.

(a) *Lib. cont. Conſt. n.* 12. *pag.* 1248.

(b) *Adv. Conſt. n.* 13. *pag.* 1249. (c) *Ibid. n.* 14.

compulſi ſunt. Verum poſteriores Ariminenſis Concilii Legati, qui fere omnes Ariani erant, ubi Conſtantinopolim venere, Acacianis ſe adjunxere, reclamantibus aliis Epiſcopis. Imperator, qui juſſerat Orientalibus Ariminenſi Formulæ ſubſcribere, novum Concilium ab Epiſcopis Conſtantinopoli præſentibus in eam rem juſſit haberi; at experientia didicit, longe difficilius a Principibus hæreſim confirmari, quam aboleri. S.Hilarius.

Animadvertens itaque S. Hilarius extrema Fidei, Veritatis, & Religionis diſcrimina, libellum obtulit Conſtantio ad Fidei defenſionem, & ſui purgationem. Imperatorem ſumma firmitate, ut decebat Confeſſorem Chriſti, allocutus eſt: „ Epiſcopus ego ſum „ (ſcribit) in omnium Gallicarum Eccleſiarum, atque Epiſcoporum communione, licet in exilio permanens, & Eccleſiæ adhuc „ per Presbyteros meos communionem diſtribuens. Exulo autem „ non crimine, ſed factione, & falſis Nuntiis Synodi (Bituricenſis), ad te Imperatorem pium, non ob aliquam criminum meorum conſcientiam, per impios homines delatus. Nec levem habeo querelæ meæ teſtem, Dominum meum religioſum Cæſarem „ tuum Julianum, qui plus in exilio meo contumeliæ a malis, „ quam ego injuriæ pertulit. In promptu enim ſunt pietatis veſtræ litteræ; falſa autem eorum omnia, qui in exilium meum „ procuraverunt, non in obſcuro ſunt. Ipſe quoque vel miniſter, „ vel auctor (1) geſtorum omnium intra hanc urbem eſt. Circumventum te Auguſtum, illuſumque Cæſarem tuum ea confidens conſcientiæ meæ conditione pateſaciam, ut ſi indignum aliquid non modo Epiſcopi ſanctitate, ſed etiam laici integritate „ geſſiſſe docear, non jam Sacerdotium per veniam expectem, ſed „ intra pœnitentiam laici conſeneſcam. Alter Libellus Conſtantio oblatus per S. Hilarium.

„ Hæc autem nunc, digniſſime Imperator, arbitrio tuo derelinquo.... Dabis quidem id in præſens inſtructionis ad cauſam, ut „ præſentem eum, cujus miniſterio exulo, uſque ad confeſſionem „ falſorum, quæ geſſit, adducam. Sed nihil de eo, niſi cum juſſeris, loquar. Nunc autem, quia mihi metus eſt de Mundi periculo, de ſilentii mei reatu, de judicio Dei; cura autem eſt de „ ſpe, de vita, & immortalitate non tam mea, quam tua, univerſorumque.... Recognoſce fidem, quam olim ab Epiſcopis optas audire, & non audis (a)“.

Deinde ad cauſam deſcendens, oſtendit, „ periculoſum eſſe, atque miſerabile, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates; & tot „ nobis doctrinas eſſe, quot mores;... & ſic ab ea fide exceditur, „ quæ ſola eſt, & dum plures fiunt, ad id cœperunt eſſe, ne ulla „ ſit, & facta eſt fides temporum potius, quam Evangeliorum, „ dum & ſecundum annos deſcribitur, & ſecundum confeſſionem „ baptiſ-

(1) Saturninum Arelatenſem ſignat, qui poſt Ariminenſe Concilium Conſtantinopolim venerat.

(a) *Lib. 2. ad Conſt. n. 2. 3. 4. p. 1225. & ſeq.*

S. Hilarius.

Arianorum variationes.

,, baptiſmi non tenetur.... Conſcii nobis invicem ſumus poſt Ni- ,, cæni conventus Synodum, nihil aliud, quam fidem ſcribi. Dum ,, in verbis pugna eſt, dum de novitatibus quæſtio eſt, dum de ,, ambiguis occaſio eſt, dum de auctoribus querela eſt, dum de ſtu- ,, diis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter al- ,, teri anathema eſſe cœpit; prope jam nemo Chriſti eſt.... Jam ,, vero proximi anni fides quid jam de immutatione in ſe habet? ,, Primum quæ homoouſion decernit taceri, ſequens rurſum, quæ ,, homoouſion decernit prædicari; tertio deinceps, quæ uſiam ſim- ,, pliciter a Patribus præſumptam, per indulgentiam excuſat; po- ,, ſtremo quartum, quæ non excuſat, ſed condemnat. Et quo tan- ,, dem proceſſum eſt?... Annuas atque menſtruas de Deo fides de- ,, cernimus (*a*)“.

,, Unum hoc ego per hanc dignationis tuæ ſinceram audientiam ,, rogo, ut præſente Synodo, quæ nunc de Fide litigat, pauca me ,, de Scripturis Evangelicis digneris audire, & loquar tecum verbis ,, Domini mei Jeſu Chriſti, cujus vel exul ſum, vel Sacerdos. ,, Habent enim vaſa teſtea non ignobiles theſauros.... Fidem Im- ,, perator quæris? audi eam non de novis chartulis, ſed de Dei ,, libris. Scito, & poſſe eam in Occidente donari, unde venientes ,, in Regno Dei cum Abraham, Iſaac, & Jacob recumbent. Me- ,, mento, eam non quæſtionem Philoſophiæ eſſe, ſed Evangelii do- ,, ctrinam. Non tam mihi autem rogo audientiam, quam tibi, atque ,, Eccleſiæ Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non ,, egeo; quod accepi, teneo, nec demuto, quod Dei eſt (*b*)“.

Verum Acaciani, qui Hilarii ſapientiam, & eruditionem præſentem pertimeſcebant, diſputationem & colloquium detrectabant. Hinc æquiſſima hæc petitio ſolum patefecit, nihil amplius ſupereſſe, quod Conſtantium ab errore, & deceptione poſſet revocare. Hic Imperator itaque, qui Arianorum, & Semiarianorum factionibus inſerviebat, cui illi viciſſim dominabantur, Catholicos perſequi non ceſſabat, in hoc uno tantum ſemper ſibi conſtans, & immutabilis. Poſtquam vero novam Conſtantinopolitanam Synodum formulæ Ariminenſi ſubſcribere coegit, juſſit etiam, & decrevit, ut ab omnibus Orientis Epiſcopis ſignaretur, & Urſacio, & Valenti ſupremam contulit poteſtatem, qua Italiæ Epiſcopos compellere poſſent ad ſubſcribendum.

Animadvertens itaque D. Hilarius, morbum longius ſerpere, & adhibitis lenimentis non reſtingui, ratus, acrioribus opus eſſe medicamentis, non amplius diſſimulandum cum Imperatore putavit. Libellum itaque conſcripſit, ut lupum latentem detegeret. Vehementiori uſus eſt ſtylo, quem ſolum excuſat ardens veritatis ſtudium, & violenta perſecutio Imperatoris, cum ſemper debitus ſit præſtandus unicuique Principi, etiam Tyranno, honor, & reve-

(a) *Ibid. n.* 4. 5.
(b) *Ibid. n.* 8. *pag.* 1229. *& ſeq.*

reverentia. Ab ipſo libri ſui exordio ſtatim apparet, quanto in diſcrimine catholica fides verſaretur (1).

S. Hilarius. Liber S. Hilarii adverſus Conſtantium.

„ Tempus eſt loquendi, quia jam præteriit tempus tacendi. „ Chriſtus expectetur, quia obtinuit Antichriſtus. Clament Paſto„ res, quia Mercenarii fugerunt. Ponamus animas pro ovibus, „ quia fures introierunt, & leo ſæviens circuit. Ad Martyrium „ per has voces exeamus .... Ulterius enim tacere diffidentiæ ſi„ gnum eſt, non modeſtiæ ratio, non minus periculi eſt tacuiſſe „ ſemper, quam nunquam " (a).

Tempora ſibi optat Deciana, & Neroniana; nam adverſus *apertos hoſtes* illis certandum fuiſſet, & non contra *perſecutorem fallentem, contra hoſtem blandientem, ... qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat.... qui Chriſtum confitetur, ut neget; unitatem procurat, ne pax ſit.... Eccleſiæ tecta ſtruit, ut fidem deſtruat* (b).

„ Si falſa dicimus, infamis ſit ſermo maledicus; ſi vero univerſa „ hæc manifeſta eſſe oſtendimus, non ſumus extra Apoſtolicam li„ bertatem, & modeſtiam, poſt longum hæc ſilentium arguen„ tes (c)". Suæ increpationis æquitatem oſtendit exemplo Joannis Baptiſtæ, & Martyrum Machabæorum. Deinde ſubdit: „ Proclamo tibi, Conſtanti, quod Neroni locuturus fuiſſem, quod ex „ me Decius, & Maximianus audirent. Contra Deum pugnas, „ contra Eccleſiam ſævis, Sanctos perſequeris, Prædicatores Chri„ ſti odis, Religionem tollis (d), tyrannus non jam humanorum, „ ſed divinorum es. Hæc tibi a me, atque illis ſocia, atque com„ munia ſunt; at vero nunc propria tua accipe. Chriſtianum te „ mentiris, Chriſti novus hoſtis es. Antichriſtum prævenis, & ar„ canorum myſteria ejus operaris. Condis fidem contra fidem vi„ vens: Doctor profanorum es, indoctus piorum. Epiſcopatus tuis „ donas, bonos malis demutas. Sacerdotes cuſtodiæ mandas, exer„ citus tuos ad terrorem Eccleſiæ diſponis, Synodos contrahis, & „ Occidentalium fidem ad impietatem compellis, concluſos urbe „ una minis terres, fame debilitas, hyeme conficis, diſſimulatione „ depravas. Orientales autem diſſenſionis artifex nutris, blandos e„ licis, fautores inſtigas.... Omnia ſæviſſima ſine invidia glorio-
„ ſarum

(1) Animadverſio hic eſt ponenda, quæ & alibi recurret. S. Hilarius, aliique Patres, licet numero pauci, aliquando obliti videntur reverentiæ Imperatoribus debitæ; ſed hoc contigit, quando & ipſi reverentiæ Religioni per Baptiſmum ſuſceptæ debitæ obliti ſunt, & quando, quod ſibi, & juſtitiæ debebant, contempſere; & licet divina Scripturæ oracula non minus fidei tuendæ ſtudium, quam Regibus honorem, & reverentiam jubeant, nihilo tamen minus Epiſcopi ſanctitate clariſſimi, ut SS. Hilarius, & Athanaſius in Conſtantio, & Gregorius Nazianzenus in Juliano, nonniſi ad eorum ſcelera reſpexere, & ad ſævitiam, ad quam unice attendentes tam intrepida libertate eos ſunt inſectati.

(a) *Adv. Conſt. n.* 1. *p.* 1237. (b) *Ibid. n.* 4. 5.
(c) *Ibid. n.* 6. (d) *Ibid. n.* 7.

S. Hilarius.

„ ſarum mortium peragis. Novo, inauditoque ingenii triumpho de „ Diabolo vincis, & ſine martyrio perſequeris (*a*). Plus crudelitati veſtræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus.... Sanctus ubique beatorum Martyrum ſanguis exceptus eſt.... At tu omnium „ crudelium crudeliſſime damno majore in nos, & venia minore „ deſævis.... Sceleſtiſſime mortalium omnia perſecutionis mala ita „ temperas, ut excludas & in peccato veniam, & in confeſſione „ Martyrium .... (*b*) Veſtem ovis tuæ, lupe rapax, cernimus. „ Auro Reipublicæ Sanctum Dei oneras, & vel detracta templis, „ vel publicata edictis, vel exacta pœnis Deo ingeris. Oſculo Sacerdotes excipis, quo & Chriſtus eſt proditus. Caput benedictioni ſubmittis, ut fidem calces, convivio dignaris, ex quo Judas „ ad proditionem egreſſus eſt: cenſum capitis remittis, quem Chriſtus, ne ſcandalo eſſet, exſolvit (1).... Hæc tua, falſa ovis, „ indumenta ſunt. At nunc fructus operum tuorum, Lupe rapax, „ audi (*c*)". Et hic diſertiſſime omnes recitat crudelitates, quas Romæ, Alexandriæ, Mediolani, Toloſæ exercendas juſſerat. Deſin ſubdit: Imperator „ utitur etiam nunc, ut in cæteris ante, artis ſuæ conſuetudine, ut per recti ſpeciem prava confirmet, & „ per rationis nomen inſana conſtituat. Nolo, inquit, verba, quæ „ non ſcripta ſunt, dici (videlicet homoouſion). Hoc tandem rogo, „ quis Epiſcopis jubeat? & quis Apoſtolicæ prædicationis vetet „ formam? Dic prius, ſi recte dici putas; nolo adverſus nova venena novas medicamentorum comparationes, nolo adverſus novos „ hoſtes nova bella, nolo adverſus novas inſidias conſilia recentia" (*d*).

Tandem ſuæ ſectæ variationes Conſtantio exprobrat, quæ ſolæ ad confundendos hæreticos ſufficere poſſunt, & illi accidere dicit, *quod imperitis ædificatoribus, quibus ſua ſemper diſplicent, ut ſemper deſtruant, quod ſemper ædificent* (*e*). Librum hunc compoſuit, ut ipſe teſtatur, quinquennio poſt exilium Paulini, Euſebii, Luciferi, & Dionyſii, videlicet anno 360. cum adhuc Conſtantius in vivis eſſet; ſed fortaſſis publici juris non fecit, niſi poſt ejus obitum.

Monumenta ab Hilario collecta ad hiſtoriam Conciliorum Ariminenſis, & Seleucienſis ſpectantia.

Fortis athleta Chriſti, & Fidei ſtrenuus Confeſſor in exilio conſtitutus, aliud majoris momenti opus aggreſſus eſt, quod monumenta complectebatur ad Hiſtoriam Conciliorum Ariminenſis, & Seleucienſis ſpectantia. Epiſcopos commonefacere volebat, ut ſibi caverent a novis Conſtantii edictis, & juſſionibus, quibus eos ad ſubſcribendum formulæ Ariminenſi compellebat. Verum hoc opus ad umbilicum perducere nequivit; hinc nonniſi fragmenta ſuperſunt, ſummo in pretio habenda, cum plura nobis Acta ſervaverint. Certo ta-

(a) *Ibid. n.* 7. (b) *n.* 8.

(1) Ex iſtis Hilarii exprobrationibus colligere licet, quanto in honore Epiſcopi ab Imperatoribus haberentur.

(c) *n.* 10. (d) *n.* 16. (e) *n.* 23.

to tamen conſtat, illis plura apocrypha inſerta fuiſſe, cujuſmodi eſt Liberii epiſtola ad Orientales, ex qua conſtaret, hunc Pontificem ab Athanaſii communione receſſiſſe ſtatim ſub ſui Pontificatus initium, quod evidentiſſime falſum eſſe compertum eſt. S. HILARIUS.

Aliena etiam manu inſerta fuiſſe, pro certo habendum, verba illa pluries repetita, *anathema tibi Liberio* (1) in textu epiſtolæ ab eo ad Orientales conſcriptæ, qua de ſignata a ſe Sirmienſi formula certiores facit. Aſſignari poſſent & alia argumenta, quæ oſtenderent, licet pleraque fragmenta ſint procul dubio S. Hilario tribuenda, nonnulla tamen apocrypha immixta illis fuiſſe, & nonnulla etiam interpolata.

Verum quidquid ſit, Acaciani D. Hilario impedimento fuerunt, ne in Oriente opus ſuum abſolvere poſſet.... Tanti viri præſentiam pertimeſcentes, cum quo in diſputationem deſcendere auſi non ſunt, licet eos publico libello provocaſſet, & ejus ad hæreſim in ipſa regia civitate comprimendam conatus ferre diutius non valentes veritatis inimici, ut ab ea pelleretur, ſtudia converterunt. Imperatori itaque perſuaſere, ut *quaſi diſcordiæ ſeminarium, & perturbator Orientis redire ad Gallias juberetur* (a); quorum conſiliis aſſenſit Imperator, moleſtum interpellatorem a ſe removere cupiens, & in Occidentem reverti conceſſit; verum exilii ſui edictum minime revocavit (2), ne illius compertam innocentiam hoc pacto aliquo modo teſtaretur. Et ita Hilarii zelus, & ſuorum hoſtium iniquitas ſimul ejus exilii in cauſa fuerunt, & liberationis. Confeſtim Conſtantinopoli diſceſſit, ut Gallicanis Eccleſiis opem quantocius ferret, quibus ſuam & libertatem, & gaudium attulit. Romam primum venit, ubi ſane credendum eſt cum Liberio conſilium iniiſſe de modo, quo vulneribus in Concilio Ariminenſi Eccleſiæ inflictis mederi poſſet. Reditus S. Hilarii in Galliam.

AR-

(1) Duo maxime ſunt, quæ certo ſuadent, verborum illorum additionem minime S. Hilario tribuendam: 1. quia S. Epiſcopus jam probe noverat, quod Liberius ſibi reſtitutus fidem catholicam ſtrenue tunc temporis tuebatur: hinc incredibile videtur, ut Pontifici jam correcto, immo acerrimo fidei patrono tot anathemata diceret Hilarius: 2. tanquam certum ab Eruditis habetur, Liberium primæ Sirmienſi formulæ ſubſcripſiſſe, quam S. Hilarius tanquam ab hæreſi immunem excuſat. Porro quomodo S. Præſul anathema dixiſſet Summo Pontifici, qui illi ſubſcripſiſſet, & quem etiam erroris ſui pœnituerat, & vi extortam ſubſcriptionem jam revocaverat? At unde conſtat, Liberium primæ Sirmienſi formulæ ſubſcripſiſſe? Quia ipſe Hilarius teſtatur formulam ſignaſſe Liberium, exaratam a XXII. Epiſcopis, quorum nomina recenſet, & qui vel fato functi, vel longius a Sirmio aberant, cum ſecunda formula Sirmienſis exarata fuit.

(a) *Sev. Sulp. lib. 2. pag.* 144.

(2) Ita quidem innuere videtur Sulpitius Severus, dum *abſque exilii indulgentia* dimiſſum ſcribit. Verum quam liberum ei fuerit, quocumque libuerit, excurrere, ſatis probant, quæ proxime a ſuo in Gallias reditu egit, ut obſervant Operum Editores in vita S. Hilarii ex ipſius ſcriptis n. 82. pag. CXI.

S.HILARIUS.

ARTICULUS QUARTUS.

Præſtantiora D. Hilarii documenta, Dogmata, Mores, & Diſciplinam reſpicientia.

De Sacra Scriptura.

DIVINARUM Scripturarum excellentiam non uno in loco extollit D. Hilarius, & *quidquid in eis eſt, excelſum, divinum, rationabile, & perfectum eſſe*, dicit (*a*), ac dignum Deo, qui Scripturas dictavit. Illæ nobis „ nunc inſtitutionem vitæ in„ nocentis afferunt, nunc ſcientiam Dei intimant, nunc originis, „ naturæque noſtræ cognitionem tribuunt, nunc futurorum intelli„ gentiam non ſpe tantum, ſed ratione præſtant (*b*) “. Sub littera altiorem ſenſum in eis contineri docet, ſalvo tamen litteræ ſenſu; altiorem vero, & allegoricum ſenſum ſcrutari minime vetat (*c*); quod & ipſe non ſemel præſtat. *Hiſtoriæ fidem non periclitari* dicit, *ſi rebus effectis ineſſe & connexam ſibi extrinſecus ſignificantiam exiſtimemus* (*d*). Teſtimonia Dei *expurgato, emundatoque animo* eſſe inveſtiganda (*e*); & ab eo *petendam* Scripturarum *intelligentiam, qui pulſantibus aperiet, quærentibus demonſtrabit, & petentibus non negabit* (*f*). *Nam naturæ noſtræ infirmitas non recipit, divinis inſtitutis, niſi per ejus gratiam, qui hæc ipſa dederit, erudiri* (*g*). *Neminem hæreticorum eſſe* animadvertit, *qui ſe non ſecundum Scripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur* (*h*). *Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo; neque in prævaricatione ſunt, ſed in charitate* (*i*); at hæretici *nec ratione intelligentes, nec Sacramentis Evangelicis apprehendentes, nec temporibus diſcernentes, nec dictorum virtutibus ſentientes* eas interpretantur.

De Scripturarum Canone.

Præter libros in Hebræorum Canone contentos, S. Hilarius Judith librum (*k*) inter libros Legis recenſet, & librum Sapientiæ ſub nomine Salomonis, aut Prophetæ (*l*), & Eccleſiaſticum ſub nomine ejuſdem Regis (*m*), cui Latini Interpretes frequentius attribuunt, citat (*n*). Non ſemel etiam libri Tobiæ auctoritatem allegat (*o*), & Suſannæ hiſtoriam, tanquam partem divini libri (*p*). Creden-

(a) *Tract. in Pſal.* 135. *p.* 482. *n.* 1. (b) *Ibid. n.* 2.
(c) *In Pſal.* 134. *p.* 473. *& in Matth. p.* 680.
(d) *In Pſal.* 123. *n.* 5. *p.* 399.
(e) *In Pſal.* 118. *n.* 1. *p.* 244. (f) *In Pſal.* 125. *n.* 2. *p.* 407.
(g) *In Pſal.* 118. *n.* 2. *p.* 242.
(h) *Adv. Conſt. lib.* 2. *n.* 9. *p.* 1230. (i) *Ibid.*
(k) *In Pſal.* 125. *n.* 6. *p.* 409.
(l) *In Pſal.* 118. *n.* 9. *p.* 427. *& in Pſal.* 136. *n.* 11. *p.* 487.
(m) *In Pſal.* 67. *n.* 9. *p.* 188. (n) *In Pſal.* 140. *n.* 5. *p.* 536.
(o) *In Pſal.* 118. *n.* 6. *p.* 253.
(p) *De Trinit. lib.* 4. *n.* 8. *p.* 831.

Credendum etiam eſt, Arianos hujuſce hiſtoriæ authentiam agnoviſſe, aut ſaltem a Catholicis agnitam ſciviſſe, cum ex illa objectiones ſumerent. Prophetiam Baruch ſub nomine Jeremiæ citat (*a*), & epiſtolam ad Hebræos ſub nomine D. Pauli (*b*), & Apocalypſim ſub nomine D. Joannis Evangeliſtæ (*c*); ſecundam quoque Petri epiſtolam ſub ejus Apoſtoli nomine (*d*), & ſecundum Machabæorum librum, quin ullam de ejus authentia ſignificet dubitationem (*e*). At librum Enoch rejicit, *quia*, inquit, *quæ in libro legis non continentur, ea nec noſſe debemus* (*f*).

S. HILARIUS.

Septuaginta Verſionem 300. circiter annos ante Chriſti adventum factam conſtituit, eoſque *ex hebræis litteris in græcas tranſtuliſſe* dicit (*g*). Septuaginta vero principes fuiſſe Synagogæ in Legis, & Prophetarum ſcientia apprime verſatos, quæ *ultra præſcriptum, & ambiguitatem litteræ* eſſet (*h*); *& libros hos transferentes, & ſpiritualem, ſecundum Moyſi traditionem, occultarum cognitionum ſcientiam adepti, ambigua linguæ hebraicæ dicta, & varia quædam ex ſe nuntiantia ſecundum virtutes rerum certis, & propriis verborum ſignificationibus tranſtulerunt* (*i*); nec ſolum libros Legis verterunt, ſed *& Pſalmos transferentes in numerum redegerunt, & in ordinem collocarunt* (*k*). *At qui poſtea tranſtulerunt, diverſis modis interpretantes magnum gentibus attulerunt errorem, quia occultæ, & a Moyſe profectæ traditionis ignari* (*l*). Hinc *ſola perfecta horum LXX. Interpretum auctoritas manet* (*m*); ab ea proinde minime recedendum docet (*n*), ſine detrimento tamen authentici textus Hebraici: fatetur enim, quod *Hebræis tunc lingua ſua utentibus hæc translatio non erat neceſſaria* (*o*).

De Scripturæ verſione. De Septuaginta verſione.

De Deo hæc generatim docet S. Hilarius. 1. „ Deus ſimplex eſt, „ religione noſtra intelligendus eſt, pietate profitendus eſt, ſenſu „ vero non perſequendus eſt, ſed adorandus (*p*) “: Ipſa, quæ nobis inſcrutabilia ſunt, ad Dei inſcrutabilem naturam cognoſcendam nos ducere (*q*). 2. Dei virtutes ſecundum magnificentiam æternæ poteſtatis, non ſenſu, ſed fidei infinitate metiendas. 3. „ In ſimplicitate fidem eſſe.... non per difficiles nos Deus ad beatam vitam „ quæſtiones vocat (*r*). 4. Cum de rebus Dei erit ſermo, concedamus „ cognitionem ſui Deo, dictiſque ejus pia veneratione famulemur (*s*) “.

De Dei natura: de Perſonarum diſtinctione: de divinitate Filii, & Spiritus Sancti.

5. Deum

(a) *In Pſal. 68. n. 19. pag. 225.*
(b) *In Pſal. 118. n. 16. p. 292.* (c) *Prolog. in Pſal. p. 5.*
(d) *De Trinit. lib. 1. n. 18. p. 776.*
(e) *In Pſal. 125. n. 25. p. 279. & adv. Conſt. n. 6. p. 1241.*
(f) *Pſal. 132. n. 6. p. 463.* (g) *In Pſal. 2. n. 2. p. 28.*
(h) *Pſal. 142. n. 1. p. 546.*
(i) *Pſal. 2. n. 2. p. 28.* (k) *Ibid. n. 3.*
(l) *Ibid. n. 2.* (m) *Ibid. n. 3.*
(n) *Pſal. 131. n. 24. p. 457. & Pſal. 118. n. 6. p. 267.*
(o) *Pſal. 2. n. 3. pag. 29.*
(p) *De Trin. lib. 9. n. 72. pag. 1031.*
(q) *De Trin. lib. 9. n. 15. p. 1096.*
(r) *Lib. 10. n. 70. p. 1080.* (s) *Lib. 1. n. 18. p. 777.*

S. HILARIUS. 5. Deum eſſe eſſentia ſua *infinitum* (*a*), *incorporalem* (*b*), *indemutabilem* (*c*), *æternum* (*d*), *immenſum*, ita ut *nullus ſine Deo, neque ullus non in Deo locus ſit. In cœlis eſt, in inferno eſt, ultra maria eſt, in omnibus eſt* (*e*). Ad eum cognoſcendum ſatis eſt creaturas intueri, & vel ſolum Cælum, *cum omnia hæc magnifica, & præclara opera Deum eſſe, teſtentur* (*f*). De Perſonis vero hæc habet: *Non perſona Deus unus eſt, ſed natura* (*g*). Pater, & Filius *Deus unus eſt, cum inter unum, & unum, ideſt, ex uno unum, divinitatis æternæ non ſit ſecunda natura* (*h*); una proinde in utroque eſſentia (*i*), una *poteſtas* (*k*). Hujus unitatis argumentum eſt, quod Spiritus Sanctus ab utroque procedit (*l*); non diverſæ, ſed ejuſdem eſt cum Patre, & Filio naturæ (*m*); *confeſſioni Patris, & Filii connexus eſt* (*n*); quia una eſt Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſubſtantia (*o*). *Sacramentum* edocet *divinæ generationis, ut baptizandi in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto non ignorent nominum veritatem,... agnituri abſolutiſſime,... quod neque non ipſa veritas ſit nominis, neque non nomen ſit veritatis* (*p*); ideſt quod in Deo ſit unus *Deus Pater, ex quo omnia, unus Unigenitus,... per quem omnia, & unus Spiritus, donum in omnibus* (*q*). De Filii æterna generatione loquens vocem creationis vetat uſurpare (*r*). Non refugit tamen de divina Verbi natura ea verba intelligere: *Pater major me eſt: Eſt enim* (ſcribit) *Pater major Filio, ſed ut Pater Filio generatione, non genere: filius enim eſt, & ex eo exivit, & licet paternæ nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differt: natus enim a Deo Deus, non diſſimilis eſt a gignente ſubſtantia* (*s*).

De Incarnatione. Duas clare confitetur in Chriſto naturas in una divina Perſona (*t*) conjunctas, impermixtas, & inconfuſas (*u*), tribuens humanæ naturæ infirmitates, & quod eas pellere poſſet, divinitati, & ambo uni Jeſu Chriſto, in quo *contra naturæ cæleſtis, terrenæque diverſitatem,... potiori vi* utraque *tamquam confixa ſociatur* (*x*).

De Virgine Deipara. „ Chriſtus ut per ſe ſibi aſſumpſit ex Virgine corpus, ita ex ſe „ ſibi animam aſſumpſit, quæ utique nunquam ab hominum gi- „ gnentium originibus præbetur; conceptum carnis niſi ex Deo „ Virgo

(a) *Ibid. lib. 1. n. 6. p. 768.*
(b) *Pſal. 129. n. 3. p. 437.*
(c) *De Trin. lib. 11. n. 47. p. 1109.*
(d) *Pſal. 2. n. 13. p. 33.* (e) *De Trin. 1. n. 6. p. 769.*
(f) *Pſal. 134. n. 18. p. 475.* (g) *De Syn. n. 69. p. 1190.*
(h) *De Trin. 4. n. 33. p. 847.* (i) *De Syn. n. 4. p. 1160.*
(k) *Pſal. 61. n. 9. p. 150.* (l) *De Trin. 8. n. 20. p. 959.*
(m) *Lib. 2. n. 4. p. 790.* (n) *Ib. n. 29. p. 802.*
(o) *Com. in Matth. cap. 13. n. 6. p. 676.*
(p) *De Trin. 1. n. 21. p. 777.* (q) *Lib. 2. n. 1. p. 788.*
(r) *Lib. 3. n. 22. p. 820.* (s) *In Pſal. 138. n. 17. p. 512.*
(t) *De Trin. lib. 10. n. 22. p. 1049.* (u) *Ib. n. 52. p. 1069.*
(x) *Pſal. 68. n. 4. p. 216.*

„ Virgo non habuit (*a*) “; ideſt ex Spiritu Sancto concepit. Et alibi ſcribit S. Hilarius: „ Virgo non niſi ex ſuo Sancto Spiritu „ genuit, quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis „ ex ſe daret, quantum ex ſe fœminæ edendorum corporum ſuſce- „ ptis originibus impenderent, non tamen Jeſus Chriſtus per hu- „ manæ conceptionis coaluit naturam (*b*) “. Et in hoc ſenſu ſunt intelligenda, quæ paulo poſt ſequuntur, verba: „ Non enim cor- „ pori Maria originem dedit, licet ad incrementa, partumque cor- „ poris omne, quod ſexus ſui eſt naturale, contulerit (*c*) “. Virginem permanſiſſe & in partu, & poſt partum agnoſcit, dum ſcribit: „ Caro (Virginis) carnem ſine elementorum noſtrorum pu- „ dore provexit, & perfectum ipſa de ſuis non imminuta genera- „ vit (*d*) “. Et illos reprehendit, ac *praviſſimos* vocat, *qui præſumunt, quod plures Dominum noſtrum fratres habuiſſe, ſit traditum* (*e*). S.Hilarius.

Docet, Angelos creatos ante Cæli, & Terræ creationem (*f*), illiſque in primo Cælo ſedes aſſignatas fuiſſe (*g*), natura ſpirituales (*h*), & immortales (*i*); *in Cælo omnes Angelos in meditatione juſtificationum Dei eſſe* (*k*); *nihil illic otioſum, nihil iners eſt; omnes virtutes cæleſtes in opere miniſterii ſui permanent* (*l*): *alii aſſiſtentes Deum indefeſſa voce collaudant: alii ante conſpectum.... Dei tanquam lege officii proprioris aſſiſtunt* (*m*): *omne hoc, quod putatur vacuum, repletum eſt Angelis Dei*, qui ſunt operum noſtrorum teſtes, & voluntatis (*n*): *qui etiam Patrem noſtrum quotidie vident, qui in Cælis eſt, unde poſſumus teſtimonia eorum metuere, quos & nobiſcum manere, & Deo quotidie ſcimus adſiſtere* (*o*). *Angelorum, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, & Poteſtatum* diverſa eſſe non ſolum *nomina*, ſed *& miniſteria, ac officia* (*p*), *perpetuam tamen mandatorum cuſtodiam pro naturæ ſuæ firmitate retinentes* (*q*). Ad Eccleſiæ defenſionem vigilant (*r*); *fidelibus cunctis aſſiſtunt* (*s*); & præſertim *adverſus ſpirituales nequitias* (*t*); *neque infirmitas noſtra, niſi datis ad cuſtodiam Angelis, tot, tantiſque ſpiritualium cæleſtium nequitiis obſiſteret* (*u*). *Fidelium orationibus præeſſe Angelos, abſoluta auctoritas eſt, & orationes noſtras quotidie Deo of-* De Angelis.

(a) *De Trin. lib.* 10. *n.* 22. *pag.* 1049.
(b) *Ibid. n.* 15. *pag.* 1045. (c) *Ibid. n.* 16.
(d) *Lib.* 3. *n.* 19. *pag.* 817.
(e) *In Matth. cap.* 1. *n.* 4. *pag.* 612.
(f) *Cont. Aux. n.* 6. *p.* 1266. (g) *Pſal.* 135. *n.* 8. *p.* 486.
(h) *Pſal.* 137. *n.* 5. *p.* 499. (i) *In Matth. cap.* 5. *n.* 11. *p.* 635.
(k) *Pſal.* 118. *n.* 9. *p.* 333. (l) *Ibidem.*
(m) *Pſal.* 118. *n.* 8. *p.* 281. (n) *Ibid. n.* 8. *p.* 247.
(o) *Ibidem.* (p) *Ibid. n.* 10. *p.* 260.
(q) *Ibidem.* (r) *Pſal.* 124. *n.* 4. *pag.* 404.
(s) *Pſal.* 137. *n.* 5. *p.* 499. (t) *Pſal.* 65. *n.* 13. *p.* 178.
(u) *Pſal.* 134. *n.* 17. *p.* 475.

S. HILARIUS. *ferunt* (*a*), Eliſæum ſuis precibus famulo ſuo obtinuiſſe, ut Angelos videret (*b*); ipſi Sanctos *in æternam requiem deducunt* (*c*), & *eorum interceſſione non natura Dei indiget, ſed infirmitas noſtra* (*d*).

De Anima. Animarum originem, inter arcana, quæ noſtrum rationis lumen exſuperant, ponit (*e*); *alterius tamen originis eſſe* a corpore teſtatur, & quod *maximum certamen ſuſcipit, ut ſe, etſi manens in eo, ab ejus ſocietate divellat, ut tanquam peregrina, incolatu ejus utatur* (*f*); *inſitum, impreſſumque* dicit *omnibus, divinam ineſſe nobis animarum originem opinari* (*g*), *cum non exiguam cæleſtis in ſe generis cognitionem mens ipſa cognoſcat* (*h*). Eſt in ſe *ſpiritualis* (*i*), & *naturæ cæleſtis, & ideo ad imaginem Dei homo interior effectus eſt* (*k*); *in ea conſtituta eſt natura, ut maneat æterna*, nec ex ſua a corpore ſolutione quidquam detrimenti patitur; *in obſcuro, tenebroſoque corporum habitaculo continetur, habetque contagioſi incolatus ſui carcerem; in quo cæleſtis naturæ captiva generoſitas detinetur* (*l*); *& in hujus caducæ carnis, infirmaque domicilio, corruptionis labem ex ejus conſortio mutuatur* (*m*).

De Gratia, & libero arbitrio. Docet S. Hilarius, homines „ bonum, vel malum eligere non „ naturali neceſſitate, ſed voluntate, quia unicuique ad id, quod „ velit, via eſt propoſita vivendi, & appetendi, atque agendi per„ miſſa libertas (*n*); nec beatæ illius vitæ æternitatem conſequi „ merito ſuo poterunt, niſi miſerationibus ejus, qui pater miſera„ tionum eſt, provehantur (*o*)“. Neceſſitatem gratiæ in humanæ infirmitatis magnitudine fundat, unde neceſſaria eſt nedum ad intellectum illuminandum, ſed & ad voluntatem movendam, & corroborandam. *Hinc nullus eſt nobis relictus gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo eſſe* (*p*): *ſed honorem Deo reddendum, in eo ſolo gloriandum* (*q*). Quare *inania ſunt hominum opera*, niſi Deus ea confirmet (*r*); ſed Dei *adjutorio laqueos* omnes adverſarii vitabimus (*s*).

De peccato originali. Minime aſſerere veretur S. Hilarius, naturæ noſtræ corruptionem, & infirmitatem ex primorum parentum lapſu, & peccato prodiiſſe. Hinc ſcribit: „ Ex peccato, & infidelitate primi paren„ tis ſequentibus generationibus cœpit eſſe corporis noſtri pater pec„ catum, mater animæ infidelitas.... Cum ergo innovamur Ba„ ptiſmi lavacro per verbi virtutem, ab originis noſtræ peccatis,

„ at-

(a) *In Matth. cap.* 18. *n.* 5. *pag.* 699.
(b) *Pſal.* 137. *n.* 5. *p.* 499. (c) *Pſal.* 57. *n.* 6. *p.* 125.
(d) *Pſal.* 129. *n.* 7. *p.* 440. (e) *Pſal.* 129. *n.* 1. *p.* 437.
(f) *Pſal.* 118. *n.* 1. *p.* 265. (g) *Pſal.* 62. *n.* 3. *p.* 151.
(h) *Ibidem.* (i) *Pſal.* 129. *n.* 4. *p.* 438.
(k) *Ibid. n.* 5. 6. *p.* 439. (l) *Pſal.* 120. *n.* 14. *p.* 376.
(m) *Pſal* 118. *n.* 3. *p.* 257. (n) *Pſal.* 118. *n.* 4. *p.* 366.
(o) *Ibid. n.* 15. *p.* 303. (p) *Pſal.* 123. *n.* 2. *p.* 398.
(q) *Ibidem.* (r) *Pſal.* 126. *n.* 5. *p.* 416.
(s) *Pſal.* 123. *n.* 9. *p.* 401.

„ atque auctoribus ſeparamur, reciſique quadam exſectione gladii „ Dei, a patris, & matris affectionibus diſſidemus, & veterem „ cum peccatis atque infidelitate ſua hominem exuentes, homo in- „ terior, & exterior, ideſt & corpus, & anima in ſpiritus novitate „ lætatur (*a*). Hinc, cum Propheta ajebat: *Ecce in iniquitatibus* „ *conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea*, ſciebat ſub „ peccati origine, & ſub peccati lege ſe eſſe natum “ (*b*). — S. Hilarius.

„ Peccati remiſſionem (ſcribit S. Hilarius) Sacramentum novæ „ nativitatis indulget (*c*), quod eſt Sacramentum divinæ genera- „ tionis (*d*). Ut unum Baptiſma, ita & fides una (*e*). Eſt dan- „ dum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et qui „ illud ſuſcipiunt, & verborum ſignificationem, & efficientiam re- „ rum, & negotiorum ordinem, & naturæ intelligentiam agnoſce- „ re debent, & eſſe in confeſſione & auctoris, & unigeniti, & do- „ ni (*f*). Venientes ad Baptiſmum, prius profitentur, credere ſe „ in Dei Filio, & in paſſione, ac reſurrectione ejus.... Atque „ ut hanc verborum ſponſionem quædam rerum ipſarum veritas „ conſequatur, toto in jejuniis paſſionis Dominicæ tempore demo- „ rantur (*g*) “. Symbolum recitabant, & inter cæteros articulos, Filii Dei nativitatem ex Virgine pronuntiabant. Interrogati, num renuntiarent Diabolo, ſæculo, peccatis, abrenunciare reſpondebant (*h*). „ Jurabant in Baptiſmo fidem in nomine Patris, & Fi- „ lii, & Spiritus Sancti (*i*) “. Præter Baptiſmum fluminis, tria alia diſtinguit Baptiſmata, nimirum Spiritus Sancti, & ignis, & martyrii, ex illis verbis Joannis Baptiſtæ: *Ego baptizo vos in aqua,.... qui autem poſt me venturus eſt.... vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne* (*k*); & ex illis Chriſti Domini: *Baptiſmo habeo baptizari* (*l*). Nomine autem Baptiſmi ignis intelligit ignem, qui ante Judicii diem omnia purgabit, & Baptiſmo Spiritus Sancti indicare videtur Confirmationis Sacramentum (*m*); quod alibi a Baptiſmate diſtinguens *Spiritus Sacramentum* appellat (*n*): & clare deſignat, dum ſcribit: „ Munus, & donum Spiritus San- „ cti per impoſitionem manus, & precationem, ceſſante legis ope- „ re, erat gentibus largiendum (*o*) “. Oſtendit, inter nos, & Deum quandam eſſe unitatem naturæ, dum ſcribit: „ Si Verbum „ caro factum eſt, & vere nos Verbum carnem cibo Dominico „ ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtiman- „ dus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi — De Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia.

(a) *In Matth. cap.* 10. *n.* 23. 24. *pag.* 660.
(b) *Pſal.* 118. *n.* 6. *p.* 366. (c) *Pſal.* 63. *n.* 11. *p.* 161.
(d) *De Trin. lib.* 1. *n.* 21. *pag.* 777.
(e) *Lib.* 11. *p.* 1083. *n.* 1. (f) *Lib.* 2. *n.* 1. *p.* 787.
(g) *In Matth. cap.* 15. *n.* 8. *p.* 687. (h) *Pſal.* 50. *n.* 14. *p.* 67.
(i) *Ad Conſt. lib.* 2. *n.* 4. *p.* 1226. (k) *Matth.* 3. 11.
(l) *Luc.* 12. 50. (m) *Pſal.* 118. *n.* 5. *p.* 258.
(n) *In Matth. cap.* 4. *n.* 27. *pag.* 629.
(o) *In Matth. cap.* 19. *n.* 3. *pag.* 703.

S. HILARIUS.

„ homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æter„ nitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit „ (*a*)"? Quibus verbis realem carnis Chriſti ſumptionem in Euchariſtia confitetur, & docet. Hinc poſt pauca ſubdit: „ Quæ ſcri„ pta ſunt, legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc per„ fectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti „ veritate quæ dicimus, niſi ab eo didicimus, ſtulte, atque impie „ dicimus. Ipſe enim ait: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis „ meus vere eſt potus; qui edit carnem meam, & bibit ſangui„ nem meum, in me manet, & ego in eo* (*b*). De veritate car„ nis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim „ & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra vere caro eſt, & ve„ re ſanguis eſt; & hæc accepta, atque hauſta id efficiunt, ut & „ nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit (*c*)". Et alibi ſcribit: „ Omnes non credentes reſurrexiſſe Chriſtum, habituros non „ eſſe cibum vitæ. In fide enim reſurrectionis Sacramentum panis „ cæleſtis accipitur (*d*): Accipimus autem in fide reſurrectionis, „ dum non ſolum panem vivum, ſed & vivificantem in Euchari„ ſtia contineri profitemur, in qua immortalitatis ſemen nobis „ præſtatur (*e*)". Addit etiam S. Præſul, Chriſtum, *fundendum in remiſſionem peccatorum corporis ſui ſanguinem conſecraſſe* (*f*).

De Pœnitentia.

„ Reſumendi totius luminis (ſcribit S. Hilarius) in tempore „ pœnitentiæ eſt facultas (*g*), & per pœnitentiam eſt reditus ab „ errore, receſſus a crimine, & poſt vitiorum pudorem profeſſio „ deſinendi (*h*); pœnitentiam eſſe a Deo gratiam faciente pœ„ nitendorum, & novorum bonorum initia reddente (*i*); & Deus „ ex copia bonitatis ſuæ miſericordiam in peccatorum remiſſione „ largitur (*k*). Confitendum tamen eſt crimen, ut obtineatur & „ venia (*l*); ſed hæc confeſſio tantum *in ſæculo*, non etiam in „ ſæculum ſæculi (*m*). Deſiſtendum eſt a peccatis eſt, poſtquam „ in confeſſione eſt cognitio peccati, & confitendum eſt corde to„ to, non ex parte, neque aliqua adhuc nobiſcum cognitorum „ peccatorum operatione reſidente (*n*). Et virtutis divinæ eſſe, „ dicit, humanæ infirmitati poſſe concedere, ut quæcumque liga„ verint homines ſuper terram, ligata ſint & in cælis, & quæ„ cumque ſolverint ſuper terram, ſoluta ſint & in Cælis (*o*)".

De Eccleſia, & Apoſtolis.

„ In ſola Catholica Eccleſia, ſicut Columba in Arca, vera „ quies invenitur (*p*), & ſemita ad Cælum; & licet una in Orbe „ Ec-

(a) *De Trin. lib.* 8. *n.* 13. *pag.* 954.
(b) *Joan.* 6. 56. 57. (c) *De Trin. lib.* 8. *n.* 14. *p.* 955.
(d) *In Matth. cap.* 9. *n.* 3. *p.* 648. (e) *Ibidem*.
(f) *Ibid. cap.* 31. *n.* 7. *p.* 743. (g) *Ibid. cap.* 12. *n.* 10. *p.* 669.
(h) *Ibid. cap.* 2. *n.* 2. *p.* 614. (i) *Pſal.* 125. *n.* 8. *p.* 410.
(k) *Pſal.* 66. *n.* 2. *p.* 185. (l) *Pſal.* 118. *n.* 19. *p.* 263.
(m) *Pſal.* 51. *n.* 23. *p.* 81. (n) *Pſal.* 137. *n.* 3. *p.* 498.
(o) *In Pſal.* 67. *n.* 35. *p.* 211. (p) *Pſal.* 146. *n.* 12. *p.* 580.

,, Eccleſia ſit, tamen unaquæque urbs Eccleſiam ſuam obtinet (*a*). S. HILARIUS.
,, Eccleſia corpus eſt Chriſti (*b*) myſticum, ejuſque Sponſa, Do-
,, mus Dei, columna, & firmamentum veritatis (*c*), os Chriſti
,, (*d*), Civitas magni Regis (*e*), cujus figura Arca Noe fuit
,, (*f*), quam ingredi omnes invitantur (*g*), at pauci ingrediuntur
,, (*h*), omnes illa ſecum, & intra ſe vellet manere, nec ex tran-
,, quilliſſimis finibus ſuis alios aut abjicere, aut perdere, ſed ab ea
,, diſcedunt hæretici, vel ejiciuntur, dum indigni fiunt tantæ matris
,, habitaculo (*i*). A Domino inſtituta, non ab hominibus (*k*).
,, Eſt toto Orbe diffuſa (*l*). Hæretici omnes contra Eccleſiam ve-
,, niunt, at dum ſe invicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt;
,, victoria eorum, Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt (*m*)". Apoſtolos *Eccleſiæ Principes* appellat S. Hilarius, & Eccleſias ab eis fundatas, & poſtmodum mirifice auctas eorum principatus dicit, eiſque applicat verba Pſalmi: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortati ſunt principatus eorum* (*n*). De Petro vero ſcribit, *illi claves Regni Cælorum datas*, *ſuper eum Eccleſiam ædificatam*, unde *Petrum primum Filii Dei confeſſorem*, & *cæleſtis Regni janitorem dicit* (*o*), & *Apoſtolatus Principem* appellat, quia *primus credidit Filii divinitatem* (*p*), & *Fidei Martyrem* (*q*); ejus infidelitatem Satanæ fraudibus attribuit.

De variis Eccleſiæ moribus.

Ex Hilario diſcimus, fuiſſe Eccleſiæ in more poſitum, *in prima Sabbati*, ideſt Dominica die, Pſalmum XXIII. decantare (*r*); & *dies in orationibus Dei inchoare, & in hymnis Dei claudere* (*s*). *Audiat* (ſubdit) *orantis populi conſiſtens quis extra Eccleſiam vocem .... & inter divinorum quoque Sacramentorum officia reſponſionem devotæ confeſſionis accipiat* (*t*) datam per vocem *Amen*. Narrat, juxta apoſtolicam traditionem, a Paſchate ad Pentecoſtem, *nullum in terram ſtrato corpore adorare*, *neque jejunio feſtivitatem illius temporis impedire .... idipſum etiam in Dominicis diebus eſſe conſtitutum* (*u*). Conſtituta etiam jejunia, & non jejunantes ab Epiſcopis reprehenſos; & conſueviſſe fideles *in uſum indigentium* pecuniam Epiſcopis præbere (*x*). Tanquam abuſum habitum fuiſſe, ſi *judices*, *quibus provinciarum adminiſtrationes concreditæ erant*, *præſumpſiſſent cauſas cognoſcere clericorum* (*y*). Conſueviſſe Prin-

(a) *Pſal. 14. n. 3. p. 62.* (b) *Ibid. n. 5. p. 63.*
(c) *Pſal. 64. n. 6. p. 165.* (d) *Pſal. 138. n. 29. p. 518.*
(e) *In Matth. cap. 4. p. 628.* (f) *Pſal. 146. n. 12. p. 380.*
(g) *In Matth. cap. 7. p. 643. n. 10.* (h) *Ibidem.*
(i) *De Trin. lib. 7. n. 4. p. 917.* (k) *Ibidem.*
(l) *Pſal. 138. n. 38. p. 522.* (m) *De Trin. lib. 7. n. 4. p. 918.*
(n) *Pſal. 138. v. 17.* (o) *Pſal. 131. n. 4. p. 447.*
(p) *In Matth. cap. 7. n. 6. p. 1642.*
(q) *De Trin. lib. 6. n. 37. p. 904.* (r) *Pſal. 67. n. 27. p. 207.*
(s) *Pſal. 64. n. 12. p. 169.* (t) *Pſal. 65. n. 4. p. 174.*
(u) *Prol. in Pſal. n. 12. p. 8.* (x) *Pſal. 118. n. 2. p. 316.*
(y) *Ad Conſt. lib. 1. n. 1. p. 1218.*

S.HILARIUS.

cipes Chriſtianos, ad honorandos Epiſcopos, *capita ſua eorum benedictionibus ſubmittere, & oſculo excipere, cenſum capitum remittere, & convivio dignari* (*a*).

De Morali Doctrina.

Plurimæ ſunt morum doctrinæ, quæ in Operibus S. Hilarii leguntur; præcipuas nonnullas delibamus. Docet „ res omnes, & „ omnem ſermonem cum confeſſione Dei eſſe ineundum (*b*), impleri „ Apoſtoli præceptum de ſine intermiſſione orando, & monitum „ Pſalmiſtæ de divina Lege die, ac nocte meditanda, cum per „ opera Deo placita, & in gloriam ejus ſemper exercita, ſancti „ cujuſque viri vita omnis oratio fit, ac ſic ſecundum legem no„ ctu, dieque vivendo, vita ipſa nocturna legis erit, & diurna „ meditatio (*c*). Deum ſalvos facere eos, qui timebunt & pre„ cabuntur, & diligent, & diſperdet eos, qui nec ut homines ti„ muerint, nec ut ſubditi oraverint, nec ut donati vita, mundo„ que dilexerint (*d*): plures intra legem metus cohibet, paucos „ vero voluntas conſtituit in lege, quia timoris eſt, non audere ti„ menda negligere, perfectæ vero religionis eſt, præſcriptis velle „ parere, & idcirco beatus ille eſt, cujus in lege Dei non timor „ eſt, ſed voluntas (*e*): unde nobis timor Dei omnis in amore eſt; ... „ dilectionis autem noſtræ officium eſt parere monitis, ſtatutis ob„ temperare, pollicitis confidere (*f*); Deum non tum tantum o„ randum eſſe, cum quæ timentur, ingruerint, ſed timenda ea „ ſunt, quæ cum cœperint adeſſe, dominantur, & ſemper, atque „ indeſeſſis precibus orandus eſt, ut nos a timore eorum, quorum „ dominatum timemus, eripiat (*g*) “. Deum velle „ liberum a „ crimine eſſe doctrinæ cæleſtis prædicatorem, velle eloquia ſua a „ caſti corporis caſto ore tractari (*h*), Epiſcopos Eccleſiæ prædi„ cationis Evangelicæ debere miniſterium (*i*); conſummatarum vir„ tutum ſummam in eis eſſe oportere (*k*); non deeſſe Epiſco„ pos, qui plerumque, tamquam pro debita officii religione, pie „ regibus adulari exiſtimant, quia in corpus noſtrum ſit his aliquid „ poteſtatis, ſed punitorem, perditoremque in igne judicii & cor„ poris, & animæ Deum habituros (*l*): ex Deo magis, quam „ in contumeliam Dei, hominibus eſſe placendum, ut per divina „ inſtituta, & probitatem fidelis vitæ, innocentiſque placeatur; ... & „ ſtudium, quod ut hominibus tantum placeatur, impenditur, ad id, „ quod Deo placendum eſt, non refertur (*m*): non oportere, hu„ militatem carere conſtantia, & libertatem Dei a nobis in ea, „ quam omnibus debemus, ſervitute retinendam eſſe, ne ad poten„ tium

(a) *Adv. Conſt. n.* 10. *pag.* 1245.
(b) *Pſal.* 64. *n.* 2. *p.* 162. (c) *Pſal.* 1. *n.* 7. *p.* 20.
(d) *Pſal.* 141. *n.* 22. *p.* 571. (e) *Pſal.* 1. *n.* 6. *p.* 19.
(f) *Pſal.* 127. *n.* 2. *p.* 424. (g) *Pſal.* 63. *n.* 6. *p.* 158.
(h) *Pſal.* 118. *n.* 5. *p.* 280.
(i) *De Trin. lib.* 6. *n.* 2. *p.* 879.
(k) *Lib.* 8. *n.* 1. *p.* 945. (l) *Pſal.* 52. *n.* 14. *p.* 89.
(m) *Ibid. n.* 15. *p.* 90.

,, tium impetus terreamur, ne ad malevolorum arbitria cedamus (*a*):
,, Deum eſſe Univerſitatis Dominum, obſequio non egere neceſſa-
,, rio, nec requirere coactam confeſſionem; non fallendum eſſe,
,, ſed promerendum, noſtra potius, non ſua cauſa venerandum eſ-
,, ſe (*b*): non poſſe Epiſcopum niſi volentem recipere, niſi oran-
,, tem audire, niſi profitentem ſignare (*c*). Hæreticos tamen cogi
,, poſſe ad fidem amplectendam, quam deſeruerint (*d*). Virgini-
,, tatem, continentiam, & jejunia eſſe curanda, ſed non proficere
,, ad ſanctitatem, niſi expleantur in Chriſto, ideſt cum Chriſti ve-
,, ritate conſentiant: hinc ea virtutum opera Infidelibus inutilia
,, dicit, quia in confeſſione veritatis ſuſcepta non ſunt (*e*). Oportere
,, homines,... ubi Evangelicæ, atque Apoſtolicæ prædicationis veritas
,, præfertur, callidæ philoſophiæ tortuoſas quæſtiones abjicere, &
,, ſectari fidem, quæ in Deo eſt; quia ſenſum infirmum facile fi-
,, dei ſuæ præſidio ſophiſma ſyllogiſticæ interrogationis exuere pot-
,, eſt (*f*): credendi neceſſitatem dicti Dominici auctoritas ſola præ-
,, ſtat (*g*): Hæreſes de intelligentia, non de Scriptura eſſe, & ſen-
,, ſus, non ſermonis eſſe crimen (*h*): Spem omnium finium terræ
,, eſſe, & quacumque ſe habitabilis terræ hujus temperies ſe ex-
,, tendit, omnibus Chriſtum in ſpe eſſe (*i*): gloriam rependendam
,, merito fidei noſtræ; ſed noſtræ ad gloriam prædeſtinationis ſolam
,, cauſam eſſe Dei miſericordiam (*k*). Non aliter aut nos mereri,
,, aut alios ante meruiſſe ſalutem, quam Verbum Dei Deum na-
,, turæ noſtræ carnem vel habitaturum ſperando, vel quod habita-
,, verit, credendo (*l*)".

S. Hilarius.

Obſcuriora nonnulla in S. Hilario explicantur.

Temere, & abſque ullo prorſus fundamento culpatur S. Hilarius, negaſſe, Chriſtum ex utero Virginis materiam ſumpſiſſe, ex qua ejus corpus efformatum fuit (*m*); cum oppoſitum plurimis in locis aperte doceat, & præſertim Tractatu in Pſalmum 138. ubi ſic ſcribit: *Quæcumque homini, quem ex utero virginis aſſumpſit, & in quo ſe naſci hominem, qui Deus erat, voluit &c.* (*n*). Et paulo poſt: *Non alienæ, aut ſimulatæ naturæ hominem aſſumpſit* (*o*). Et alibi: *B. Virgo officio uſa materno ſexus ſui naturam in conceptu, & partu homini exſecuta eſt* (*p*). Quod autem huic criminationi anſam ſuppeditavit, eſt, quod aliquo in loco Chriſti conceptionem *ſpiritualem* appellet (*q*). At non alio in ſenſu eam vocem uſurpavit, niſi ut indicaret, corpus ex Virgine aſ-

(a) *Pſal.* 14. *n.* 12. *pag.* 66.
(b) *Ad Conſt. lib.* 1. *n.* 6. *p.* 1221. (c) *Ibid.*
(d) *De Synod. n.* 63. *p.* 1187. (e) *Pſal.* 14. *n.* 8. *p.* 64.
(f) *De Trin. lib.* 12. *n.* 19. *pag.* 1121.
(g) *Lib.* 8. *n.* 52. *p.* 978. (h) *Lib.* 2. *n.* 3. *p.* 789.
(i) *Pſal.* 64. *n.* 7. *p.* 166. (k) *Pſal.* 135. *n.* 5. *p.* 484.
(l) *Pſal.* 118. *n.* 5. *p.* 331. (m) *Scultet. Syntag. Patr. p.* 412.
(n) *Pſal.* 138. *n.* 2. *p.* 505. (o) *Ibid. n.* 3.
(p) *De Trin. lib.* 10. *n.* 17. *p.* 1047.
(q) *Ibid. pag.* 1058. *n.* 35.

S. Hilarius.

ſumptum a Spiritu Sancto efformatum. Dicit etiam juxta plurium antiquiorum phraſim: *Spiritus Sanctus deſuper veniens Virginis interiora ſanctificavit, & in his ſpirans naturæ ſe humanæ carnis immiſcuit* (*a*). Ubi per Spiritum Sanctum non tertiam deſignavit Perſonam, ſed ſecundam: ſic enim eam aliquando appellarunt Patres, Tertullianus, S. Juſtinus, Theophilus Antiochenus, S. Athanaſius, Ruffinus, S. Auguſtinus, aliique plures. Culpatur etiam S. Hilarius, quaſi docuerit, fideles omnes unum eſſe cum Patre, & Filio natura, non adoptione, & voluntatis concordia. At animadvertendum, S. Præſulem unione naturæ deſignare communiter quamcumque unionem membrorum cum capite; immo generalius dicit: *Qui per rem eamdem unum ſunt, natura etiam unum ſunt, non tantum voluntate* (*b*). Hinc deducit: *Si ergo per fidem, ideſt per fidei unius naturam unum omnes erant; quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum ſunt* (*c*)? aut etiam *ex Sacramenti unitate, quia his & baptiſma ſit unum, & unum Chriſtum induti omnes ſunt* (*d*)? Quando igitur docet, fideles omnes unum eſſe cum Patre, & Filio, non ſibi vult eſſe eiſdem conſubſtantiales, ſed non una ratione nos cum Patre & Filio, ac proxime cum Filio, eoque tantum mediante cum Patre natura unum dicere; nimirum ſicut triplex quodam modo Chriſti corpus eſt, naturale videlicet, quod ſumpſit ex Virgine, Sacramentale, quod nobis in Euchariſtia reliquit, & glorioſum, quod in cælum evexit; ita triplici ex illo capite nos cum Chriſto natura unum eſſe oſtendit, dum & ille naturam noſtram aſſumpſit in Incarnatione, & nos veram illius carnem recipimus in Sacramento Euchariſtiæ, ac demum eamdem, quam a Patre accepit, gloriam nobis retribuet in corporum reparatione; & hoc poſtremo modo fideles dicit eſſe unum natura etiam cum Patre. Et aliud crimen Hilario tribuitur, quod maxime exaggerant intemperantiores Critici, inficiatum nimirum eſſe, Chriſtum fami, ſiti, timori, dolori, aliiſque humanis affectionibus obnoxium fuiſſe. Quam criminationem confirmare conantur quibuſdam D. Hilarii verbis, & teſtimoniis, ubi adverſus hæreticos diſputans, qui Chriſti divinitati ea tribuebant, quæ de ſola humanitate dicta in Scripturis legebantur, oſtendit, divinitatem nihil omnino paſſam eſſe, quod certe nemo negabit. Hinc Tractatu in Pſalmum LIV. ſcribit: *Pati omnia in ſe ipſo conſtituit, dummodo humanæ ſalutis Sacramenta perficeret.... Verum Unigenito Dei, quamvis infirmitas noſtra ſuſcepta ſit, tamen divinitatis ſuæ non eſt abolita natura, ut non his omnibus, quæ infirma ſunt, ſalva majeſtatis ſuæ dignitate, perfunctus ſit* (*e*). Et rurſum: *Ut abſolutiſſimum nobis humanæ*

(a) *Lib.* 2. *n.* 26. *p.* 801.
(b) *De Trin. lib.* 8. *n.* 9. *p.* 952.
(c) *Ib. n.* 7. *p.* 951. (d) *Ib. n.* 8. *p.* 952.
(e) *Pſal.* 54. *n.* 6. *pag.* 105.

S. Hilarius.

manæ humilitatis eſſet exemplum, omnia, quæ hominum ſunt, & oravit, & paſſus eſt, & ex communi noſtra infirmitate ſalutem ſibi eſt deprecatus a Patre, ut nativitatem (ideſt naturam) *noſtram cum ipſis infirmitatis noſtræ iniiſſe intelligeretur officiis. Hinc illud eſt, quod eſurivit, ſitivit, dormivit, laſſatus fuit, impiorum cœtus fugit, mœſtus fuit, & flevit, & paſſus, & mortuus eſt* (*a*). Et *ut his omnibus non natura* (divina), ſed *ex aſſumptione, qua homo eſt, ſubjectus eſſe poſſet intelligi, perfunctus his omnibus reſurrexit* (*b*).

Concilium Romanum anni 494. S. Hilarii libros in eorum catalogo recenſet, quos Eccleſia Catholicas Scripturas appellat (*c*). Et B. Lanfrancus in apologia S. Hilarii adverſus Berengarium hujus cenſuram eo maxime argumento repellit, *quod quiſquis Hilario alicujus hæreſeos notam imponit, multos orthodoxos principes, qui magnis eum laudibus extulerant, ejuſdem erroris macula involvit* (*d*). Deinde iis, qui in lectione Patrum ſententias difficiles offenſuri eſſent, egregiam hanc regulam proponit: *Tutius eſt igitur Lectori in difficillimis Sanctorum Patrum ſententiis, quas ingenii ſui imbecillitas capere non poteſt, interrogato quod neſcit, dicere ſe neſcire, quam pertinaci arrogantia, & arroganti pertinacia, non ſine ſua, & aliorum pernicie, fidei contraria definire, præſertim ſi talis perſona ſit, quæ vel ſcientia litterarum, vel probitate morum, vel potius utraque parte auctoritatis pondus præ ſe gerere videatur* (*e*).

Si vero nonnulla alia occurrent in Sancti Hilarii Operibus difficiliora, de iis ea judicandum æquitate, quam ſervandam præſcribit Eulogius Alexandrinus erga antiquorum Scriptorum Eccleſiæ libros, videlicet non eſſe de eorum doctrina ex uno, aut altero teſtimonio judicandum, ſed ex iis, quæ conſtantiſſime docuerunt (*f*). Quod maxime obſervandum in S. Hilario, qui frequenter de noſtris loquens myſteriis eas uſurpat phraſes, & voces, quæ poſt ſæculum, in quo ſcripſit, non amplius ſunt in uſu, & cum primus fuerit inter Latinos, qui in defenſionem Fidei contra Arianos calamum ſtrinxerit, ad Græcos confugere neceſſe habuit, & eorum phraſes, & argumenta adverſus Hæreticos latinis vocibus reddere.

(a) *Pſal.* 53. *n.* 7. *p.* 97. (b) *Ibid.*
(c) *Tom.* 4. *Conc. p.* 1262. (d) *Ep.* 50. *p.* 325.
(e) *Id. ibid.* (f) *Apud Photium Cod.* 215.

S. HILARIUS.

ARTICULUS QUINTUS.

Selecta Spiritualis Vitæ documenta.

Dei natura inexplicabilis.

I. PERFECTA ſcientia eſt, ſic Deum ſcire, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem ſcias. Credendus eſt, intelligendus eſt, adorandus eſt, & his officiis eloquendus eſt. (*Lib.* 2. *de Trinit.*)

Stultum eſt de potentia Dei noſtra infirmitate velle judicare.

II. Omnis infidelitas ſtultitia eſt: quia imperfecti ſenſus ſui uſa ſapientia, dum omnia opinione infirmitatis ſuæ moderatur, putat effici non poſſe, quod non ſapit. Cauſa enim infidelitatis, de ſententia eſt infirmitatis, dum geſtum eſſe quis non putat, quod geri non poſſe definiat. (*Lib.* 3.)

In Epiſcopis doctrina cum pietate jungenda.

III. Non ſtatim boni, atque utilis Sacerdotis eſt, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo ſcienter prædicare: cum & innocens ſibi tantum proficiat, niſi doctus ſit: & doctus ſine doctrinæ ſit auctoritate, niſi innocens ſit. (*Lib.* 8.)

Frequentius in diſputationibus propria ſententia ſuſtinetur, quam veritas quæritur.

IV. Immoderata eſt omnis ſuſceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu adverſandi ſtudium perſiſtit, ubi non rationi voluntas ſubjicitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur; ſed iis, quæ volumus, rationem conquirimus, & iis, quæ ſtudemus, doctrinam coaptamus. (*Lib.* 10.)

Fidei veritates ſimplices ſunt, faciles, numero paucæ.

V. In ſimplicitate fides eſt. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere ſollicitat. In abſoluto nobis, ac facili eſt æternitas. (*Ibid.*)

Conſolatio ſolis plorantibus promiſſa.

VI. *Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur:* Lugentibus æternæ conſolationis ſolatia repromittit; non orbitates, aut contumelias, aut damna mœrentibus, ſed peccata vetera flentibus, & criminum, quibus obſordeſcimus, conſcientia ærumnoſis, hæc ſedula in cælo conſolatio præparatur. (*In Matthæum cap.* 4.)

Angeli Cuſtodes.

VII. Præeſſe Angelos abſoluta auctoritas eſt. Salvatorum per Chriſtum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. (*Cap.* 18.)

Crimen non eſt habere divitias.

VIII. Habere divitias criminis non eſt, ſed modus in habendo retinendus eſt. Nam quomodo impertiendum eſt, quomodo communicandum, ſi impertiendi, & communicandi materia non relinquatur? Ergo nocenter magis habere, quam illud ipſum habere ſit crimen. Sed periculoſa cura eſt velle diteſcere: & grave onus innocentia ſubit, incrementis opum occupata. Rem enim ſæculi famulatus Dei non ſine iſtius vitiis aſſequitur. Hinc difficile, divitem regnum cælorum adire. (*Cap.* 19.)

Vita bona oratio continua.

IX. *Sine intermiſſione oramus*, cum per opera Deo placita, & in gloriam ejus ſemper exercita, ſancti cujuſque viri vita omnis oratio ſit: ac ſic ſecundum legem noctu dieque vivendo, vita ipſa nocturna legis erit, & diurna meditatio. (*In primum Pſal. enarr.*)

Voluptatis amor fons atheiſmi.

X. *Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus.* Quis mundum contuens,

tuens, Deum eſſe non ſentiat? Sed fit frequenter, ut cum nos veri neceſſitas ad confeſſionem Dei cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum nobis non eſſe perſuadeat: & quod contra fidem credimus, id tamen de conſilio impii cordis eloquamur. (*In Pſal.* 52.)

S. HILARIUS.

Nocturnæ orationis utilitas.

XI. *Memor fui nocte nominis tui:* Scit, præcipue nocturno tempore divini eſſe a nobis nominis recordandum, cum ſubrepunt animo impuræ cupiditates: cum vitiorum ſtimuli per recens ſumptum cibum corpus exagitant.... Non eſt periculoſo nocturnarum vigiliarum otio animus relaxandus; ſed in orationibus, in deprecationibus, in confeſſionibus peccatorum occupandus: ut cum maxime corporis vitiis opportunitas datur, tum præcipue eadem vitia divinæ legis recordatione frangantur. (*In Pſal.* 118.)

Ut Dei ſimus, omnibus renunciandum.

XII. *Portio mea Dominus:* Rarus quiſque eſt, cui iſta fiducia eſt. Renunciandum eſt ſæculo, omnibuſque rebus ejus, ut nobis Deus portio ſit. Cæterum, ſi nos ambitio detineat, ſi cura pecuniæ occupet, ſi illecebræ libidinum capiant, ſi negotia rerum familiarium demorentur; portio nobis Deus non erit, ſæcularium curarum, atque vitiorum poſſeſſione detentis. (*Ibidem.*)

Clamor cordis vera oratio.

XIII. Silentium a nobis orandi Dominus exigit, ut ex ſecreto cordis precemur, neque in eo vocis potius eſſet officium, quam mentis.... Ergo contrarium Evangelicis inſtitutis videtur hoc, quod ait Propheta: *Clamavi ex toto corde meo.* Sed ſcit Propheta, clamorem potius cordis oportere eſſe, non vocis: & idcirco de corde clamat. Non hic elatæ vocis ſonus eſt, ſed clamor fidei, clamor mentis uſque ad thronum Dei efferendus. Ille enim ad Deum toto corde clamat, qui magna poſtulat, qui cæleſtia precatur, qui æterna ſperat, qui innocentis timoris vivit officiis. (*Ibid.*)

Sancti mores præparatio ſunt ad orationem.

XIV. Nos vero ſalutem tanquam debitum poſtulamus: & veluti Deo ſit hanc præſtare neceſſe, primis ab eo precibus oramus: atque utinam cordis clamore loqueremur. Labia tantum noſtra, ſenſu peregrinante, quod neſciunt, murmurant: & officium corporis, mens in res alias occupata non ſequitur. (*Ibid.*)

Quid in tribus prioribus Dominicæ orationis petitionibus poſtulemus.

XV. *Sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua.* Non utique, ut hæc Deo proveniant, optamus.... Ut nihil nobis aliud in opere ſit, niſi per quod ſanctificetur nomen ejus: nihil aliud in ſpe, niſi per quod etiam in nos regnum ejus ſperamus: nihil aliud in voluntate, niſi per quod Deo æternæ a nobis laudes ſunt deferendæ. (*In Pſal.* 134.)

Confeſſio integra, & cum propoſito deſinendi.

XVI. Nullus, quod peccatum eſſe confeſſus eſt, deinceps debet admittere; quia confeſſio peccati profeſſio eſt deſinendi.... Confitendum eſt, ut Propheta docuit, ex toto corde, non ex parte, neque aliqua adhuc nobiſcum cognitorum peccatorum operatione reſidente. (*In Pſal.* 137.)

Semper vigilandum.

XVII. Nullus juſtus diem ſine metu tranſigit, ſcit omnes dies plenos inſidiarum ſibi eſſe, Diabolo, atque Angelis ejus excidium ſibi ſemper molientibus. Scit illam diem Domini occultam, inſperatam, & modo nocturni furis repentinam futuram. (*Ibid.*)

XVIII.

S. HILARIUS.

XVIII. Ut omnibus Sanctis caput Chriſtus eſt; ita omnibus iniquis caput Diabolus eſt. (*In Pſal.* 139.)

Aut Chriſto, aut Satanæ ſervimus. Dei miſericordia erga infirmitatem noſtram.

XIX. Non eſt tyrannicæ voluntatis Deus, non præduræ pertinaciæ arbiter: ſed qui rationem habeat infirmitatis humanæ. Neque qui hos demutabilis naturæ promptiſſimos lapſus ſecundum indemutabilis ſubſtantiæ ſuæ indeflexam conſtantiam metiatur; ſed juſtus, & moderatus tantum ab homine expectet, quantum meminerit humanæ licere naturæ. (*In Pſal.* 142.)

Deus magnitudinem miſericordiæ ſuæ oſtentat.

XX. Non Deus rapit humanorum criminum occaſiones; neque tanquam infirmitatis noſtræ neſcius, ipſum illud ad pœnam erroris, & peccati noſtri tempus invadit: ſed diſſimulat, & differt, & pœnitentiæ ſolatium dilatione ultionis expectat, ſuavem ſe omnibus præſtans, dum per miſericordiæ, & juſtitiæ modum, temperandæ ſeveritatis indulgentiæ ſe reſervat. Hoc in Deo præcipuum, hoc in potente laudandum: non cælum feciſſe, quia potens eſt; non annum aſtris temperaſſe, quia ſapiens eſt; non hominem animaſſe, qui vita eſt; ſed miſericordem eſſe, qui juſtus eſt; ſed miſerantem eſſe, qui Deus eſt. Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt; & juſtitiam tuam exultabunt. (*In Pſal.* 144.)

Ad defenſionem Eccleſiæ ſuæ Deus humano non indiget auxilio.

XXI. Primum miſereri licet noſtræ ætatis laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere: quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſæculari laboratur. Oro vos Epiſcopi, qui hoc vos eſſe creditis: quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Evangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt, genteſque fere omnes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi aſſumebant e palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere, inter catenas, & poſt flagella cantantes? edictiſque Regis Paulus cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto Eccleſiam congregabat? Nerone ſe, credo, aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur? quorum in nos odiis confeſſio divinæ prædicationis effloruit. Illi manu, atque opere ſe alentes, intra cœnacula, ſecretaque coeuntes, vicos & caſtella, genteſque fere omnes terra, ac mari contra Senatus conſulta, & Regum edicta peragrantes: claves credo regni cælorum non habebant? aut non manifeſta ſe tum Dei virtus contra odia humana porrexit: cum tanto magis Chriſtus prædicaretur, quanto magis prædicari inhiberetur? (*Cont. Auxent.* n. 3.)

Juſti magis tentationibus obnoxii.

XXII. Tentatur ſtatim poſt baptiſmum Dominus, tentatione ſua indicans, in ſanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta graſſari: quia victoria ei eſt magis exoptata de Sanctis. (*In Matth. cap.* 3.)

Deo ſerviendum cum timore, & exultatione.

XXIII. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore;* Ut metum ſervitutis gaudii exultatio temperaret, cum ipſe timor cauſam lætitiæ per conſcientiam ſervitii fidelis afferret. Porro autem ne libertas gaudii fines congruæ moderationis excederet, ita ſubdidit, *Exultate in tremore*, quia pericoloſa ad oblivionem timoris eſſet libera a tremore lætitia. Atque ita hæc prophetici eloquii ratio

tio ſervata eſt, ut ſervitutem timor detineret, timorem exultatio moderaretur, & exultationem tremor conſequens contineret. Hujus autem ſervitii & timorem exultantem, & exultationem trementem docuit in eo, quod ſequitur, conſiſtere, dicens: *Apprehendite diſciplinam*. (*In Pſ.* 2.)

S.Hilarius.

XXIV. *Qui ingreditur ſine macula*. Extra peccati labem vivere.... magnum eſt, ſed non in hoc ſtatim confecti itineris eſt requies. Cœpta enim in his via eſt, non peracta; nam ſequitur, *& operatur juſtitiam*. Bonum non tam cogitandum eſt, quam exequendum; juſtitiam velle hic erit fructus, ut fiat. (*In Pſ.* 14.)

Non ſolum eſt a malo declinandum, ſed & faciendum bonum.

XXV. Non oportet humilitatem carere conſtantia, & libertas Dei a nobis in ea, quam omnibus debemus, ſervitute retinenda eſt; ne ad potentium impetus terreamur, ne ad malevolorum arbitria cedamus. Interdum enim etiam Regibus iniqua poſcentibus turpi adulatione famulamur, & vitiis alienis conſcientiæ noſtræ infirmitate blandimur. (*Ibid.*)

Conſtantia cum humilitate ſocianda.

XXVI. Stultitiæ, atque impietatis extremæ eſt, non intelligere, ſe ſub Deo, & ex Deo vivere, ſed in his, quæ gerit, & expectat, ſua magis velle confidere poteſtate: cum ſi quid illud in ſe ſit, ex Deo ſit. Ad Deum itaque ſpes omnis noſtra ſit, & confeſſio omnis in Deo ſit, exemplo Prophetæ dicentis: *Domine adjutor meus, & redemptor meus*. (*In Pſal.* 51.)

Omne bonum a Deo in nos deſcendit.

XXVII. Impius timor eſt, cum quæ non timenda ſunt, timentur, & quæ timenda ſunt, non timentur. Et plerumque nos tamquam pro debita officii religione pie adulari regibus exiſtimamus, quia in corpus noſtrum ſit in his aliquid poteſtatis: quibus licet nihil ultra de nobis, quam latroni, quam febri, quam incendio, quam naufragio, quam ruinæ. Et propter brevem dolorem libertatem Eccleſiæ, ſpei noſtræ fiduciam, confeſſionem Dei addicimus; punitorem perditoremque in igne judicii & corporis, & animæ noſtræ Deum non timentes, & æternis divinæ ultionis pœnis momentanea ſupplicia præferentes. (*In Pſal.* 52.)

Inordinatus eſt timor, cum homines magis, quam Deum timemus.

XXVIII. *Per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi utile ſit, ſed quod multorum, ut ſalventur*. Hoc eſt, non hominibus, ſed Deo placere; cum per id, quod Deo placetur, & hominibus ſit placendum. Cæterum ſtudium, quod ut hominibus tantum placeatur, impenditur, ad id, quod Deo placendum eſt, non refertur: quia tantum eorum cauſa, quibus placetur, adhibetur. (*Ibid.*)

Hominibus non placendum, ut Deo placeamus.

XXIX. *Ne deſpexeris deprecationem meam*. Deſpiciuntur orationes diffidentes, ſæculi curis anxiæ, & rerum corporalium deſideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ. Hæ igitur deſpicabiles ſunt orationes, de quibus per Iſajam Prophetam: *Et cum extenderitis manus veſtras ad me, avertam oculos meos ab eis*. (*In Pſal.* 54.)

Quas orationes Deus rejiciat.

XXX. *Tuus ſum ego, ſalva me; quia juſtificationes tuas exquiſivi*. Vox iſta eſt animæ ſemper Deo intentæ: opus eſt iſtud miſericordiæ indefeſſæ, continentiæ immobilis, jejunii uſitati, largitionis im-

Niſi paſſionibus dominemur, Deo placere non poſſumus.

S. HILARIUS.

nis impœnitentis. Quomodo enim ſe Dei eſſe profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis, in avaritiam ſollicitus, in ebrietatem ſitiens, in gloriam ſæculi inanis? horum potius eſt iſte, non Dei: in quo enim hæc paſſionum vitia abundabunt, quomodo non eorum erit, quibus ſerviet? plures gentium Dii: ſed unus Paulo Deus, ex quo omnia, & unus Dominus noſter Jeſus, per quem omnia. Conſtanter ergo Propheta, cui ſoli ſervit, quod ſuus ſit, confitetur, & quia ſuus ſit, ut ſalvetur, orat. (*In Pſ.* 118.)

Bonis Eccleſiæ abuti maximum ſcelus.

XXXI. Omnes, qui ſtipe templi, & his, quæ conferuntur ad uſus Eccleſiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus ſuam expleant voluntatem, ſimiles ſunt Scribarum, & Sacerdotum redimentium mendacium, & ſanguinem Salvatoris. (*Cap.* 33.)

Prædicatio ſolis juſtis convenit.

XXXII. Peccatori autem dixit: quare tu enarras juſtitias meas? Non ait, quare memor es? ſed peccatorem monuit eum, qui in peccato manſiſſet, prædicationis officio abſtinere: vult enim, liberum a crimine eſſe doctrinæ cæleſtis prædicatorem; vult eloquia ſua caſta corporis caſto ore tractari. (*In Pſalm.* 118.)

Cum perſecutionem patimur ab hominibus, Dæmoni iraſcendum.

XXXIII. Intravit Satanas in Judam: in omni igitur, quam perpetimur injuria, alterius opus, alterius inſtinctus eſt. Non ergo his iraſcendum: ſed quoties per contumelias ad iracundiam provocamur, quoties aliqua perpetimur.... agnoſcendus eſt hoſtis ille, per quem hæc operum, ac dictorum incentiva præbentur. Neque iraſcendum eſt hominibus alienæ inſtigationis operariis: ſed potius in his deteſtandi officii interceſſio fœda miſeranda eſt, quod ſint vaſa Diaboli, Satanæ miniſterium. (*In Pſalm.* 128.)

FINIS TOMI PRIMI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google